264 **GLANDORP (MATT.).** Opera Omnia, viz., I, Speculum CHIRURGORUM; II, Methodus Medendae Paronychiae; III, Tractatus de Polypo; IV, Gazophylacium Polyplusium Fonticulorum & Setonum reseratum. Antehac scorsim editio, nunc simul collecta & plurimum emendata. 4to, I, (8) ll., 114 pp., (3) ll.; II, (7) ll., 92 pp.; III, (4) ll., 40 pp., (2) ll.; IV, (4) ll., 132 pp., 4 *copperplates* and plates in text, fine copy, orig. calf, 15s

For F. Gyles, C. Davis, and A. Vandenhoeck, London, 1729

NOT in Lowndes or Hazlitt. Georgi, Supp. II, 128. Watt, 418. Surg.-Gen. Libr. Cat., 2nd ser., VI, 236. A copy in the Brit. Mus.

MATTHIÆ GLANDORPII

BREMENSIS MEDICI CLARISSIMI

OPERA OMNIA;

VIZ.

I. SPECULUM Chirurgorum, in quo, quid in unoquoque Vulnere faciendum, conſpicitur ac pertractatur.

II. METHODUS Medendæ Paronychiæ, cui acceſſit decas Obſervationum.

III. TRACTATUS de Polypo Narium affectu graviſſimo, Obſervationibus illuſtratus.

IV. GAZOPHYLACIUM Polyplusium Fonticulorum & Setonum reſeratum.

ANTEHAC SEORSIM EDITA,

Nunc ſimul Collecta & plurimum Emendata.



LONDINI:

Impenſis F. GYLES, C. DAVIS *&* A. VANDENHOECK.

M DCC XXIX.

LECTORI

BIBLIOPOLÆ

S. P.

GLANDORPIUM in ſcriniis eruditorum jamdudum deliteſcentem, in lucem revocamus; nec ſumptibus nec labori parcentes, ut iterata hac editione, illuſtriſſimi deque bonis literis optime merentis viri hortatu ſuſcepta, chartæ emaculatæ nitore, typique elegantia ornatus, & ab erroribus typographicis, quibus prius miſere fædabatur, caſtigatus in publicum prodiret. Hæ noſtræ erant partes, an recte operam collocaverimus tibi judican-

 dum

dum relinquimus. Priusquam autem auctorem ipsum aggrediaris, sequentem, ut speramus, amici cujusdam in GLANDORPII scriptis non parum versati Epistolam ad nos datam evolvere non pigebit.

„DE Vita GLANDORPII, inquit ille, nihil novi
„nisi quæ ex ipsius operibus facillimo negotio erui possunt:
„pauca quidem ea sed certissima, quæque ideo apud æquos
„harum rerum estimatores majorem obtinebunt auctorita-
„tem, quam si ex LINDENIO renovato, aliisve hujus fa-
„rinæ insulsis historiæ medicæ compilatoribus fuissent ex-
„scripta. Labente seculo sexto decimo, anno scil. 1595,
„Coloniæ Agrippinæ natus, in illustri schola Bremensi reli-
„gionis & doctrinæ prima jecit fundamenta. Inde ad suos
„redux & philosophiæ præceptis in Academia Coloniensi
„imbutus, Medicinæ & Chirurgiæ se totum addixit; præcep-
„tore & studiorum patrono per quadrennium usus clarissi-
„mo PETRO HOLTZEMIO Daventriensi, Electoris Co-
„loniensis, Comitisque ad Rhenum Palatini medico, &
„apud Colonienses Medicinæ Professore ordinario. Chi-
„rurgicis autem & institutionibus & exercitiis, in parentis
„LUDOVICI, viri quantum ex filii observationibus, alio-
„rumque testimonio conjectari licet, in arte sua eximii of-
„cina feliciter incubuit: patris deinde & proprio excitatus
„instinctu, anatomen sub optimis ejus loci prosectoribus ag-
„gressus est, & uberrimo cum fructu, cum Medicina & Chi-
„rurgia contulit. Studiorum comitem & æmulum fra-
„trem habuit GUILHELMUM natu, ut videtur minorem,
„qui

„qui poſtea in Galliis & Americæ etiam regionibus Chi-
„rurgiam cum laude exercuit.

„HISCE peractis, parenti auctor & ſuaſor extitit HOL-
„TZEMIUS, ut noſter Italiam adiret, & in Athenæo Pata-
„vino ulterius ſtudiis incumbens, ad finem curſum eorum
„deduceret; literis inſuper commendatitiis ad celeberrimos
„viros HIERONYMUM FABRICIUM AB AQUAPEN-
„DENTE, & DIVI MARCI Æquitem ADRIANUM
„SPIGELIUM Chirurgiæ & Anatomiæ Profeſſores, tantum
„effecit, ut non ſolum familiaritatis illorum domeſticæ, ve-
„rum & rariorum obſervationum & inſtrumentorum parti-
„ceps fuerit GLANDORPIUS; imo ut SPIGELIUS eum
„in diſſectorum publicorum numerum ſuſceperit. PATA-
„VII etiam immortalem SANCTORIUM Juſtinopoli-
„tanum, theoriam medicam cum ſtudioſorum maxima fre-
„quentia profitentem audivit, & tandem utraque doctorali
„Laurea ibidem inſignitus eſt.

„ACADEMIA illa, totius orbis tum temporis cele-
„berrima, relicta, Romam, Florentiam, Bononiam aliaſque
„Italiæ urbes ſcientiarum gloria claras inviſit, annoque ſa-
„lutis humanæ 1618, ætatis ſuæ tertio & viceſimo, Italiæ
„ſpoliis literariis onuſtus in patriam rediit, & in Bremenſi
„civitate, Medicinæ & Chirurgiæ faciundæ cauſa, juvenis ad-
„modum, ſedem fixit: quod quidem minus mirabimur, ſi
„præcox viri ingenium, ſaniore doctrina, artiſque operibus ab
„ipſis fere incunabulis excultum, animo recolamus; quantiſq;
„ſimul & humanitate & beneficiis a D. D. VALENTINO

„Am

, Am Ende, Reipublicæ Bremenſis phyſico, in hiſce ſuæ
, praxeos initiis, fuerit exceptus. Quanta autem cum ſoler-
, tia & laude, ægrotorum ſaluti conſuluit, ex obſervationi-
, bus ſuis ſatis evincitur, tum ex hoc præſertim, quod an-
, num agens circiter tertium & triceſimum, CELSISSIMI
, Principis Archiepiſcopi Bremenſis medicus, & poſtea ejuſ-
, dem Reipublicæ phyſicus ſit conſtitutus.

, QUÆ ingenii reliquit monumenta, quatuor voluminibus
, comprehenduntur, quorum primum, Chirurgiæ ſcil. SPE-
, CULUM, anno 1619. Tractatum de PARONYCHIA
, experiundo natum, 1623. De POLYPO NARIUM,
, 1628. De FONTICULIS & SETACEIS, 1633
, Bremæ evulgavit. Obſervationes etiam & curationes de
, ulceribus, tumoribus, fracturis & luxationibus, edere con-
, ſtituerat, ſed aliis impeditus negotiis, fidem datam nunquam
, liberavit. Auctoris autem conſilium in omnibus quæ cum
, publico communicavit, aut communicare in animo habuit,
, hoc fuiſſe præcipuum ubique teſtatur, ut Chirurgiam Me-
, dicinæ partem utiliſſimam & ſaluti humanæ plane neceſ-
, ſariam, magis magiſque excoleret, eamque in Germania lap-
, ſam, inique in exilium actam, & ad imperitorum homi-
, num tonſtrinas relegatam, ſplendori ſuo & integritati re-
, ſtitueret. Magnum Mehercle opus! ſed GLANDORPII
, humeris, ſummo ingenii acumine, fidiſque artis experimen-
, tis ajuti, anatomica ſcientia inſtructi, inque veterum & re-
, centiorum lectione verſatiſſimi, neutiquam impar onus.
, De prioribus hactenus ſatis: de mira ejus in libris evol-

, vendis

„ vendis induſtria & ſedulitate, hoc addere lubet, quod forte „ inter ſcriptores medicos haud quemquam reperiatis, qui tan„ tum operis tam felici ſucceſſu, in placitis & inventis aucto„ rum poſuerit. Ut verbo dicam; ſagaciſſimi BOERHAA„ VII judicium de Bellino prolatum, in GLANDORPIUM „ adamuſſim cadere videtur': „ In indaganda morborum na„ tura, ab ipſa incepit natura; phænomena horum varia ex„ poſuit non fingendo ſed obſervando, non mutando ſed „ indagando, non amplificando ſed enarrando; atque ex „ iis demum aggreſſus eſt ingenium morborum abditum de„ tegere, eventa prævidere, aptaque invenire remedia".

HÆC ille. Tu interim Erudite lector, conatibus noſtris quantuliſcunque favere, & optime valere perge.



SPECULUM CHIRURGORUM.

IN QUO

Quid in unoquoque vulnere faciendum, quidve omittendum, præmiſſa partis affectæ anotomica explicatione, obſervationibuſque ad unumquodque vulnus pertinentibus adjunctis, conſpicitur ac pertractatur.

Magnificis, Ampliſſimis, Conſultiſſimis Clariſſimiſque ac prudentiſſimis Viris, Dn. CONSULIBUS & SENATORIBUS inclitæ Reip. Bremenſis, Dominis & patronis meis majorem in modum colendis S. P.

NULLA eſt, præſtantiſſimi domini, tam præclara res, quæ non multiplici ſit obnoxia abuſui. In medicina animi, theologia ſacra, non tantum diſſenſiones toti orbi cum publica privataque animorum diſſociatione ſunt notiſſimæ, ſed peſtilentes, hominumque ſaluti noxiæ hæreſes aliæ ſupra alias emergunt: nonnunquam ex malitia, at ſæpiſſime ex imperitia, & ſcripturarum divinarum ignorantia. Quod quidem in re ab ſenſibus remota minus mirum videri poſſet: ſed in ea diſciplina, quæ corporum medelam profitetur, & tota fere uſu & ſenſuum experientia nititur, ſi non magis mirum, at non minus dolendum eſt, in opere ſanandi ægros & ſaucios, tam diſſidentes eſſe hominum opiniones, & vias ad valetudinem plane adverſas ſaluti ipſique adeo vitæ inimicas. Sicut autem infelices religionis magiſtri & defenſores ſunt, qui nullo variæ lectionis, imprimiſque verbi divini meditationis exer-

citio & conſcientiarum tractatione ſuffulti, eccleſias aut ſcholas ſibi docendas regendaſque ſumunt: ita miſeri & pluſquam carnifices ſunt, qui naturæ corporum & medicamentorum ignari, vel chirurgicen vel pharmaceuticen aggrediuntur. Periculoſius ſæpe quam theologi, quorum errores hodiernos ſequens dies aut annus poſſit emendare: at infauſta medici manus dum corpus neglectum, neci objicit, animam ſimul meliori informationi eripit: nihil tamen eſt, quod non hodie facilius ducant homines, quam ſit ducatus ad religionem, aut corporis male affecti medicatio. Imprimis autem chirurgia, cujus maximam neceſſitatem oſtendunt quotidiani hominum caſus, etiam eorum, qui parum alioqui pilulis & catapotiis egent; eo vero imperitius tentata & exercita, damna dat rebus publ. inexplicabilia: at quanta hodie plerorumque, ut nonnulli vocant, barbitonſorum, & quam noxia ſit imperitia, quis neſcit? ut ſane nomine eo, quod noſtri majores eis impoſuerunt, contenti, nullius vulneris curationi manum deberent admovere. Invenias non paucos, qui vix tonſtrinam aut balneum ingreſſi, odontagra aut cucurbitula uti norunt, vacillantem aut putridum evellere dentem, auferre forcipe, eradicare, phlebotomo venam aperire, incidere, ſplenium aliudve emplaſtrum aut malagma concinnare & affecto loco applicare, tentamque conficere queant, tanquam ex his puerilibus rudimentis omnia teneant, ingredi tamen audeant labyrinthum illum, ſane ſatis intricatum, chirurgiam dico, quæ ulceribus ſæpe cacoëthicis, vulneribus, luxatis, diſtortis, fractis, contuſis corporis humani membris medetur: & ſic ſe, tanquam ludum habeant, ad choreas quaſdam accingere. Multi quoque hac audacis ſeculi tempeſtate reperiuntur, qui ſe auſint expertiſſimos chirurgos profiteri, & pro doctiſſimis

ctissimis artificibus haberi & estimari velint, licet sint subjecti sui plane ignari, & arbitrentur, se, ubi porcini aut vitulini vel ovilli corporis apertionem a laniis administratam viderint, satis jam scire; perinde scilicet, quasi qui unam vestem consui vidit, non modo hanc imitari, sed innumeras alias effingere queat. Hi anatomen totam (quam non immerito chirurgi dexteram dixerim) se exhausisse sibi somniant, quum interim vix cordis aut ventriculi, epatis, lienis, aut musculorum, membrum aliquod moventium, flectentium aut extendentium, situm explicare, imo vix literam a litera distinguere neque legere, neque scribere valeant: & tamen doctorum methodicas curas, libros, scripta ac monumenta posteritati relicta contemnant, vituperent, increpent, & evertere studeant, qui tot laborum tot rerum tam diuturno usu & experientia, rationibus, observationibus, medicamentis cum innumerabilium hominum salute simul junctis hanc chirurgiam fabricavere, amplificavere, & post plurima sensibus & temporibus cognita, tamen adhuc difficillimam pronunciavere. Hi se etiam excellentes in arte arbitrantur & tales haberi volunt, ubi unum aut alterum vulnus, hoc vel illo emplastro curatum viderunt: se ad chirurgiam exercendam transferunt, eo ostentantes suum in rebus usum & experientia, quod plurimos animadverterint hoc aut illo oleo curatos, seque idem effecturos afferant ac promittant, nullaque habita ratione temperamenti partium, singulis unum idemque applicant. De illorum egregiis curationibus experientiaque apprime & recte loquitur naturalium rerum solertissimus indagator, atque in hisce rebus coryphæus PLINIUS, quod non raro experimenta duxerint & ducant per mortes: sic optime morbum scilicet tollentes, quando morbidum ipsum e vivis tollunt; quos, nihil nisi

unum

unum idque imperfecte scientes, in plurimis misere decipi est necesse. Ubi enim symptoma quoddam, verbi gratia, inflammationem supervenire conspiciunt, experientia edocti, hanc suadere contrariam refrigerationem, sed qualem quantamque nesciunt, & fere quarti gradus refrigerantia arripiunt, nullo intuitu partis affectæ, an eo in loco illis uti, liceat, unde frigidissima applicando, calorem extinguunt nativum, gangrænam sphacelumque causantur, imo miseros patientes in maximum & præsentaneum vitæ periculum inducunt.

A qua falso dicta empiria ut utilissimæ summeque necessariæ artis studiosi liberarentur, & scirent, quid in unoquoque vulnere faciendum omittendumque esset; putavi, me operæ facturum esse precium, si hoc rudimentum mei studii in publicum ederem: in quo, post anatomica, eas recenseo observationes, quas partim ex iis, quæ apud charissimum patrem meum LUDOVICUM GLANDORPIUM, ortu Bremensem at Coloniensis urbis chirurgum, artis suæ dexteritate & diligentia satis notum, vidi, & experiundo didici, partim in Italica peregrinatione studiorum ergo instituta animadverti: quas eruditi quidem viri cum quodam emolumento edi posse existimabant. Id vero dum facio, ut solet, incidam in quosdam quoque reprehensores meos, qui forte vili ac protritæ rei meum laborem intempestive impensum cavillabuntur. Adversus quos mihi duxi faciendum, quod nautis est solenne, qui sicut experientissimos naucleros & optant & quærunt, quibus naves suas subjiciant, ut, quantum humana ratio providere potest, obortis tempestatibus, sint extra periculum. Ita ego vos mihi optavi, & peto humiliter, meo hujus chirurgicæ navis, miserabilium plenæ personarum, rectores & protectores viri sapientissimi & optimi: vos quippe prudentia, pietate, ardore

ardore laudatiſſimo omnes liberales artes & diſciplinas curatis, fovetis, ornatis, ut inter præcipuos literarum patronos vos merito ſeculum noſtrum prædicet & poſteritas. Cujus rei locuples & illuſtre teſtimonium eſt illuſtris ſcholæ exornatio & amplificatio, in qua & ego religionis & doctrinæ fundamenta olim jeci: &, quia hæc patri meo patria eſt, una cum ipſo eum in illam affectum gero, qui eſt hominis Dei beneficia grata mente æſtimantis. Quæſo itaque vos, ne mea miſeratione digna navicula naufragium reformidet, veſtri favoris aura ei aſpirare, dextræ veſtro patrocinio eam gubernare, & adverſus calumnias nimis hodie frequentes dignemini defendere. Sic & ego Deum oro, ut vos ſua benignitate totamque remp. & territorium veſtrum ab omni clade coſtodiat, & cœleſtibus terreſtribuſque bonis locupletare pergat. Bremæ anno MDCXIX.

V. Mag. Amplit. & Præſt.

Obſervantiſſimus,

MATTHIAS GLANDORP. D.

IN

SPECULUM CHIRURGORUM

CLARISS. & EXPERTISSIMI

D. MATTHIÆ GLANDORPII

COLONIENSIS V. M. D.

TANTA Aſclepiadum medicorum gloria fulſit,
Ut cœlo aſſererent dogma genuſque ſuum:
In queis chirurgi Podalirius atque Machaon
Implerunt meritis Troica caſtra ſuis
Vulnera ſanantes: teſtes mihi Telephus, & qui
Sæva Philoctetes Herculis arma tulit.
Hinc medici ſtudii chirurgia mater habetur
(Hinc enim Ariſtoteles ortus & Hippocrates)
Quam quoniam in lucem revocat GLANDORPIUS, arcem
Phœbæi invadit Phylliridæ ætheriam.
Jactent ſe medicos planus hiſtrio, agyrta & Apella
Hactenus, artificem laude ſua acta vehunt.
Sic Samarita ſuum curat laudabilis ægrum,
Sic anima emplaſtris, CHRISTE, refecta tuis
Reſpirat, tute ipſe piis, ſuaviſſime, cœptis
Aſpira, & genio ſcripta beata tuo.

M. JOHANNES LAMPADIUS.
S. Theol. & Hiſtor. Profeſſ.

SPECULUM CHIRURGORUM.

CAPUT I.

Quid Vulnus.

OMNES quotquot Chirurgiam tradiderunt, ac de vulneribus ſcripſerunt, in ejus definitione convenere, quod ſit continui divortium ſeu ſolutio (TAGAULT) recens, cruenta, ſine pure, ſine putredine, in partibus mollioribus, a cauſa extrinſeca incidens. HALYABB. Vulnus fit a corpore animato; *ut venenatorum animalium morſu, punctura:* vel inanimato, *ut baculo, enſe, lapide, glande.* PARÆUS, ab ictu, lapſu. AQUAPEND. ab externo aliquo inſtrumento. Hæc quamvis ab omnibus recepta & approbata, melior tamen & magis propria hæc eſſe videtur. *Vulnus eſt ſolutio continui, recens, cruenta, in carne facta, a re aliqua apta ſolvere continuum.* Declaro. Dum dico, *in carne,* per hanc intelligo omnes corporis partes *molles, Venam, Arteriam, Nervos,* &c. ſecludoque oſſium vulnera, quæ proprie fracturæ nomine donantur: ac ubi aſſero, *a re aliqua apta ſolvere continuum,* non excludo inſtrumenta interna, ab aliis, qui illa a ſolis externis oriri teſtantur, excluſa, quique hanc inter vulnus & ulcus differentiam, quod hoc a ſolis externis, illud a ſolis internis proveniat, ſtatuunt.

Vera vulneris definitio.

Explicatio.

Vulneris & ulceris differentia.

Probatio vulnera fieri ab instrumento interno. Exemplum.

Vulnera autem & ulcera tam oriri ab instrumentis externis & internis, ex sequentibus patet. Vir quispiam cecidit ex alto, ossis fracturam (*sive femoris, sive brachii sit, perinde*) passus est, cujus portiones carnem perforarunt, cutimque permearunt, profecto solutio illa continui facta est mediante instrumento aliquo interno (*osse scilicet*) præterea, est recens, cruenta sine pure, sine putrefactione ac in partibus mollioribus. Quare non recte vulnus ab instrumento solo externo oriri, asseritur.

Probatio, ulcera fieri ab instrumento externo. Fonticuli dupliciter fiunt.

Quinetiam ulcera ab extraneo aliquo instrumento ortum habere, hoc exemplo, a fonticulo deducto (quem Itali *fontanellam* vocitant) palam fit. Dum enim hic actualiter, id est ferro candenti, vel potentialiter, seu medicamentis causticam vim habentibus, fit, solvitur quidem continuum, sed non recenter, nec cum cruore, nec sine putredine. Nam apparente solutione continuitatis, pus etiam prodit, & in principio dum actualia vel potentialia applicantur, non conspicitur solutio continui, sed mortificatio sola: eschara namque relicta partibus adhæret. Quare non ad vulnus, sed ad ulcus potius hoc continui divortium referendum, quoniam non fit recenter, sed tempore partes separantur, præterea est cum pure, & eatenus etiam differt a vulnere; quippe quod pure in principio caret.

Epilogus.

Concludo itaque, vulnus oriri posse non solum ab externo, sed etiam ab interno instrumento.

CAPUT II.

Quid solutio continui, quæque sint vulnerum causæ.

Quomodo fiat solutio continui.

SOlutio continui ceu ejus divortium *nil est aliud, quam partis, quæ continua erat, separatio & divisio, seu partis, quæ simul conjuncta & combinata erat segregatio.* Fit autem solutio continui præsertim vulnerum, (*de qua hic sermo*) ab instrumentis (*ut probatum est*) externis & internis, aptis solvere continuitatem, sive id faciant, *pungendo, incidendo, rumpendo, contundendo.*

Quæ pungant. Quæ secent. Quæ rumpant. Quæ contundant.

Pungunt, quæ tenuia & subtilia sunt, *ut acus, subulæ, dentes. Secant* sive *incidunt*, quæ lata exsistunt, *ut culter, gladius. Rumpunt*, quæ motu egregio & violento in partes contrarias divellunt, *ut onus grave. Contundunt* & *conquassant*, quæ gravia pondero-

ponderosaque existunt, *ut lignum, lapis, plumbum, ferrum. Sunt qui addunt erodentia.*

Erodentia.

Plures continui solutionis modos, nomina ac differentias, potius ad ulcera, quam vulnera spectantes, lector studiosus apud authores inveniet, ut Gal. lib. 4. method. med. & Avic. Fen. 2. lib. 1.

CAPUT III.

De vulnerum differentiis.

GAL. Avic. Guido & alii, ubi de differentiis vulnerum tractarunt, earum quamplurimas attulerunt. Ac vel a partibus, *ut sunt similares, illæque* molles, *quales Caro, Glandulæ:* vel duræ, *Ossa, Cartilagines:* vel mediocres, *Nervi, Membranæ, Ligamenta:* vel organicæ, *Manus, Caput,* &c. sumpsere. A tempore quoque differentia orta est, ac propterea aliud dicitur vulnus *recens,* aliud *antiquum.* Ab essentia alia capitur, estque vel *simplex,* vel *compositum, cum fractura, sine amissione & cum deperditione substantiæ.* Qualitas differentiam quoque constituit, & nominatur *magnum, mediocre, parvum.* Figura quinetiam aliam infert, diciturque, *vel rectum, obliquum, rotundum, angulare.* Sunt & aliæ quamplurimæ, quas, quoniam earum pleni sunt chirurgorum libri, volens omitto.

Differentia a partibus.

A tempore.

Ab essentia.

A qualitate.

A figura.

CAPUT IV.

De vulnerum symptomatibus.

VAria vulneribus accidunt symptomata, eaque concomitantur: quorum graviora hic enarrare, ac postea singulatim quomodo unicuique subveniendum, percurrere proposui. Sunt autem *Dolor, Inflammatio, Animi deliquium, Delirium, Febris, Hæmorrhagia, Paralysis, Convulsio seu Spasmus.* Quæ quidem etsi symptomata sint, & curationem non exigant neque indicent, (*sublata enim causa auferri solet & effectus*) tamen propter magnitudinem & vehementiam, imo mortis periculum, chirurgum non raro a suo proposito & instituto avocant, ut plus incumbendum ipsi sit correctioni symptomatum,

Vulnerum symptomata.

Symptomata chirurgum ab instituto avocant.

tum, quam vulnerum curationi. *Quod & Galen. 12. method. medend. & lib. 1. ad Glaucon. annotavit.*

CAPUT V.

Quid dolor, & quæ circa ejus ſedationem molienda.

Doloris definitio.

GAlen. 2. aph. & 12. method. med. dolorem definit, *quod ſit triſtis ac gravis mutationis ſenſus, ac ſymptoma morbos, non ſecus ac umbra corpus ſubſequens.* Avicen 2. 1. cap. 16. ſic definit, *eſt rei contrariæ ſenſibilitas*, ejuſque ſtatuit genera xv. Gal. 6. aphor. 5. & 2. de locis affect. 1. ad 7. refert, & libro de ſang. miſſione ad 3. Hoc ſymptoma nonnunquam maximarum fluxionum eſt cauſa, propterea, quod talis eſt doloris proprietas, ut vires proſternat partium eaſque labefactet, attrahatque partes poſt partes irritando, unde quam ſæpiſſime maximæ excitantur inflammationes, quia pars affecta plus attrahit, quam concoquere poteſt: tum etiam, quoniam partes robuſtæ, ſemper humorem ad imbecillem (*qualis eſt vulnerata*) mandant illamque aggravant.

Doloris genera

Doloris proprietas.

Doloris curatio.

Quo autem huic ſymptomati, ex quo & alia oriuntur, quodque exſiſtit tanquam mater multorum, chirurgus poſſit ſubvenire, *Notet*, quod, etiamſi vulnus ſit exiguum, & patiens de dolore conqueratur leviſſimo, hunc non negligat (*præſertim ſi ſit capitis, ut recte dixit Hippocr. Nullum capitis vulnus leviter contemnendum*) ſolet enim anguis latere in herba, ut poſtea latius dicetur, ſed quam primum Anodinis ſeu dolorem utatur mitigantibus, ut ſunt, *oleum roſat. violar. amigdal. dulc. aneth. Ungt. album camphoratum Rhaſ. roſatum, populeon. dialth. triumſandal.* Vehementiora & dolorem mitigantia cum ſtupefactione ſunt, quæ *Narcotica* dicuntur: qualia, *oleum roſat. cum ſucco ſolani, ol. papaver. opium, ſuccus mandrag. &c.* Quibus non utatur chirurgus, niſi maxima urgente neceſſitate, & ſumma cum cautela. Si vero corpus fuerit plethoricum, vena ſecetur; ſin cacochymicum, lenientia & alvum ducentia per os, & cliſteres exhibeantur, & injiciantur. Deligaturæ, ubi ſunt applicandæ, non nimis fortes adhibeantur, ſintque faſciæ ſatis largæ, ſtrictæ enim plus lædunt.

Dolor in vulneribus capitis non negligendus.

Narcotica.

Deligaturæ.

CAPUT

CAPUT VI.

Quæ facienda circa inflammationem.

INflammationis causa quoniam non raro solet esse dolor, ut & chirurgi imperitia, *dum nimis fortes, uti par erat, molitur deligaturas, unde dolor augetur, major fit attractio, & non raro spirituum interceptio, caloris nativi exstinctio, partisque in Gangrænam & Sphacelum seu Siderationem degeneratio.* Tum etiam excitare solent inflammationem vulnera nervorum, cartilaginum, &c. Huic affectui, ut & chirurgus manibus suis auxiliatricibus suppetias possit ferre, consideret, *an adsit plethora*, qua præsente secetur vena, sanguisque pro ratione virium subtrahatur *(eatenus enim calor reprimitur, quatenus ejus focus detrahitur, non secus ut detractis lignis accensis, ignis quoque flamma minuitur) sin cacochymia*, purgationibus & medicamentis lenientibus alvus, nec non per clisteres educatur, *victus* sit sanguinis fervorem temperans ad frigidum vergens: vinum, animi perturbationes, motus corporis graviores patiens fugiat. *Topica*, si pars permittat, & majoris mali metus absit, repellentia & refrigerantia sint, sed modice: *ut Pomum odoriferum coctum, mistum cum s. q. farin hordei, & aqua rosar. Mica panis tritic. in aqua simplici vel rosarum aut lactucæ macerata.* Si autem inflammatio hæc oriatur a læsione nervi, vel tendinis, sitque sola punctura, tum (*ut in capite de paralysi & vulneribus nervorum dicetur*) ille amputandus: melius enim est partem motu & sensu privari, quam ægrum e numero viventium discedere. Conveniunt quoque fomenta, cataplasmata ex digerentibus, partibus apposita, quo materia infarcta per halitum digeratur, ut sunt: *Malvæ folia, tum & violar. sumit. scord. Anet. flor. chamomill. melilot. nec non comæ hyperic. & flores verbasci. Defensiva* quoque supra partem applicentur affectam, ex *oleo rosato cum bolo*, valet quinetiam *Posca ex albumine ovi, aqua rosar. & pauca quantitate aceti* adhibiti.

Deligaturæ fortes inflammationis causæ.

Inflammatio ex vulneribus nervorum & cartilaginum

Effectus venæ sectionis.

Topica in inflammatione.

CAPUT

CAPUT VII.

Quæ molienda circa animi deliquium ex vulnere.

Syncope quid.

GAL. 12. meth. med. cap. 5. ſyncopen definit, *quod ſit præceps omnium virium lapſus, cordis vitio eveniens, dum in procreatione & diſtributione ſpirituum vitalium otiatur, tum enim ſenſus & motus (ut Gordon. author eſt) in toto corpore auferuntur, pulſus formicans, mortificatioque adeſt faciei.* Sunt autem duæ animi deliquii ſpecies, quarum prima eſt *Syncope*, altera *Lipothymia*, quæ diſtat a ſyncope, quod in ea non fit omnium virium lapſus, ſed ſpiritus duntaxat exſolvuntur, manentibus illæſis iis viribus, quæ cerebro cordi & jecori ſunt congenitæ. *Adde*, quod illi, qui *lipothymia* laborant, in ipſo paroxyſmo audiunt, qui vero *ſyncope*, minime.

Deliquii animi duæ ſpecies.

Cujus deliquii animi hic tradatur curatio.

Hoc autem in capite tradam curationem ſyncopes & lipothymiæ (*differunt enim ſolummodo ſecundum majus & minus*) ortæ ex morſu, punctura rei venenoſæ, a dolore, & hæmorrhagia magna. Si cauſa eſt venenum, (*quoniam illud ſtatim & derepente cor petit*) cordi ſuccurrendum eſt & externis & internis medicamentis *Alexipharmacis*, quo venenum a corde, & tota corporis circumferentia depellatur, ſudorque provocetur. Exhibeatur itaque *Theriaca*, *vel aqua*, *vel ſal ipſius*, ſtatim poſt inflictum a venenoſo animali vulnus. *Epithema* cordis regioni applicetur, ut & *inunctio* circa ipſum. Vulneri vero, & externe apponatur *Gallina viva deplumata: in partibus poſterioribus*, vel *Pullus per medium ſciſſus & diviſus*, vel ſi patiens permittere velit, & non ſint nervoſæ partes ſubjacentes, excipiantur labra vulnerum *ferramentis candentibus*, (*illæ enim partes a ſuperflua humiditate & venenoſitate liberant ac roborant*) *Sanguiſugæ* quoque, ut & *Cucurbitulæ ſcarificatæ* plurimum, ſi vulneri apponantur, conducunt; ſunt qui venenoſitatem exſugunt, at hi prius oleo, aut re aliqua pingui totum os illinunt, tum enim venenum tam facile damnum inferre nequit. Ubi *lipothymia* eſt a *dolore*, & quidem intenſo, huic ſubveniendum iis remediis, quæ cap. 5. præſcripta. Si vero eſt ob *nimiam ſpirituum exſolutionem*, quæ ut plurimum ſequitur magnam hæmorrhagiam (*præcipue ubi arteriæ læſæ, in iis enim ſpiritus vitales*

Deliquii cura a veneno.

Ferramenta candentia, & effectus eorum

Exſuctio quomodo fiat.

Deliquii cura a dolore.

Deliquii cura ob hæmorrhagiam.

vitales continentur) illa quamprimum arcenda, ut in capite demonſtrabitur ſequenti.

Curatio deliquii generalis.

Præcavetur hic affectus aliquomodo, præſertim ſi patiens ſit debilis natura, ſi alio, dum vulneri medicatur chirurgus, reſpiciat, interim ore cinamomum, macim aut alias res odoriferas teneat: ſumat quinetiam antequam faſciæ diſſigantur offam in vino generoſo, Malvatico, ſeu Hiſpanico maceratam. In ipſo autem paroxyſmo pulſus fricentur, facies aſpergatur *aqua frigida*, ſimplici (*tum enim ſanguis a centro ad circumferentiam defertur*) vel *roſarum*; Naribus admoveatur acetum roſatum, aliaque odorifera.

CAPUT VIII.

Quæ facienda circa hæmorrhagiam.

PER hæmorrhagiam ſeu ſanguinis profluvium, hic intelligo illud, quod non per *Anabroſin* ſeu *Diabroſin*, ſcilicet per eroſionem, a materia aliqua acri & erodente; nec per *Diapedeſin aut tranſcolationem*, neve etiam per *Anaſtomoſin aut vaſorum oris apertionem fit*, ſed quod oritur a re aliqua apta ſolvere continuitatem tunicarum venarum & arteriarum cum impetu, ſive fiat *Punctione*, *Sectione*, *Contuſione*, *Ruptione*, *per tranſverſum*, *obliquum vel rectum*. Huic ſymptomati, quoniam in cauſa eſt deperditionis theſauri vitæ noſtræ (*ſanguinis ſcilicet*) ſubito ſuccurrendum, & quidem medicamentis ſanguinem ſiſtendi vim habentibus, ne Syncope & Lipothymia ſubſequatur, tandemque mors. Varii autem ſunt modi ſiſtendi ſanguinem, qui in capite de vulneribus venarum & arteriarum deſcribuntur. Quæ vero illius fluxum prohibent medicamenta, ſunt aſtringentia, *ut*, *Alumen*, *Muſcus marinus*, Omphacinum, Plantago, Polygonum, Burſa paſtoris, Cortices granator, Gallæ, *&c.*

Sanguis theſaurus vitæ.

Quæ ſanguinem ſiſtant.

Hæmorrhagia non ſemper æque cito ſiſtenda.

Hic notet chirurgus, non omnem hæmorrhagiam ſemper æque cito eſſe ſiſtendam: corpus enim plethoricum largiorem illam, quam cacochymicum & extenuatum ſufferre poteſt, & hac quoque ratione, non raro animadverſum, dolorem & inflammationem debellatam extitiſſe.

CAPUT

CAPUT IX.

Quæ circa delirium ex vulnere agenda.

NEC minus periculosus est affectus ille ortus a parte aliqua principali & nobili (*ut Nervo*, *Cerebro*, *Corde*, *Diaphragmate*) vulnerata, quique *delirium* nominatur, *nihilque est aliud*, *nisi depravatio discursus*, *sensusque alienatio*, contingens cerebro *vel per essentiam*, vel *per consensum* vulnerato. Quemadmodum videmus in iis, qui a cane rabido, homine irato, aut vipera mordentur, vel instrumento aliquo veneno infecto *punguntur*, *inciduntur*, vel *contunduntur*, unde vapores isti venenosi caput, (*si in illo vulnus non sit*; *quoniam corpus nostrum totum est transpirabile*, & *in eo omnia consentiunt*,) petunt, porositatesque cerebri replent.

Delirium quid.

Oritur quinetiam a *vehementi dolore & inflammatione*, conveniuntque tum medicamenta cap. 5. & 6. tradita. Si ex *venenositate*, conducunt, quæ virus extrahere possunt, quæque c. 7. declarata ut, *Ferramenta ignita*, *Gallinæ deplumatæ*, *Pulli per medium scissi*, *Cucurbitulæ scarificatæ & cum maxima flamma appositæ*, *Sanguisugæ*, *Theriaca quoque vulneri imposita*. Pro derivatione & interceptione materiæ, quæ caput petit, deliriumque excitat, conducunt *clysteres* alterantes & evacuantes, *Venæ sectio*, & quidem *Cephalicæ* ratione revulsionis, *Saphenæ* ratione majoris derivationis, *cucurbitulæ & ventosæ* affigantur scapulis & humeris, *vesicatoria* post aures, *setaceum vel fontanella* inuratur Nuchæ. Temporibus, jugularibus venis, & caroditibus ac fronti *oxyrhodona* applicentur, capilli abradantur, fiatque *fomentum ex herbis* roborantibus & capitalibus, modiceque refrigerantibus. *Lotio* quoque (*si æger permitteret*) conveniret pedum, *ex solano*, *verbena*, *fol. salicis*, &c. *somnusque*, qui solet abesse conciliandus *Emulsionibus*, *Laudano* aliquo bene correcto, victus ut & cubiculum, vergens sit ad frigidum & humidum animi quoque affectus sint procul.

Delirium ab inflammatione.
Delirium ex veneno.

CAPUT

CAPUT X.

Quomodo ſuccurrendum febri ex vulnere.

FEBREM *calorem eſſe tradit Avic. fen.* 1. *extraneum, adventitium, accenſum in corde noſtro, a quo, mediantibus venis & arteriis, per univerſum corporis noſtri habitum defertur, & lædit operationes, nec ulla datur febris, in qua cor non afficiatur, ſive ſit primario, ſive ſecundario, eſtque morbus in intemperie.* At febris illa, de qua hic fit mentio, non eſt febris conſiſtens per ſe, ſed ab alia cauſa dependens, diciturque *ſymtomatica*, non ſecus ut illa, quæ pleuritim ſubſequitur, quæque, cauſa ſublata, deſinit. Ubi itaque talis febris vulneribus accidit, *præſertim magnis*, non eſt metuendum: nam, dum pus conficitur, juxta Hippocr. aphor. 39. ſect. 2. dolores ac febres magis, quam confecto accidunt: quia, dum pus fit, calor augetur, eoque confecto imminuitur: ſed ſi febris permaneat, ceſſante & confecto pure, parſque aliqua principalis læſa, malum ac tanto pejus eſt vulnus, ſi *ſiccum* conſpicitur, nec quicquam materiæ excernitur. *Morſus animalium venenoſorum* eatenus, quatenus virus ad cor defertur, ſpirituſque inflammat, febrem (ut & punctura nervoſarum & principalium partium) excitant.

Quid febris.

Febris vulneribus ſupervenienſ eſt ſymptomatica.

Febris vulneribus magnis ſemper accidit.

Febris quando malum ſignum

Febris quomodo oriatur a morſu animalis venenoſi.

Succurritur, ſi corpus ſanguineum, venæ ſectione: ſi ſcatens malis humoribus, purgationibus & alterantibus: ſi ratione veneni, alexipharmacis, ſi ob dolorem & inflammationem anodynis. Vinum interim præſertim generoſum, motus vehemens, & animi evitentur perturbationes.

Vinum fugiendum.

CAPUT XI.

Quæ circa Paralyſis curationem adhibenda.

PAralyſis, quæ & Paralyſia & Pareſis dicitur, *eſt nervorum reſolutio, ſeu ſenſus & motus partis iſtius, in quam nervi deſinunt affecti, privatio ſeu elongatio.* Oritur, dum humor quiſpiam poroſitatem nervorum replet, vul dum illi amputantur. De primo modo paralyſis abunde tractant medici: ſufficit hic tradere, quomodo ſuccurrendum, ubi eſt ex vulnere. Quando

Quid Paralyſis.

Cauſæ paralyſis.

Ex amputato nervo necessario sequitur Paralysis.

itaque in illo nervus est amputatus, tum necessario infertur *Paralysis, in qua vel sensus solus, vel motus solus, vel ambo simul deperduntur*, impossibileque est amissum recuperare. Si autem adsit punctura vel levis incisio, exoritur (*ut postea dicitur*) *spasmus & motus convulsivi.*

Nervi disjuncti conjungi nequeunt.

Neque etiam nervi disjuncti combinari possunt: retrocedunt enim ac retrahuntur suum versus principium, ut conspici nequeant, nec, etiamsi oculis sese objicerent, conjungere esset possibile, quia illa deberet fieri vel sutura, unde novus excitaretur dolor, vel medicamento habente proprietatem inducendi ac generandi nervum, quod in terrarum orbe non reperitur secundum Hippoc. 6. aphor. 19. *Quum descissum fuerit os, aut cartilago, aut nervus, aut genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coalescit.* Quapropter cum *dolor*, ubi nervus est incisus, adest, tunc mitigantia conveniunt, vel amputandus ex toto, ne inflammatio & graviora symtomata subsequantur. A *frigore* vulnus muniatur, & a *rebus acribus* defendatur, neque etiam deligaturæ instituantur nimis fortes: non raro namque illæ *stuporem*, nuncium Paralysis, inducunt: ac consolidato vulnere, pars affecta *balneis* fomentetur ex herbis calidis & confortantibus. *Inunctiones* fiant tam in parte sauciata, quam ubi est principium nervi in partem desinentis, ex oleis & ungt. calidis, *oleo scilicet vulpino*, *laurino*, *ex castoreo*, *scorpionum*, &c. *Ungt. Aragon. & Martiat.*

Quæ facienda circa nervum vulneratum.

Notet chirurgus, ut nihil prædicat certi, ubi nervus amputatus, de restitutione motus: impossibile enim est (nisi pars duobus gaudeat nervis) *certi quid affirmare.* *Plura vide cap.* 42. *de nervorum vulneribus.*

CAPUT XII.

Quæ facienda in convulsione ex vulnere.

Spasmus quid.

CONvulsio seu spasmus *est involuntaria contractio nervorum primario ad suum principium*, secundario *musculorum.* Nervi namque sunt causæ & instrumenta motus sine quibus non, seu per quos defertur facultas & vis illa movens & sentiens: pars autem movens est musculus, ejusque substantia, ut videtur, ubi est amputatus: tum enim musculus motu destituitur. Est quoque *involuntaria contractio*, quoniam volentibus nolentibusque nobis oritur. Hipp. hujus affectus causam ad *Inanitionem*

Causæ spasmi.

tionem & *Repletionem* 6. aph. 39. refert. Ex *Inanitione* ortum ducit, ubi partes nervosæ ex materia aliqua, sive externa, sive interna calida exsiccantur. Idem exemplum dat *ab inanitione* 5. aphor. 1. *Convulsio ab elleboro lethalis:* hic enim caliditate & vehementia sua purgandi siccitatem (unde inanitio) inducit. Ex repletione quoque causatur, dum nervi & musculi in tanta copia humorem aquosum & serosum imbibunt, ut longitudo decurtetur, & latitudo augmentum capiat. Accidit quinetiam convulsio ex *vulneribus* teste Hippocr. 5. aphor. 2. Ubi partes nervosæ læsæ sunt, estque lethalis. At, ubi punctæ vel contusæ, tum succedunt motus illi, qui convulsivi dicuntur, quique & oriuntur a materia aliqua venenata, & acri ac mordaci, nervos ad motum illum perficiendum stimulante. Differunt inter se spasmus & motus convulsivi, quod, qui illo laborant, rigidi & immobiles permanent: istis autem qui corripiuntur, motum faciunt inordinatum & depravatum. Tres quoque medici spasmi species constituunt. Si enim corporis ad anteriora fit incurvatio, dicitur *Emprosthotonos*; si ad posteriora reflectitur, *Opisthotonos*; si rectum & rigidum parmanet corpus, *Tetanos*; ad latera nulla fit contractio ob musculorum paucitatem.

Spasmus ex Inanitione.

Spasmus ex Repletione.

Spasmus ex læsione nervi.

E punctura nervi motus convulsivi.

Motuum convulsivorum & spasmi differentia.

Spasmi tres species.

Pro curatione hujus affectus sciendum, hic de illa solummodo tractari convulsione, quam læsio nervi causat. Hæc si sit orta ab instrumento aliquo venenato, a dolore magno, ut & ab insigni inflammatione; conveniunt medicamenta virus educentia, dolorem & inflammationem sistentia, ac superioribus capitibus citata: inunctiones & linimenta fiant ex similibus in capite de paralysi præscriptis. *Plura quoque vide, ubi speciatim de læsione nervi dicitur.*

CAPUT XIII.

Labra vulnerum separata quomodo conjungenda.

Modi labra separata conjungendi vulnerum varii extitere apud veteres, GAL. HIPP. ALBUCAS. GUIDON. & alios, illisque *Suturæ* nomen imposuere, ac has *glutinatorias*, has *sanguinem supprimentes* illas tandem *labiorem conservantes conjunctionem* appellavere, hisque usi ubi non sufficiebat deligatura,

Suturæ tres species.

Modi apponendi ſuturas varii.

tura, variiſque modis perfecere, vel *Hamulis, Fibulis, Acubus per carnem tranſactis, & poſtea filis involutis.* Plures qui ſcire deſiderat veterum modos conſuendi, is conſulat GAL. HIPP. TAGAULT. FALLOP. PARÆUM. AQUAP. qui de iis abunde tractant. Sufficiat hic exponere illos modos ſeu illas ſuturas, quibus hodierna die plerumque utuntur chirurgi, dividendo eas in ſuturas actuales & potentiales. Actuales duobus modis perficiuntur, vel enim vulnus arcte conſuitur more pellionum: vel tali modo; Manu dextra chirurgus arripit acum tricuſpidem filum per cavitatem (*quæ oculus dicitur*) diductum habentem, inunctum *oleo roſato*, vel alio aliquo (*quia tum facilius permeat*) ſiniſtra vero cannulam apprehendit, illamque labro vulneris in parte domeſtica (hanc *autem hic vocito domeſticam, quæ aliam labri vulnerati reſpicit partem*) firmiter adhibet, acuque perforat, tum cannulam feneſtratam admovet parti ſilveſtri, & domeſticæ infigit acum, ac perforat, filoque labia adducit, fortiterque conjungit, nodo facto, reſecat. Hic notandum, quod ſi vulnus ſit trium digitorum longum, ultra unam non adhibeat ſuturam, & ubi pluribus opus, ad minimum ab invicem diſtent duorum digitorum latitudine.

Diviſio ſuturarum.

Sutura actualis


Sutura potentialis.

Potentialis ſutura fit etiam duobus modis. Primo, mediante emplaſtro aliquo fortiter adhærenti, ut obſerv. 12. dicetur. Altero, taliter Chirurgus duas accipit partes lintei, fimbram habentis illam textoralem, quæ a Germanis dicitur Selbkante, longitudine adæquantis vulnus, latitudine vero duorum, vel unius & medii digiti, prout commode parti applicari poteſt, & in unaquaque lintei parte, duo firmiter inſuantur fila craſſa (*vel tot quot neceſſitas poſtulabit*) paulum ab invicem diſſidentia: inungantur hæc lintea hoc vel ſimili medicamento, quo poſtea firmiter cuti, facta exſiccatione, adhæreant.

℞ Gummi Tragacanth. ʒj. Arabici ʒs. Diſſolv. in ſ. q. Aquæ roſar. ut fiat mucilago, cui adde Boli Armen. Myrrhæ an. ℈j. Farin. Amyli, Albumin. ovi. an. q. s. pro conficienda paſta.

Modus autem applicandi lintea talis eſt: Unum ſupra, alterum infra vulnus ponitur, ut unum quodque a labris vulnerum paululum diſtet, ne, dum conjunguntur, lintea ſeſe mutuo tangant, & vulnus occludatur, materiæque exitus, medicamentis vero ad partem affectam delatio prohibeatur, & ſedulo in id incumbendum, quo fila utriuſque lintei recte ſibi reſpondeant,

deant, ne poſtea cicatrix deformis & inæqualis reddatur, validuſque nodus imponatur, nec, antequam ſatis carnis regeneratum, auferatur: *& tantum de ſuturis.*



a Linteum ſuperius.
b Linteum inferius.
c c Fimbria textoralis utriuſque lintei.
d d d d Fila ſitu correſpondentia.
e e Vulneris longitudo.

CAPUT XIV.

De prognoſi in vulneribus.

Vulnera alia cum ſint lethifera, alia minus periculoſa, alia facilis, alia difficilis curationis, alia quinetiam partes reddunt mutilas: operæ precium me facturum duxi, ſi hic compendioſe & leviter, quid ex unoquoque vulnere prædicendum, traderem. Itaque, ſi corpus eſt bene temperatum & ſanum, vulnera, etſi *magna*, facile curantur: ſin vero adeſt cacochymia & hydrops difficillime, ſecundum Hippocr. 6. aphoriſ. 8. *quoniam cicatrix induci nequit, niſi facta prius exſiccatione.* Nullum quinetiam *capitis vulnus (ut inquit Hipp.)* leviter eſt contemnendum, propter partis præſtantiam. *Meningibus* læſis periclitatur patiens, magis vero *cerebro*. *Aſperæ arteriæ* vulnera, ſi una cartilago diviſa, conſolidationem reſpuit, *Cordis* vulnus non ſanatur. *Oeſophagi* quoque vulnera difficilis curæ ſunt: *Ventriculi*, *Inteſtinorum* præſertim tenuium, *Tranſverſi ſepti*, *Uteri*, *Veſicæ*, curationem quidem admittunt in carnoſis partibus,

Vulnera corporum ſanorum facile curantur.
Vulnera cacochymicorum cur difficulter ſanentur.
Vulnus capitis.
Vulnus Meningum.
Vulnus cerebri.
Vulnus aſperæ arteriæ.
Cordis.
Oeſophagi.
Ventriculi, Inteſtinorum, Diaphragmatis, Uteri, Veſicæ.

Pulmonum. Hepatis, Splenis, Renum. Venarum, arteriarum. Nervorum.

partibus, membranosis minime. *Pulmonum*, si sint alicujus momenti mortem inferunt. *Hepatis*, *Splenis* ac *Renum* periculum inducunt. *Venarum* & *arteriarum* vulnera, præsertim si in corpore lateant, & portio illarum ablata est, sunt periculosa. *Nervus* læsus, punctus, incisus, spasmum, motus convulsivos, non raro & mortem, ut &, etiamsi curetur sensus motusque abolitionem partis illius, ad quam deferebatur, infert. Si fæces exeunt biliosæ & flavæ, Chirurgus prædicere potest intestina tenuia esse læsa, si vero excrementa, crassa. Vulnera quoque intestinorum cum nausea & fluxu ventris pessima. Si vulneribus capitis accidit singultus, vomitus, cerebrum læsum indicatur. Vulnera cum *fracturis ossium* longissimæ & difficillimæ sunt curationis. *Artuum* gravia quoque symptomata efficere solent. Vulnera in *partibus carnosis & musculosis* inflicta, non sunt adeo magni momenti, quam in finibus musculorum & tendinibus, ut Galen. inquit cap. 6. lib. 4. meth. med.

Dignotio vulnerum intestinorum. Vulnus cum fractura. Vulnus articuli. Vulnus carnosum.

CAPUT XV.

De spectantibus ad chirurgum.

Chirurgus ad vulneratum accersitus, sedulo primo inquirat, quonam vulnus inflictum sit instrumento, ac in quo situ fuit, dum vulneratus. Investiget insuper profunditatem, & an aliquid ab instrumento relictum, quod statim extrahendum: an sit cum deperditione, an sine substantiæ amissione, an multæ venæ, arteriæ, nervique sint læsi: sitne vulnus in capite, medio vel fine musculi: an Transversum, Obliquum, Rotundum, Quadrangulare, Incisum, Punctum, Contusum. Discrepantia enim tum quædam est in remediorum applicatione. Sanguinem sistentia semper penes se habeat. Astantibus, si periculum, significet: ubi necessitas postulat, ut fiat sutura, profunde & alte satis ponat, *tali tamen præcautione, ne nervus vel tendo lædatur*. At, ubi est magna substantiæ deperditio, & labra ab invicem plurimum distant, suntque circa articulos vulnera, sutura non est molienda, sed prius carne implenda cavitas. Chirurgus vulnera nunquam permittat intecta, sed linteis semper, præsertim tempore hiemali calidis cooperiat, nec non omnia ipsis imponat tepida. *Frigida enim quam sint nocua vulneribus & ulceribus, docuit Hipp. 5. aphor. 18. Frigidum ossibus inimicum, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullæ,*

Partes musculi. Quando non est sutura adhibenda. Frigida vulneribus &c. inimica.

dullæ, calidum vero utile, & ejusdem sect. aphor. 20. Ulceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem insuperabilem facit, livorem obducit, rigores febriles, convulsiones, distentiones. Linteamina semper habeat munda, ut & fascias, pullivos, gossipium pro mundificatione & abstersione materiæ, filamenta carpta pro conficiendis tentis & plagulis. Vulnera quoque si sint in parte pilosa & capillari, post sex vel octo ad minimum dies, a pilis mundificet: interim, ne quicquam incidat, cavendum, extranei, *quare implenda sunt filamentis carptis.* In operationibus, ut & in perquirenda profunditate & similibus sit dexter, agilis, *non tremulis manibus,* anatomiæque sit peritus. Ad minimum hæc habeat instrumenta, *novaculam, forficem, volsellam, acus tricuspides rectas & incurvatas cum filo, canaliculum fenestratum (quem & fibulam nonnulli appellant)* **Hefftpfeiffe,** *rostrum gruinum,* **Krahnzange,** *scalpellum (quod dicitur Italis lancetto)* **Blete, Lancett,** *specilla duo vel tria diversa,* **Pundteiseren,** *unumque longius altero, cum pomulis crassis & minoribus,* &c.

Vulnera in parte capillari.
Vulnera munienda, ne extranei quid incidat.
Chirurgus in anatomicis sit peritus.
Instrumenta.

CAPUT XVI.

Quæ facienda circa vulnus sine substantiæ deperditione.

SIne substantiæ deperditione vulnus, vel potest esse *Superficiale,* vel *Profundum*: si existit *Superficiale* aut solis fasciis & deligatura labia conjungenda, vel sutura adhibenda: ut tradit Gal. lib. 3. method. med. qua facta agglutinantia & considentia applicanda, quale est sequens balsam.

Vulnus superficiale.

℞ Succi florum Hyperici ℥ iij. Nicotianæ ℥ ij. Betonic. Mentæ B. Mariæ. Apii, Philosell. Achilleæ an. ℥ j. Pulv. radic. consolid. maj. ℥ js. Aristolo. rotund. Irridis Illyr. an. ℥ s. Lumbricor. terr. in vino, ut sordes abjiciant ablutorum ℥ ij. Vini rubri auster. ℥ vj. Olei comm. veter. ℥ iiij. Mirtin Rosat. Hyperici an. ℥ ij. *Bulliant simul ad succorum & vini consumptionem: fiat postea levis colatura, cui adde* Mummiæ subtiliss. pulv. ʒ vj. Thuris, Myrrhæ. an. ℥ s. Therebint. lotæ aliquoties in aqua Veronicæ ℥ iij. *Penes ignem tepide misceantur, indantur vitro servando ad usum.*

Balsamum mirabilis efficaciæ.

Hoc

Hoc balſamo utere, uſque quo labra conglutinata ſunt, tum cicatricem inducentia adhibe. Si vero vulnus exſiſtit *profundum*, & vel ſurſum, vel deorſum, vel ad latera reflectit, quale ut plurimum ſolet eſſe, quod fit punctura, a re aliqua ſubtili & acuta, tum ſutura non reſpondet, ſed faſciæ conveniunt, pulvilli & turundæ appropriatæ. Si vulnus deorſum verſus vergit, tum injicienda eſt faſcia talis, quæ incipit a parte inferiori, & ad ſuperiorem ducitur, pulvillique ea in parte admovendi, ubi finis vulneris ſpecillo perſentitur, ne ibidem *ſinus*, ob materiæ collectionem, efficiatur, tenta quoque immittenda, inuncta digerentibus & concoquentibus. Ac, ubi materia omnis per vulnus evacuari nequit, ſed ſinum in inferiori loco effecit, molienda eſt ſectio. Simili modo conveniens apponatur faſcia, ſi vulnus vel ſurſum vel ad latera vergat, ac tandem, evacuato pure, agglutinantia & cicatricem inducentia, adhibeantur.

Vulnus profundum ſine deperditione ſubſtantiæ.

Pulvilli quo in loco ponendi.

Sinus.

Notet hic chirurgus, quod, ubi ſinus apertus, turunda immittenda eſt excavata, tam in ſuperiori, quam inferiori parte, quo liberius effluat materia. Componitur autem talis turunda, ut plurimum in Italia (*ubi vocatur Spoletta*) ex tela illita cera, ac circumcirca fuſum involuta, aut ex lamina plumbi conficitur, inque parte ſuperiori filo ſtringitur, quo facilius queat extrahi.

In curatione ſinus quæ turundæ adhibendæ.

Turunda plumbaea.

CAPUT XVII.

Quæ facienda in vulnere cum amiſſione ſubſtantiæ.

CUM in omni vulnere illa prima exſiſtit intentio, ſeparata conjungere & adducere, in uno tamen citius, in altero tardius perficitur, ubi nulla eſt ſubſtantiæ deperditio labra in ipſo adduci poſſunt inſtanti, in amiſſione vero nequaquam, quoniam conjungi propter maximam diſtantiam & ſubſtantiæ ablationem nequeunt. Quare in his vulneribus illi ſcopo primo incumbendum (*remotis, ſi quædam infixa fuerint*) quo ſubſtantia deperdita regeneretur & reſtituatur, videndumque, an chirurgus huic ſatisfacere valeat. Si itaque *Nervi portio*, aut *Venæ*, aut *Arteriæ* aut *Cutis* amputata, impoſſibile eſt reſtituere, quoniam non dantur media, per quæ. Si vero pars carnoſa: hæc multo facilius regeneratur. Sanguis enim ſemper adeſt,

In uno vulnere citius quam in alio labia adducuntur.

Nervi amputati non regenerantur.

Carnoſa pars regeneratur ſecundum medium homogenium.

adeſt, ex quo caro producitur. Quapropter ſtudendum eſt in præſcribenda bona ac laudabili victus ratione: vulnus, quo a ſymptomatibus liberum, muniendum, carnemque, prius materia concocta, digeſta ac mundificata, generantia adhibenda, qua repleta cavitate, labra ſimul jungenda, & cicatrix inducenda.

CAPUT XVIII.

Quæ in vulnerum curationibus ſunt conſideranda.

Indicationes vulnerum.

VAria ſunt perpendenda in vulneribus, variæque in his occurrunt indicationes: 1. ut, ſi aliquid extranei inciderit, extrahatur inſtrumentis chirurgicis appropriatis, *quorum copiam paſſim ſtudioſus lector apud auctores inveniet*, ALBUCAS, TAGAULT. PARÆUM, FABRIC. 2. ut labia vulnerum conjungantur, *quod fit ſuturis*, 3. ut conjuncta eo in ſitu detineantur, *perficitur faſciis*, 4. ut partium & temperamenti ratio habeatur, 5. ut hæmorrhagia ſiſtatur, 6. ut materia, quæ ad vulnus confluit vel confluxit, concoquatur, digeratur vel in pus vertatur, 7. Pure generato & confecto mundificantia & abſtergentia adhibeantur, 8. ſi ſit ſubſtantiæ carnoſæ deperditio, illa reſtituatur, *Sarcoticis*, 9. tandem cicatrix inducatur medicamentis *epuloticis dictis*.

Hyperſarcoſis. Septica.

Notandum, vulnera interdum adeo carne impleri, tum ob laudabilem & bonum ſanguinem, tum ob nimium Sarcoticorum uſum, ut ſubſequatur affectus ille, qui dicitur *Hyperſarcoſis*, Latinis, ſupercreſcens caro: competunt remedia illa, quæ *Septica*, carnemque minuentia dicuntur, ut *alumen uſtum*, *præcipitat*. &c.

CAPUT XIX.

De vulneribus cutis.

Quid cutis. Quid cuticula? Pori cutis.

ANAT. CUTIS, Græcis δέρμα, Latinis & corium pelliſque dicitur. Totum corpus inveſtit cum ſua effloreſcentia (ἐπιδερμὶς) CUTICULA: quæ non ſecus in corpore humano oritur ac membrana illa, quæ pultem, ubi aeri frigido exponitur, contegit. Hæc CUTIS magnis & parvis donatur po-

ris. Per magnos ſenſus percipiuntur, & excrementa dejiciuntur: per parvos, minimos & innumerabiles, ſudores, tertiæ concoctionis excrementa, ut & vapores emittuntur, materiaque illorum reſpectu per halitum digeritur & evacuatur. Oritur a ſpermate, partim a ſanguine, (non vero ex carne aridiore ſeu arefacta; niſi ibi intelligatur cutis illa portio, quæ fit medicamentis epuloticis, diciturque *cicatrix)* eſtque veluti nervus dilatatus & expanſus, firmiter partibus ſibi ſubjectis adhæret. Temperamentum habet temperatiſſimum, præſertim volæ manus cutis, non calloſa reddita. Partes corporis defendit ab externis injuriis. Hunc uſum, nullam vero actionem præſtat.

Cutis pars ſpermatica.

Uſus.

Curat. Cutis portio abſciſſa non regeneratur per medium homogeneum, ſeu ſecundum primam intentionem; ſed per medium heterogeneum, cicatricem ſcilicet. *Non datur enim de privatione ad habitum regreſſus.* Cum itaque natura ſecundum primam intentionem cutim regenerare nequit; quoniam materia ex qua *(ſperma)* deeſt: inventa ſunt remedia, quæ ſimilem quandam partem cuti inducere valent, qualia illa, quæ carnis ſubjectam humiditatem exſiccant, cicatricemque loco cutis inferunt, ac Epulotica dicuntur, *ut ſunt, ſcoria Plumbi, Crocus ♂, Ceruſſa aliquoties lota, Æs uſtum, Chalcitis,* &c. Quæ poſſunt excipi oleo aliquo aſtringente, & cum ſ. q. ceræ in maſſam emplaſticam deduci, ne ſcabritie & aſperitate ſua lædant.

Cicatrix loco cutis regeneratur.

Axioma.

Epulotica.

Nota, ubi cutis portio plane eſt abſciſſa, non conveniunt olea, utpote quæ ſuo lentore poros intrant, humectant, & cicatricationem, quæ fit ab exſiccantibus, impediunt. Si vero cutis portio ſola taliter ſit abſciſſa, præſertim in occipite aut alio aliquo in loco, ut adhæreat adhuc parti, ſtatim in ſitum naturalem eſt reponenda, ac oleo faſciiſque agglutinativis labia conjungenda, & cicatricem inducentia apponenda.

Olea cicatricationem impediunt.

Cutis ſtatim reponenda.

Nota, quodſi cutis portio piloſa ſit ablata, tum in facta cicatrice non regenerari pilos, ob ejus duritiem & denſitatem, quæ a medicamento illo epulotico relinquitur.

Cur in cicatrice non regenerentur pili.

Observationem hic adjicere, non placuit: quoniam vulnera hæc ſunt leviſſima.

CAPUT

CAPUT XX.

De vulneribus capitis cum fracturis cranii.

ANAT. Cranium, quod Græcis κρανίον, Latinis Calva, Calvaria, & Testa dicitur, est os, quod cerebrum, tanquam murus fortissimus, ambit & complectitur. Non ex uno constat: sed ad minimum octo hujus efformant figuram: Quorum 1. est Frontis, Coronale, Inverecundum. 2. 3. Sincipitis Duo, quæ & Quadrata, Verticis, nec non Parietalia dicuntur, inque duas tabulas seu laminas, in medio habentes Meditullium, dividuntur, ac in utroque latere est unum. 4. Occipitis unum, quod in infantibus ex multis conflatur, in provectioribus & adultioribus vero unum conspicitur. 5. 6. Petrosa, Lapidosa duo, a Græcis κρόταφοι, id est, temporum ossa dicuntur, ad utramque aurem unum, in se continent ossicula illa tria dicta, Stapedem, Incudem, Malleumque. 7. Cuneiforme seu Sphenoides. 8. Spongoides, Cribriforme seu Ethmoides. Hoc cranium tegitur membrana a dura matre orta: ab excellentia appellata Pericranium, ac interventu trium suturarum hujus ossa præcipue connectuntur; Coronalis scilicet, quæ in capitis parte apparet anteriori, ubi & fonticuli fiunt, Sagittalis, quæ per verticem recta deducitur ad occipitium usque, ubi efformatur Lambdoides a Græcæ literæ λ figura. Adest adhuc & alia, quæ Mendosa seu Spuria vocitatur, inque partibus lateralibus aurium conspicitur.

Cranium quid.

Cranium ex octo ossibus constat.

Tria auditus ossicula.

Pericranium.

Sutura.

Plura studiosus lector, de his ossibus eorumque processibus ac partibus, ut & de reliquis omnibus, quæ subsequentur, inveniet apud anatomicos, ubi ex professo unumquodque membrum explicant. Sufficiat hic exponere, quid sit pars, quæ vulnerata, unde orta, qualem habeat situm, quale temperamentum, qualemque usum præstet.

Curat. Cranium sex patitur fracturæ species, tres sunt simplices, totidemque compositæ. *Simplicium* 1. Contusio. 2. Rima. 3. Sedes. *Compositarum* 1. Inhærentia seu Ecpiesma. 2. Concameratio. 3. Excisio dicitur, sunt qui addunt septimam speciem, Succisionem. Periculosa sunt cranii vulnera prope suturas ob exortum pericranii; tum & rima utramque transiens laminam: illud autem cogno-

Species fracturarum cranii.

Vulnera prope suturas periculosa.

Dignotio num vulnus penetrat utramque laminam.

cognoſcitur, ſi patienti nares & os occludantur: tum enim per rimam bullæ & flatus deferuntur. Periculo quoque non vacant vulnera cranii talia, in quibus partes ejus intruſæ adhærent acutæ: nam ab illis membranæ, quoniam attolluntur & concidunt, ob motum cerebri, ratione colliſionis, læduntur. Hæc obſervanda, ut oſſa a frigore muniantur, nec adhibeantur olea, *quæ illis inimica*, ſed exſiccantia, *ut in obſervat. latius dicetur.* Ac, ubi os nigrum conſpicitur, ſcalpris & radulis eſt abradendum, ſeparato prius circumcirca pericranio, &c.

OBSERVATIO I.

Curatio cranii rimam habentis primam ſolummodo laminam penetrantem.

VIR quadragenarius corporis habitu pituitoſo & cacochymico, cum vinum nimium indulſiſſet, ac ſcalas aſcendere conaretur, retrorſum decidens non longe a ſutura, quæ LAMBDOIDES dicitur, contuſionem patitur diſtantem. Dolor exoritur, coporis ſupervenit inquietudo, multumque ſanguinis e naribus effluit. Huic, quoniam ſola conſpiciebatur ECCHYMOSIS & CONTUSIO, cute nihilominus integra, abraſis capillis, adhibitum eſt Cataplaſma hoc.

Ecchymoſis. Cataplaſma.

Inunctio.

℞ Summit Abſinthii, Anethi, an. P iiij. Pollinis flor. Chamomill. Melilothi, an. P iij. Roſar. rubearum, Cheiri, an. P ij. Farin. Cicerum, Fabar. an. ℥ j. Hordei ʒ vj. *Cum ſ. q. vini fiat cataplaſma, in fine addendo* Olei Roſat. ℥ js. *Miſce.*

Sectio.

Cumque dolor his non mitigaretur, ſuſpicio oriebatur, aut pericranium ſolum, aut una cum ipſo cranium læſum. Sectio in modum inſtituitur crucis, & intra Cranium & Pericranium materia continetur, os nigricans cum rima primam ſolummodo penetrante laminam, viſitur, quæ nigredo ſcalpris ad meditullium uſque abraditur, aſpergitur poſtea os pulvere appropriato. Apponitur vulneri digeſtivum, quo portiones illæ contuſæ, & ſanguis effuſus partim digeratur, partim putreſcat, partimque mundificetur, ſecundum Gal. 3. & 4. method. med.

Rima primam ſolummodo penetrat laminam.

Mundificativum.

℞ The-

℞ Therebint. lotæ in aq. Malvar. ℥j. Ungt. Dialth. cum G. ʒiij. Myrrhæ ℈ij. Ungt. Ægyptiaci ʒjs. Vitell. ovi q. ſ. *Miſce.*

Carne contuſa ablata, nova regeneratur balſamo ſupraſcripto, interim partes cranii eouſque pulvere aſperguntur nudæ, donec paulatim carne obducantur, ubi & tandem *emplaſt. diapomphol.* cicatrix inducitur.

OBSERVATIO II.

Ex caſu rima contrahitur ambas laminas penetrans, Deliriumque ſubſequitur.

JUvenis 14 ætatis ſuæ anno, arborem conſcendens, fracto ramo, decidit, unde caput ingenti vulnere excipitur, vomit, delirat, convellitur, ſtatim ſanguinis, qui aderat, fluxus ſiſtitur, crines abraduntur, profunditas inquiritur. Rima, per quam bullæ, flatus & materia, ore naribuſque clauſo excernitur, conſpicitur. Quoniam delirabat ac mente vacillabat, dolorem ſedantia ac convenientia adhibebantur. Altera die, dum paululum ad ſe rediiſſet, ac ipſi de emolumento terebrationis diceretur, ipſumque, niſi hanc admitteret, de vita periclitaturum, pronunciaretur, avidiſſime ut operatio inſtitueretur, expoſtulabat, confortativa aqua præſcribitur, alvus clyſtere ſubducitur, & terebratio, duobus firmiter famulis caput apprehendentibus, eo, quo infra dicetur modo, inſtituitur. Diæta interim exquiſita & conveniens ordinatur, vulnus poſtea ſimili modo, ut in hac ſequenti obſervatione legi poteſt, tractatur.

Symptomata.

Rima utramque penetrans laminam.

OBSERVATIO III.

Vir, ſepties in una capitis parte trepaniſatus, convaluit.

PAtavii dum eram, Præceptor meus ſemper colendus, Clar. & excell. D. ADRIANUS SPIGELIUS Bruxellenſis V. M. D. chirurgiæque ibidem profeſſor ordinarius, & anatomicus in primo loco, aurigam ſub cura habuit, cui erat inflictum

vulnus

vulnus in parte dextra capitis cum contusione & rima cranii. Huic, quoniam metuebat sanguinem collectum sub cranio, lenientibus clysteribusque alvum subduxit, optimamque (*ut solet*) diætam præscripsit, vulnusque, quo liberius ac melius trepanum adhibere posset, in modum crucis dilatavit, ac refrenato sanguinis cursu, una die tertio, tertia secundo, & paucos post dies de novo secundo trepano cranium perforavit, ita ut septies in una capitis parte, in osse scilicet sincipitis, patiens hic fuerit trepanisatus, magnaque cranii portio exemta. Taliter postea vulnus tractavit; Primo aspersa est dura mater hoc pulvere.

Numerus trepanorum adhibitorum.

Pulvis ad ossa denudata.

℞ Cortic. thuris ℈ js. Rad. Aristolo. rotund. Irid. Illyr. Peucedan. an. ℈ j. *Misce : fiat pulvis in modum Alchool.*

Ac supra pulverem, positum est linteum filo strictum, & oleo rosato imbutum, cranium quoque præcedenti pulvere aspersum, labris vero vulnerum tale digestivum est impositum, & quidem filamentis carptis tepide.

Digestivum.

℞ Terebint. Venet. lotæ in aq. Veron. ℥ j. Mastich. ʒ j. Olei rosat. comp. ʒ ij. Vitell. ovi q. s. *Misce.*

Emplastrum adhibitum album coctum, Inunctio facta est capitis ex *ol. rosat. & cheirin.* linteaminaque madefacta & expressa in vino rubro cum herbis capitalibus cocto, fascia (*dicitur cancer*) circum ligabantur, singulisque diebus secundo medicamenta renovabantur, Ossis eminentiæ & nigredo scalpris abradebantur. Mundificato postea ac absterso vulnere incarnans adhibebatur, quod apud Italos est in usu, diciturque *ungt. de Betonica*, conficiturque ex *foliis Beton. Verben. Pentaphyl. Matrisil. Hyperic. Rosmar. Salv. maceratis in vino generos. cum oleo Hyperici, Rosar. ad vini consumt. coct. addit. postea Terebinth. Resina, Gummi Elemi. & ceræ s. q. pro conficiendo ungt.* Vulnus autem non consolidabatur antequam desquamatio facta, quæ plerumque terebrationem & quidem copiose subsequitur, tandem cicatrice inducta, quod mirum, vix præter febriculam & dolorem, aliudque supervenit symptoma, convaluit.

Fascia cancer.

Abrasio ossis.

Desquamatione facta vulnus facile consolidatur.

METHO-

METHODUS

In adhibendo trepano, ejusque administrationis causæ.

TRepanum variis de causis adhibetur, ubi adest vel contusio, vel rima, ac ubi metus est, ne contineatur sanguis sub cranio, qui postea progressu temporis, ubi computruit, excitet inflammationem, phrenitidem, apoplexiam, &c. *Ea enim est sanguinis natura, ut extra venas contentus, statim putrescat.* Methodus autem illa in trepani applicatione observatur. Si corpus est plethoricum, vena prius secatur, & si tempus permittit, leniens exhibetur: Novaculis capilli abraduntur, & labra vulnerum, si non satis ab se invicem distent, sectione facta in modum crucis scalpello, cujus cuspis, pro cautela sit munita cera: sic enim melius deduci possunt, sejunguntur, pericraniumque, quantum fieri potest separatur: nam tum facilius & levius trepanum infigitur: labra interim muniuntur filamentis carptis, ne inter circumagendum lædantur. Diductis itaque labris, quatuor ad minimum chirurgus in promtu habeat trepana (duos scil. mares, duasque fœminas) oleo rosato inuncta: sic enim leviori cum negotio, & minori cum dolore circumactio fiet. Primo autem chirurgus marem arripiat (dicitur autem mas ad fœminæ differentiam, quæ, ut ille, cuspidem in medio non habet) firmiterque cranio infigat, ac quinquies vel sexies circumagat, alium postea sumat marem oleo inunctum, eum tamdiu circumducendo, quousque ad secundam pervenitur laminam; ubi fœmina adhibenda; & aliquoties circumvolvenda, novaque & altera, tamdiu postea circumducenda, donec perforatum sit cranium, & tum excisa pars cranii trepano inhærebit. Causa vero, cur toties mutanda sunt trepana, fit vel ratione partis (nam si uteremur mare usquequo totum perforatum esset cranium, tum ratione cuspidis & stili, quo mas armatur, ut firmius in principio infigi possit, læderetur cerebrum aut ad minimum meninges) vel ratione caliditatis, quam acquirit trepanum ob circumactionem.

Sanguis extra venas positus statim putrescit.

Labia disjungenda.

Numerus trepanorum & quomodo applicanda.

Cur toties trepana mutanda.

Cur mas primo infigendus.

NOTA. Non utendum esse trepanis prope ipsas suturas, vel in eis, propter exortum membranæ dictæ pericranium. Post trepanisationem quænam applicanda sint, ea superiori observatione tradita sunt.

Cur non applicanda trepana prope suturas.

CAPUT

CAPUT XXI.

De membranarum vulneribus.

Dura mater.

ANAT. Ablato cranio conſpicitur membrana, quæ Dura Mater, ſeu dura meninx dicitur. Immediate ea calvæ internam tangit partem, eſtque pars ſpermatica, ſimilaris : duplicata cernitur, venas recipit, paucaſque arterias. Dividit medullam capitis in partem anteriorem & poſteriorem : hanc cerebrum, illam cerebellum vocatam. Cerebrum præterea interventu hujus membranæ in partes laterales dextram & ſiniſtram dirimitur, ac portio, quæ dividit falx a figura, quam obtinet, dicitur, proin quatuor efformat ratione duplicaturæ ſinus : aliquantulum laxior eſt pia matre. Pia Mater, quæ & tenuis membrana & meninx appellatur, non eſt adeo craſſa, nec duplicata, ut altera : oritur quoque ex ſemine, immediate cerebro adhæret, ac per omnes gyros & anfractus defertur, quamplurimis abundat venis & arteriis. Ipſum denique cerebrum, ne huc illucque fluat, comprehendit, & amplexatur, &c.

Sinus duræ matris.
Pia mater.

Quæ ſubſequantur læſionem membranarum.

Curat. Ubi membranæ cerebri ſunt læſæ, dolor adeſt maximus, vomitus ſubſequitur, nec non delirium, convulſiones, oculique & facies rubent. Conveniunt medicamenta temperata non nimis frigida, nec acria, nec calida : ſed anodyna, quæ dolorem demulcere valent, *ut eſt ole. roſat. lumbr. ſupra meningem (ſi modo cerebrum non eſt læſum) poſitum, vel Syr. de roſis ſiccis*, &c.

Vulnerata pia matre cerebrum & læditur.

Notandum, quod & interdum membranæ non ſunt diſruptæ (*pia enim vulnerata, non vero dura, & cerebrum quoque ex neceſſitate læditur*) & nihilominus pus generatum eſt intra duram & piam matrem : ut ex ſequenti liquet obſervatione.

OBSERVATIO IV.

Ex collectione puris intra duram & piam matrem gravia oriuntur ſymptomata.

Pugili xiphomachæra taliter cranii portio incidebatur cum cute, ut oſſi & cuti adhuc ex parte adhæreret, & non ſecus

ſecus ac rima appareret. Abraſis capillis convenientia adhibita fuere remedia: oſſis pars pulvere ad oſſa denudata accommodato aſperſa, Vulnus digerentibus tractatum, ac conveniens diæta præſcripta. Tertia die de dolore conqueritur & quidem graviſſimo ac gravativo, evomit, interdumque convellitur, oculi, ut & facies rubent: ſuſpicio oritur, materiam collectam eſſe vel intra cranium & duram, vel hanc & piam matrem. Quare prius cutis cum pericranio ſeparatur a cranio, (*hæc enim non ab illo ſejungebatur niſi ex qua parte os ab oſſe, ſed firmiter adhærebat*) poſtea radulis & ſerris portio quædam oſſis aufertur, ac, quantum neceſſitas poſtulabat, cranium dilatabatur (*trepanum adhibere non erat tutum, quoniam prope ſuturam*) nihil, uti ſperabatur, effluit, ſed dura mater in tumorem elata conſpicitur, quæ caute ſcalpello, cujus paululum incurvabatur cuſpis, ne pia læderetur mater, inciditur, maxima copia ſaniei ſubtus collectæ effluit, quæ quo non intra cranium diffunderetur, os & nares firmiter claudebantur, (*tum enim facilis fit evacuatio.*) filamentis carptis & goſſipio mundo excipiebatur, poſtea ex ſequenti aliquid infundebatur tepide.

Dolor tertia die.

Abraſio oſſis.

Tumor duræ matris, & pus intra hanc & piam collectum.

℞ Syrup. de Roſis ſicc. ℥ s. De ſucco Betonic. ʒ vj. Olei roſat. complet. ʒ ij. Sanguinis Dracon. Maſtic. ſubt. pul. an. ℈ j. *Miſce.*

Ac ſupra imponebantur fila eadem materia illita, & eouſque in appoſitione horum medicamentorum perſiſtebatur, donec pus tam ex capacitate cranii, quam ex vulnerum labris evacuatum eſſet, ubi tandem adhibebantur incarnantia (*interim tamen oſſis pars, quod ſemper faciendum, eouſque pulvere aſpergitur, donec ex toto tecta*) ultimoque cicatrizantia, priſtinamque ſanitatem recuperavit.

CAPUT XXII.

De vulneribus cerebri.

ANAT. Medulla capitis CEREBRUM dicta, ſubſtantiam habet ſpermaticam, albam & mollem, ex puriſſimo ſemine & ſpirituum portione procreatur, ac in calvaria continetur. Dividitur in partem anteriorem & poſteriorem: anterior *Cerebrum*, poſterior *cerebellum* dicitur. CEREBRUM tempe-

Cerebrum quid.

Diviſio cerebri.

Cerebri temperamentum.

temperamento eſt frigido, multas habet circumgyrationes, ut & venas & arterias, ac, interventu membranæ *Falcis*, dividitur in latus dextrum & ſiniſtrum, non tamen per totam ſubſtantiam, ſed tantummodo ad *corpus calloſum* & ablatis his partibus ſequentia *conſpiciuntur*, *Duo* PROCESSUS MAMMILLARES, 4. VENTRICULI, 1. 2. anteriores, 3. in medio, mittitque ductum ad INFUNDIBULUM ſeu PELVIM, necnon ad quartum ventriculum : 4. ad cerebellum defertur, duoque anteriores dividuntur interventu corporis calloſi portione dicta SPECULUM LUCIDUM: in his quopue reperitur PLEXUS CHOROIDES ſeu RETE ADMIRABILE. Ulterius & in poſteriori loco NATES, TESTES, PENIS, qui & CONARIUM dicitur, VULVA, conſpiciuntur. His perſpectis partibus offert ſeſe CEREBELLUM, in poſteriori calvariæ parte ſitum, quod cerebro undecuplo minus, magis latum, quam longum, circumvolutionibus deſtituitur, & illarum loco lineas ſtriatas & incurvatas, ſubſtantiamque cerebro ſimilem habet, colore variat, qui eſt cineritius, duobuſque donatur *proceſſibus* a vermium forma, VERMICULARIBUS ſic dictis, quartuſque ad illud defertur ventriculus, Inque anteriori, cerebri parte locatur *Phantaſia*, in poſteriori *Memoria*, in media *Ratiocinatio*, &c.

Partes in cerebro.

Cerebellum.

Proceſſus vermiculares.

CURAT. Conducunt cerebro vulnerato (*quamvis ipſius vulnera ſecundum Hippoc.* 6. *Aphor.* 18. *&* 50. *rurſum* 7. *Aphor.* 60. *&* 52. *ſunt. lethalia)* illa medicamenta, quæ dolorem ſedare, & demulcere, materiam abſtergere & exſiccare, cerebrumque in ſua temperie conſervare poſſunt, linteis quam ſubtiliſſimis illita, vel inſperſa, Fugienda ſunt *pinguia & oleoſa*, utpote, quæ cerebri poroſitatibus ſeſe inſinuant, & quo minus materia evaporet, prohibent, &c.

Cerebro vulnerato quæ conveniant.

Pinguia cerebro inimica.

OBSERVATIO V.

Magna cerebri portio exemta, nihilominus ſupervivente homine.

HOminem, ablata etiam inſigni cerebri portione, ſupervivere poſſe, ſequens teſtatur obſervatio. Viro alicui robuſto impingebatur gladio vulnus circa anteriorem capitis partem, ex quo primis diebus *Parens meus* LUDOVICUS GLAN-

DORP

DORP *chirurgus* magnas ossium portiones, tandem & tantam cerebri partem, quantam vix poterat capere medietas putaminis ovi, excepit. Huic adhibuit remedia, quæ inferius præscribentur. Convulsionibus interim correptus fuit, quæ tamen septima die eum deseruerunt: ubi suborta est paralysis oppositi lateris; a vulnere curatus evasit, & post duos annos peste obiit: vini portionem exiguam, post curam, ut & clamores ac sonitus tubarum, tympanorum, ac tormentorum bellicorum vix perferre poterat.

Ossium & cerebri exemtio.

Ex convulsione paralysis.

OBSERVATIO VI.

Ob læsionem cerebri male tractatam in principio, 17 die subsequitur mors.

ADolescenti 20 ætatis suæ annum agenti, corporis habitu robusto ac sanguineo, duo circa os parietale, non longe ab se invicem distantia vulnera, mallei quadrangulari cuspide inflicta fuere. Hic, quum in oppido commoraretur, & hac de re cognatum celare vellet, accersiri curavit barbitonsorem ibidem habitantem, qui dum vulnera exigua esse cernebat, facillimo negotio, imo octo dierum spatio se curaturum pollicebatur: profunditatis investigationem neglexit, emplastrum ex minio, & oleo lini confectum ad septimum usque diem apposuit, octavo ob insignes dolores, de quibus conquerebatur decumbere coactus, ubi medicum tandem ibi vicinum in consilium cognatus advocat, qui & neglecta inspectione, & posthabita profunditatis investigatione, vulnera solummodo cutanea esse, nec cranium permeasse afferebat, jussitque, ut conficerentur tentæ ex radice consolidæ majoris, quo vulnera possent dilatari. Barbitonsor duas componit, easque satis longas, ac ultra pollicis latitudinem, vulneribusque illitas linimento, quod pro ingrediente habet *æs ustum*, recta deorsum versus immittit, nec cranium perforatum advertit. *Patiens* de nocte os & dentes comprimit, convulsionibus obruitur; *Parens meus* altera die summo mane accersitur, comitatur D. JOHANNES ab HEIMBACH. M. D. necnon JACOBUS DENTZ (piæ memoriæ) PHARMACOPOEUS, & ego, qui tunc temporis Medicinæ & chirurgiæ eram studiosus: invenimus Medicum cum Barbitonsore, statumque ægri exquirimus, & an vulnera

Vulnera capitis neglecta a barbitonsore.

Dolor octava die.

Concilium Medici.

Convulsiones oboriuntur.

(quod facile ex symptomatibus colligi poterat) penetrarent, interrogamus, responsum ambo unanimiter & constanter negabant. Emplastra, fasciasque deponimus, fœtorem percipimus, ac quidnam sibi vellent tentæ istæ crassæ ac longæ (*vix enim poterant extrahi, neque filo erant strictæ*) scire desideramus: aiebant, dilatationis causa factas esse, quod quam impossibile est, unusquisque judicare potest. Ulterius vulnera tractare & mundificare, dum conamur, cerebri motum evidenter conspicimus, ejusque portiones excerni contemplamur: quas dum Medico offerebamus, ipse nihilominus cerebrum læsum negabat, pusque illud solummodo esse albicans, aiebat. Propositum statim a patre meo fuit, ut ex duobus vulneribus unum fieret, in que medio instituer etur trepanisatio: metuebat enim parens (*ut & eventus postea edocuit*) portiones quasdam cranii impressas, intusque latere, speciemque illam fracturæ cranii, quæ ECPIESMA dicitur, adesse; at amici permittere nolebant. Febris insuper aderat magna, Pulsus velox, celer, ac interdum convulsivus, delirium, corporis inquietudo, Vigiliæ perpetuæ. Quare statim præscriptum est, ut abraderentur capilli, & caput inungeretur, *ol. ros. cheirin. & irin.* Vulneribus imposita sunt filamenta carpta filo alligata, & sequentibus illita.

Fœtor ex vulnere prodit.

Motus cerebri, & excretio per vulnus.

Cerebrum pro pure judicatum.

Consilium Parentis.

Ecpiesma.

Abrasio capillorum.

Inunctio.

℞ Mellis rosat. simp. ℥ j. Syr. de rosis sicc. ℥ s. *Misce.*

Pulvis.

Supra quæ filamenta inspersus est pulvis hic, ut & supra os denudatum.


℞ Cortic. Thuris. ℈ j. Radic. Tormentill. Iridis. Illiric. Caryophyllat. Flor. Rosar. rubear. an ℈ s. Sanguin. Dracon. ℈ j. *Misce fiat pulv. subtil.*

Emplastrum de Betonic. fuit applicitum; ut & linteamina in vino rubro madefacta valideque expressa, ligaturæ & fasciæ molles & laxæ adhibitæ: secundo quidem venæ sectionem tentaverant, sed frustra; sanguinem enim educere non potuerunt. Clysteres præscribebantur, sed illorum usum (*ut plerique omnes Germani*) reformidabant. A qua fuit ordinata *Epilept. Lang. & Apopl.* ut & inunctiones pro nucha, & spina, *ex oleo vulpin. de castoreo*, &c. Ille autem die 17. ex hac miseriarum valle maximis cum convulsionibus discessit. Post mortem caput aperiebatur ac cerebrum ad ventriculum quasi usque anteriorem putrefactum

Apertio capitis post mortem, & quæ inventa.

trefactum & ſphacelatum conſpiciebatur : Præterea cranio *(ut & parens metuebat)* in parte interna verſus cerebrum ejuſque membranas adhærebant fruſtula oſſis, in uno loco tria, in altero quatuor acuminata. Unde etiam ſi cerebrum non fuiſſet læſum ex ictu, tamen lædi debuiſſet, ob acies oſſium in parte interna.

Hæc figura monſtrat cranii internam partem.



1. Vulnera duo cum fruſtulis oſſium acuminatis.
z. Spatium inter duo vulnera.
3. Portio ſuturæ ſagittalis.

OBSERVATIO VII.

Ex inſigni oſſis contuſione, cerebroque vulnerato mors.

PUer ſex annorum cadens, verticem ſummopere contudit, & ipſum os in minutiſſimas partes conquaſſavit. Dilatata ſtatim fuit ſcalpello caro, quo oſſa poſſent eximi, & materia effluere : viſum eſt cerebrum exſilire cum fœtore maximo, ut & inſignes convulſiones ſupervenere, tamen non ante 7 diem ſeſe manifeſtantes, quo & ipſe in Paroxyſmo mortuus Epileptico, medicamenta interim applicita, quæ in ſuperiori præſcripta obſervatione.

OBSER-

OBSERVATIO VIII.

Ex læſo anteriori cerebri ventriculo ſiniſtro die 7. mors.

VIR quidam robuſtæ complexionis ac perverſæ naturæ cum de nocte aliis inſidias ſtrueret, in foveam, quam illis fecerat, cadit. Dum enim ipſe obvio cuidam pugionem in cor intrudere conatur, alter retrocedens paululumque agilior triangularem & acuminatum pugionem (*ab Italis vocatum ſtiletto*) extrahit, valenter inſectatur, uſque quo potitur inſidiatoris, in terram projicit, pugionemque parti muſculi temporalis tam valido nixu intrudit, ut non ſolum per cranium, ſed ad ſiniſtrum uſque pertingeret ventriculum : & ſic aufugit. Vulneratus domum ſe nihilominus confert : vena ſecatur ſtatim, permittente plethora. Interim oritur febris, vomitus, delirium, ac alia die vulnus diſligare non fuit tutum, propter arteriæ quæ in temporibus perſentitur, læſionem, ad tertium uſque relinquitur diem : hoc autem ſequenti hæmorrhagia prima die ſiſtebatur.

Vulnus muſculo temporali intruſum, cerebrum lædit.

Faſciæ ad tertium uſque relinquuntur diem.

Hæmorrhagia curata.

℞ Boli Armen. ver. ʒ ij. Far. volat ʒ iij. Thuris. Sanguin. Dracon. an. ʒ j. *Miſce, fiat pulv.*

Et permiſceatur albumine ovorum bene conquaſſ. ſtupaque cannabina excipiatur. Tertia die aqua roſar. tepida ſtupa mollificabatur, ut levior, & magis periculo vacans detractio fieret; deprehendebatur cerebrum (*quamvis vulnus anguſtum*) effluxiſſe & effluere : ordinabatur pulvis hic.

Pulvis.

℞ Radic. Irid. Florent. Pentaphylli. Lapid. Ematit. Terræ ſigill. an. ℈ j. Cortic. Thuris ʒ j. *Miſce, fiat pulv. ſubt.*

qui inſpergebatur, ac ſupra illum imponebantur fila carpta, filoque alligata, parti vero carnoſæ & muſculoſæ digeſtivum illud.

Digeſtivum.

℞ Terebint. Venet. lotæ in aqua Beton. ʒ vj. Myrrhæ ʒ j. Vitell. ovi q. ſ. *Miſce.*


os aperire non poterat, ob læsionem musculi temporalis, de quo suo loco mentio fiet. Quare, abrasis capillis inunctio facta est ex *oleo rosato lumbricato & liliorum alborum*, loco emplastri appositum *Ungt. album coctum*, cum cataplasmate sequenti. Cataplasma.

℞ Folior. Betonic. Salviæ. Rosmarini an. P ij. Rosarum. violar. an. P iij. Flor. Chamomil. Melilot. Summitatum Anethi Absinthii an. P j. Farin. Hordei ℥ ij. Lupinor. Orobi an. ʒ vj. *Cum s. q. vini rubri fiat cataplas. in fine addendo* Olei Rosat. compl. ℥ j. Violat. ℥ s. Vitell. ovi N. 1. *Misce.*

Die quinta accedebat erysipelas cerebri membranarum, ut ex oculorum rubore colligere licebat, deliriumque indies augebatur, ut nec fascias, nec emplastra, nec quicquam, quo caput ligaretur, permitteret: tandem adhibita est illa, quæ *cancer* dicitur, quæque in medio lata, ac in sinistra & dextra parte quatuor habet pedes seu tendines, quorum duo incipiunt a temporibus, & desinunt in occiput, duo oriuntur ab occipite, & vice versa combinantur in sincipite, duo post, totidem ante aures deflectuntur, & sub maxilla colligantur. Hoc que genus fasciæ optimum est & accomodatissimum in vulneribus calvariæ, necnon totius capitis: firmiter enim continet ac apprehendit: & sic septima die misere ex hac migravit vita.

Erysipelas cerebri membranarum.

Fasciæ descriptio.



A Pars, quæ comprehendit calvam.
B B Duo pedes qui in occipitio,
C C C C quatuor pedes, qui sub mento } *combinantur.*
D D duo pedes, qui in sincipite

OBSER-

OBSERVATIO IX.

Mulieri 22 vulnera infliguntur, unde varia ſymptomata, & tandem mors.

MULIER quædam vix habens ætatis ſuæ annum trigeſimum, dum ſub noctem negotiorum ſuorum cauſa per plateas diſcurreret, incidit in manus hominis nequam, qui, ubi ipſius improbæ voluntati ſatisfacere recuſabat, framea ſua illi XXII inflixit vulnera. 1. Erat circa papillam mammæ dextræ, ubi iris, non tamen penetrabat. 2. Inter 11. & 12. thoracis vertebram, ſpinalemque medullam perforaverat. 3. In muſculo cucullari, non tamen recta, ſed deorſum ferebatur. 4. In collo prope œſophagum & tracheam arteriam, illumque cum nervo recurrente læſerat. 5. Attingebat muſculum temporalem, illumque una cum prima & ſecunda lamina cranii, imo & meningibus ad cerebrum uſque perforaverat. Reliqua continebantur in collo, capite, & thorace, nullaque alia, præter nominata, penetrabant. Hæc mulier permanſit in platea (*erat autem hyems*) ad tres uſque horas, multum ſanguinis evomuit, loquela ei intercepta fuit, partes inferiores omnes ſenſu & motu deſtituebantur, ſuperiores convellebantur. Aderat *Carus*, menſeſque ſuboriebantur. Abraſi ſunt capilli, quamplurima inventa vulnera in capite, ſed non penetrantia, excepto uno illo (*ut dictum*) in muſculo temporali: unde motus maxillæ inferioris impediebatur, & *carus* propter læſionem cerebri & membranarum exoriebatur; Eſt autem CARUS nihil aliud, niſi ſomnus longus, profundus, ex quo æger difficulter excitari poteſt, cum læſione principum facultatum, præſertim imaginationis, ſine reſpirationis noxa. Imaginationem autem fuiſſe læſam, hinc maxime colligere licebat, quod flocculos carpebat, linteaminaque digitis huc illuc (*ubi motus aberant convulſivi*) ponebat, nec non illa omnia peragebat, quæ illi, qui ex imaginatione læſa laborant. Imaginatio autem plus quam reliqui ſenſus, erat labefactata, quoniam in parte anteriori (ubi ſedes eſt ipſius) erat vulnus. Superiores partes convellebantur, quia puncta ſpinalis medulla: Sanguinem in maxima copia evomebat, quandoquidem penes OESOPHAGUM repentes venæ, una cum ſtomacho erant inciſæ;

Symptomata ex his vulneribus.

Quid carus.

Imagniatio læſa.

Locus imaginationis

Convulſio partium ſuperiorum.

Vomitus ſanguineus.

cisæ; tum etiam in causa vomitus exsistebat cerebri læsio: Loquelam amisit, ob solutionem continuitatis, quam patiebantur *nervi recurrentes*. Totum caput inunctum est *oleo rosar.* Nucha & spina oleis calidis, *vulpin. costin.* &c. Vulneribus capitis *Cerotum de Betonica*, reliquis *ungt. album coctum* applicabatur. Quoniam vero vulnus, quod erat in supremitate musculi temporalis, perforans cranium, cerebrumque penetrans, suspectum fuit, & metus aderat, ne sanguis (*quia non evacuabatur*) putresceret, propositum fuit, ut trepano dilataretur cranium: approbatum quidem: at, quia delirabat, pulsus formiculosus, morsque præ foribus conspiciebatur, non tentatum; ne remedia, quæ aliis fuere proficua, diffamarentur: obiit circa vesperam alterius diei, non recuperata loquela neque etiam sensu.

Aphonia. Qui facta.

CAPUT XXIII.

De vulneribus musculorum maxillæ, & præsertim temporalis.

ANAT. Homo maxillam habet duplicem, *superiorem* & *inferiorem*, hanc mobilem, illam immobilem. *Superior* ex 12 constat ossibus, exceptis *dentibus*, qui sunt numero in unaquaque maxilla 16 in maribus, in fœminis vero 14, 4 scilicet Incisores, 2 Canini, 10 Molares: musculis, quoniam immobilis, destituitur. *Inferior* in pueris recenter natis ex duobus, in adultis, ex unico tantum constat osse. Quinetiam duos habet processus, unus caput sibi componit oblongum, alter ex lato principio in acuminatum desinit mucronem. Hæc mandibula quatuor movetur musculis, in unoquoque latere, 1. est Temporalis, Crotaphita, implet cavitatem temporum; ac repens subtus os jugale, inseritur in processum maxillæ inferioris acutum, eumque elevat, firmiter ossi adhæret, ac pericranio tegitur, multis abundat venis, arteriis & nervis, 2. In Ore Latitans, qui & os claudit, 3. Digastricus seu Biventer (*quodsi hic pro duobus capiatur, ut aliqui fecere, tum 5 sunt musculi maxillam moventes*) aperit os, 4. Masseter Mansorius, Molitor, est qui cibum dextrorsum, levorsumque in os impellit.

Duæ maxillæ. Maxillæ superior. Dentium numerus. Maxilla inferiorque ejus processus. Musculi maxillæ inferioris.

Vulnus superficiale.

Curat. Illi musculi si sint vulnerati, & vulnus non penetret, nec suturis opus habeat: conveniunt, 1. si materia affluit, Digerentia, 2. Mundificantia, 3. Incarnantia, (*si portio deperdita: alioqui sola sufficit agglutinatio*) 4. Cicatricem Inducentia. Si vero permeat vulnus ad partem usque oris internam: quoniam emplastra eo in loco non possunt apponi, conducunt lambitiva & illinitiones: *de quibus infra.*

Vulnus penetrans.

Emplastra in oris interna parte adhiberi non possunt.

Hic notet chirurgus, dum vulnus est in genis & facie, ut cicatricem, (præsertim in pueris) profundam faciat, in quibus progressu temporis accrescit & augetur caro, cavitasque impletur. Ac, quoniam ex musculis superius citatis Crotaphita seu Temporalis, principatum obtinet, ejusque vulnera, secundum omnium chirurgorum opinionem, sunt periculosa, de illius læsione observationes solas subjicere placuit.

Musculus crotophata principalis.

OBSERVATIO X.

Ex contusione musculi temporalis dextri, paralysis, convulsiones & mors.

Puella quædam annum agens ætatis quartum ex summa delapsa est altitudine, nullam fracturam aut luxationem, si non contusionem cum ecchymosi in capitis dextra parte musculi temporalis, cum nigredine palpebrarum, & intumefactione oculi, habens, amisit loquelam, convulsionibus in principio correpta, ex quibus postea Paralysis oppositi lateris (*sinistri scilicet*) oborta; Abrasi sunt capilli & facta inunctio ex oleis his.

Ex convulsionibus paralysis.

℞ Olei Rosat. complet. ℥vj. Cheirin. Irini, Violat. an. ℥s. *Misce.*

Nucha quoque & spina tota inuncta fuit his.

℞ Olei Vulpini, Ex castor. an. ℥s. Lilior. alborum, Costin. an. ʒiij. *Misce.*

Cataplasma.

Ordinatum quoque cataplasma, quod calide musculo temporali appositum.

℞ Beto.

℞ Betonic. Salviæ, Majoran. an. Piij. Rosar. rub. Primulæ veris, Liliorum convall. an. Piiij. Pollin. flor. chamomill. Melilot. an. Pij. Farin. Hord. Fabar. an. ℥ ij. Orobi ℥ j. *Cum s. q. lactis fiat Cataplas. in fine addendo* Olei violati ℥ js. Vitell. ovi Nj. Croci ℈j. *Misce.*

Dabatur quoque per intervalla cochlear unum aut alterum ex aqua sequenti,

Aqua confortans.

℞ Aquæ Langii Epilept. ʒ vj. Lilior. convall. Acetos. Borag. Bugloss. an. ℥ s. Cinamomi ʒ iij. Sacchar. perlat. ʒ ijs. *Misce.*

Ac quoniam febris aderat, magnus quoque cordis æstus. Epithema pro pulsibus & regione cordis sequens est ordinatum.

Epithema.

℞ Spec. Diamarg. frigid ℈s. Cordial. temperat. Off. de corde cervi an. ℈j. Trium sandal. ʒ s.

Fiant sacculi tres, quibus species indantur, duo oblongi, unus in modum cordis ex sindone, & madefiant in *aquis Nymph. & Borag. an.* ℥ js. LAC MULIEBRE loco colyrii oculo inditum. Permansit hæc puella ad tertium diem sine motu lateris sinistri. Consulebatur interim, ut sectio fieret, quam parentes recusabant, & sic misere circa vesperam diei tertiæ vitam finivit.

Quomodo autem fiat Paralysis in vulneribus & contusionibus cerebri, & qualiter rima contrahatur in parte opposita, huic observationi subnectere operæ precium duxi.

Paralysis, ut cap. II. dictum, cum sit resolutio nervorum, proveniens vel ab amputato nervo, unde & motus & sensus simul perit; vel, ubi hi humiditate quadam irrorantur pituitosa, quo spiritibus non vacet locus. Videndum nunc, quonam modo possit paralysis contingere ex læsione cerebri, & cur contingat in parte opposita.

Duplici modo affectio hæc ob vulnus capiti inflictum communicari potest partibus, nervos ex cerebro & ex spinali medulla ortos habentibus: vel dum cerebrum PRIMARIO, vel dum SECUNDARIO & per consensum laborat. PRIMARIO, cum ipsa cerebri substantia carnosa aut nervosa vulneratur & con-

contunditur, (*tumque vel adeſt contuſio, vel rima manifeſta, vel cæca, vel oſſis inhærentia & impreſſio, raroque fit ſine uno horum*) ac pus materiamque ſibi generat, quæ ubi evacuari nequit, eo modo, qui infra dicetur, Paralyſin alioſque affectus efficit. SECUNDARIO, aut per conſenſum, dum non cerebri ſubſtantia, ſed aliæ partes & quidem oppoſitæ ac in calvaria contentæ ob motum reflexum, ut *venæ & arteriæ* diſrumpuntur, unde ſanguis intra cranium colligitur, & in grumos convertitur putrefitque, quo putrefacto, ſeſe inſinuat in poroſitates cerebri, efficitque, ſi materia fuerit frigida & humida, CARUM: ſi vero hæc eadem ad nervos deferatur ſenſuum externorum, tum hi deperduntur vel ſaltem imminuuntur: ſi ad motivos, Paralyſis inducitur, vel ſtupor. At, ubi materia acris redditur, acrimoniamque quandam acquirit, oboriuntur *Motus convulſivi*, *Epilepſia*, *ſpaſmus*, &c. Cur autem tardius hæc ſymptomata appareant cerebro vulnerato ſecundum partem carnoſam, quam ubi vel nervi aut nervoſa pars pungitur, contunditur; aut alio aliquo modo afficitur ratio eſt, quoniam cerebrum ſecundum partem carnoſam vix ſentit: ſecundum nervoſam vero eſt exquiſitiſſimi ſenſus, unde & facilius vel convulſio, ea puncta vel amputata, paralyſis oboritur. *Adde*, quod grumoſus ille ſanguis non tam facile poteſt concoqui, delatus extra venas a cerebro, quam ab aliis partibus, ob frigidam temperiem, unde & tardius quoque ſymptomata proveniunt læſo cerebro ſecundum partem carnoſam, quam nervoſam. Inſuper pejora & ſæviora hæc evadunt ſymptomata, ſi non adſit exitus pro materia, ſive ille ſit rima, contuſio vel alia aliqua fractura cranii.

Venarum & arteriarum diſruptio ob motum reflexum in capite

Cur citius oboriatur convulſio læſo nervo, quam cerebro.

Et hæc de modo, quo fiat Paralyſis. Nunc explorandum, qualiter & cur in parte ſemper quaſi oppoſita oriatur? Sunt, qui voluerunt propterea fieri, quia ſauciata cerebri pars redditur imbecillis & ſenſum amittit: unde non conatur illud, quod obeſt, expellere, ſed quaſi ſopita jacet: ad oppoſitam vero partem, quoniam defertur, hæcque ſenſu prædita materiam conatur extrudere, ſi fuerit acris, per motus convulſivos, ſi pituitoſa Paralyſin, in qua vel ſenſus ſolus, vel motus, vel ambo ſimul modo antedicto deperduntur, inducit. Cauſam autem, cur deferatur potius ad latus oppoſitum, referunt ad decubitum ægri, quippe quod cogatur ſemper (*præſertim ubi adeſt & vulnus*) in parte oppoſita decumbere: unde materia eo defluit & tranſudat, nec ut in affecta evacuatur. Similiter & contingit in concuſſione, nulla exſiſtente nec fractura, nec rima,

Cur in parte oppoſita paralyſis.

ma, nec etiam vulnere: tum enim cum impetu quodam materia ex venis ruptis effusa vergit ad oppositam partem, ibique putrefit, & vel paralysin, vel alios (*ut superius dictum*) ratione materiæ, procreat affectus. Hæc non est vera & approbata causa, cur fiat potius in opposita, quam vulnerata & contusa. Probabilior est sequens. Ex impetu isto vehementi contusionis (*sive jam adsit vulnus, fracturaque, sive non*) spiritus in affecta contenti parte detruduntur, secum ducentes aliquid materiæ ad oppositam, ubi permanet materia, & nervis sese insinuat; quo spiritus (seu potius irradiationes) non possint intrare nervorum substantiam: unde cum hi non perveniant ad nervos, sensus solus, vel motus solus, vel ambo simul deperduntur, & paralysis inducitur. Quinetiam *decubitus* (*ut superius dictum*) multum javat, ut habeat continuationem. Cur vero sola sinistra, vel dextra sola pars, sensu solo, aut motu solo, vel utroque simul destituatur; ratio est, quia spinalis medulla dividitur interventu membranæ in dextram & sinistram partem, & latus illud, quod a materia molestatur, afficitur solummodo, alterum vero illæsum permanet.

Causa cur vel dextra sola, vel sola sinistra afficiatur pars.

Nunc perpendendum, quomodo fiat rima (sive jam penetret primam solam, sive alteram laminam perinde) in opposita parte. Hujus modum Clariss. ac Excell. FALLOP. tradidit, nec aliter oritur, atque in mortario æneo conspicitur, quod dum percutitur, exoritur inde tremor quidam ex contusione spirituum, qui postea agitat totum corpus, & quoniam est circulare, spiritus illi per utramque corporis circularis partem concurrunt, & in parte opposita (si modo sit continuatio) contusio duplicatur, inque illa fit rima. Similiter & evenit in capite nostro; illud enim quoniam rotundum est, non secus ac mortarium afficitur: & verum hoc esse, percussa una parte, alteram, *oppositam scil.* rimam contrahere, experientia comprobatum est, ac post mortem visi sunt perquam multi, quibus dum aperiretur caput, in parte percussa nil visum fuit: in opposita rima, interdum duplicata, cum abscessibus & sanguine extra venas. *Plura de his & latiora, si quispiam expetit, legat Excell. Fallop. ubi comment. in lib. Hipp. de vulnerib. capit. Andream Laurent. Paræum & Pavium Lugdunens. Anatom. in suo tractatu.*

Quomodo fiat in opposita parte rima.

OBSER-

OBSERVATIO XI.

Ex contusione musculi temporalis Delirium.

PUER annorum 12 capitis sinistram partem ad lignum obtusum allisit, musculum ejusdem lateris temporalem contudit, immotus statim permansit, evomuit sanguinolenta, loquelam perdidit. Confestim abraduntur capilli, inungitur caput *oleo rosat. Empl. de Melilot.* donec cataplasma confectum, apponitur: motus interim revertitur: at imaginatio læsa apparet, quoniam nulla ad rem facientia proferebat, ac fascias rejicere studebat: somno interdum, in quo valde inquietus, obruebatur. Compositum est cataplasma supra scripto simile, quod tepide applicatur, ac fascia, quæ CANCER dicitur, deligatur: circa mediam noctem, quietiorem somnum ducebat: mane melius ad interrogata respondebat, maximosque se persentire capitis dolores, & ventris tormina asserebat. Quare clyster sequens ordinatur.

Quæ adhibita.

Clyster.

℞ Herb. violar. Malvar. an. M j. Altheæ, Betonicæ, Verben. salv. Rosmar. an. P iiij. Radic. Altheæ ℥ j. Sem. Lini, Fænug. an. ʒ vj. Anisi, Coriandri an. ʒ iij. *Bulliant simul in s. q. aq. comm.* Colat. ℥ vij *adde.* Elect. Diacathol. ʒ vj. Olei Rosat. Aneth. an. ℥ j. Sacchar. rub. colat. ʒ x. *Misce pro clystere.*

Postquam hic injectus fuit, per mediam quasi horam illum retinuit, ac tum fæces valde induratas excrevit tertioque alvum hujus beneficio dejecit, magnamque utilitatem percepit, quin & dolores remittebant, tertiaque die ambulabat. At cum tumor appareret in musculo flatulentus, prescriptum est decoctum sequens, in quo spongia madefacta, ac fortiter expressa fuit.

Tumoris flatulenti curatio.

℞ Folior. Betonic. sil. M s. Flor. chamomil. Aneth. Melilot. Rosar. an. P ij. Sem. Anisi ʒ iij. Aquæ, Vini generosi an. ℔ j. *Bulliant ad tertias.*

Quo

Quo per aliquot dies usurpato, flatus discuti cœpere, & appositum est Empl. ex sequenti massa confectum, ac tenui corio illitum.

℞ Cerot. Diapalmæ ℥ s. De melilot. ʒ iij. Olei chamom. q. s. *Fiat massa mollis.*

His adhibitis medicamentis, & convenienti victus ratione, brevi sanitatem recuperavit.

OBSERVATIO XII.

Ex vulnere musculi temporalis, nulla fere symptomata, præterquam quod pars opposita convulsa conspiciebatur.

LANIUS 32 annorum, ebrius in cellam satis profundam delabitur, musculum Crotaphitam totum per transversum vulnerat non secus ac si gladio factum, ut conspiceretur ad auris usque meatum cranium denudatum, longitudoque vulneris ultra quinque digitorum latitudinem, ac instar semilunæ, necnon una portio musculi frontis læsa erat. Hic *(quod mirum)* ne semel quidem de ullo dolore est conquestus, nisi quod maxillam difficulter movere poterat, quæque quasi convulsa videbatur; quotidie, etiamsi prohibebatur, ambulabat, quocunque placebat, omnisque generis cibos inconvenientes assumebat. In hoc vulnere, quoniam metuebatur, ne materia subsideret *(suturam applicare non judicabatur esse tutum)* & in inferiori loco contenta putresceret, sinumque faceret, ac graviora inde exorirentur symptomata; appositæ fuere fasciæ expulsoriæ & compressoriæ, ne pus delaberetur, deorsumque versus vergeret, interim abrasis capillis *(quod semper primo faciendum in vulneribus capitis, cum illa tamen cautione, ne hi plagæ incidant: quare cavitas implenda est filamentis carptis)* inunctio instituta ex *oleo rosato & chamomel.* Pulvere sequenti cranii portio denudata aspersa.

Quæ adhibita.

Pulvis.

℞ Florum stæchad. cheiri. Anthos an. P j. Radic. Iridis, Caryophyll. Tormentillæ an. ℈ j. Cortic. Thuris ℈ ij. *Misce fiat pulvis subtil.*

Illius

Pingua offibus inimica.

Offis abrafio.


Illius cavitas impleta filamentis ficcis carptis; *Pingua enim* (*ut dictum*) *offibus funt inimica.* Vulnerum labris Digeftivum eft admotum, pars vero offis, quæ *fedem* paffa, nigraque confpiciebatur, radulis & fcalpris abrafa, appofitum *emplaftrum de Betonica* cum linteo in vino rubro madefacto ac expreffo, fingulifque diebus fecundo medicamenta renovata, ac maxillæ inferiori *œfypum feu lana fuccida* adhita, cumque jam puris excretio *fifteretur*, nec ullus metus adeffet, fymptomata fupervenire poffe: incarnantia agglutinantiaque (ut balfamum fupradictum) filamentis illitis appofita, afperfa prius cranii parte nuda pulvere, ufque quo tecta ac ex fequenti maffa emplaftra confecta fuere, vix habentia latitudinem medii digiti, ratione quorum labia non fecus ac futura conjuncta.

Labia emplaftris adducuntur.

℞ Minii fubtf. pulveris ℔ s. Olei lini ℔ j. *Coquantur fimul, ut a. e. ad Emp. confift.*

Taliterque Patiens hic multorum tum Medicorum tum Chirurgorum admiratione curatus.

Modus emplaftris adducendi labia eft talis. Superiori parti applicetur unum, & deorfum (*labia conjungendo*) vergat, alterum ab inferiori ad fuperiorem partem contrario (*ut crux efficiatur*) ductu exfurgat, &, prout vulnus erit longum, tot, quot neceffitas poftulat, poterunt fieri cum emplaftris labiorum attractiones, quæ poftea teguntur *cerot. Diapal.*



a a Vulnus.

b b b Finis illorum emplaftrorum, qui a parte inferiori ad fuperiorem ducuntur.

c c c Sunt illorum principia.

d d d Capita feu principia emplaftrorum, qui a parte fuperiori ad inferiorem vergunt.

e e e Illorum fines.

f f f f Circumferentia illius emplaftri quod reliqua tegit.

Hic

Hic quoque non abs re me facturum duxi, si demonstrarem, cur læso dextro musculo temporali, sinister convulsus conspiciatur. Pro cujus enodatione sciendum; duplices seu duos esse musculos *Crotaphitas* dictos in utroque latere unum, quique unum eundemque efficiunt motum, quod si alter læditur & vulneratur, oppositus motum, qualem antea, perficere nequit, quoniam musculi, qui uni inserviunt membro, illud movent vel extendendo, flectendo, adducendo, vel abducendo. Si musculus extendens læsus, flectens corrugatur, si adducens, abducens, & vice versa: ac quandoque est unus flectens quandoque duo; & hi vel sunt in una parte locati, ut duo illis flectentes cubitum, vel in uno latere unus in alio claudens alter, ut in temporibus. Hi musculi talem habent naturam, talique fraternitate conjunguntur, ut, mærente uno, mæreat & alter, dolente uno ac percusso uno, dolorem ac percussionem sentiat & alter: Ubi itaque dexter temporalis est inscissus (intellige non leviter sed profunde, ita ut tota ipsius substantia sit dissecta) ad motum efficiendum destinatum concurrere nequit, sinister vero, quoniam attollere studet, non habens coadjutorem concurrentem ad eundem motum efficiendum, illeque relaxatus est, hunc contrahit, unde ille corrugatus & convulsus, altero sano apparente conspicitur. Simili modo & evenit, ubi tendo, qui ad indicem defertur extendendum, amputatur, tum flectens corrugatur, ac convulsus apparet.

Cur dextro musculo temporali læso sinister convulsus

Numerus musculorum temporalium.

Musculorum fraternitas.

CAPUT XXIV.

De vulneribus musculorum frontis.

ANAT. *Frontis* nomine illa donatur pars, quæ a superciliis incipit, pilis destituta est, & terminatur, ubi capilli incipiunt; Constat ex cuticula, cute, pauco adipe, membrana carnosa, *quæ tamen hoc in loco non pro membrana, sed pro musculis habetur*. Sunt, qui unicum hunc esse musculum voluerunt. At VESAL. REALD. VALVERD. LAURENT. omnesque recentiores anatomici duos fibras habentes rectas fecere, ut & revera ex sectione & demonstratione perspici potest; supercilia elevant, &c.

Frons quæ pars.

Musculi.

Usus musculorum.

CURAT. Ubi hi musculi vel unus horum vulneratus, & quidem per transversum: tum chirurgus, ut quam arctissime

Vulnera frontis quomodo conjungenda.

 labia

labia eorum conjungat, intentus esse debet, ne supercilia prolabantur; nec in generatione carnis diu cunctetur, (*si modo non sit magna substantiæ facta deperditio*) sed agglutinantia, & cicatricem inducentia adhibeat.

Qualis sectio instituenda in fronte.

Præterea notet, ut, dum apostema est in his musculis, vel contusio conspicitur, & sectio molienda, hæc instituatur secundum fibrarum ductum, qui est rectus: facilior enim tum curatio existit, motus quoque non depravatur.

OBSERVATIO XIII.

Ex aliquoties repetita contusione musculi frontis, Delirium.

Ecchymosis.

PUER quidam aliquoties uno eodemque in loco cadens, insignem in fronte contusionem, cum ecchymosi, adipiscitur, delirium, ut & vomitus subsequitur, & cum digestio materiæ contentæ per halitum institueretur, natura suppurationem tentavit; quare sequens adhibitum cataplasma.

Cataplasma.

℞ Medull. panis tritic. ℥ iij. Fol. Malvar. recent. M. s. Betonic. P iiij. Farin. tritic. ℥ j. *Cum s. q. lactis fiat ut a. e. catap. in fine addendo* Olei lilior. albor. ℥ j. Axung. suill. ℥ s. Croci ℈ s. Vitell. ov. N j. *Misce.*

Sectio in frontis musculo.

Cum jam tumor esset auctus, & pus confectum, sectio per rectum facta, tenta sursum vergens imposita inuncta concoquenti & abstergenti; fascia adhibita versus partem inferiorem expellens, ne ibidem colligeretur materia, cum linteo in vino rubro duplicato madefacto & expresso, ac tandem evacuato pure, optimaque habita victus ratione, & incarnatione facta, vulnus cicatrice obducitur, & curatur.

CAPUT

CAPUT XXV.

De vulneribus palpebrarum.

ANAT. *Palpebræ* componuntur ex pericranio, membrana carnoſa, cuticula, cute, & cartilagine, quæ TARSUS dicitur, piliquе prope illum enaſcuntur, qui CILIA appellantur. Numero ſunt in unoquoque ſcilicet latere, duæ. Inferior immobilis, Superior mobilis, quæque trium muſculorum ope movetur, uno ſurſum, duobus deorſum. Uſus palpebrarum eſt, ut his tegantur oculi, quo ab externarum rerum incurſibus, *(præſertim inter dormiendum)* ſint liberiores, *&c.*

Compoſitio palpebrarum.

Muſculi ſuperioris palpebræ.

CURAT. Vulnerum harum partium curatio, fit a medicamentis non nimium pinguibus, ſed exſiccandi vim habentibus, *(oleoſa enim, ob vicinitatem oculi, inimica)* ſi portio carnoſa ex toto eſt vulnerata & diviſa, ſutura labra conjungi debent, acuque totam ſubſtantiam tranſigere licet : Cartilaginoſa vero nequaquam perforanda ; in parte exteriori convenit *Empl. Diapal. vel Diapomphol.* aſt oculo indi poteſt collyrium exſiccans : nam emplaſtra eo in loco admoveri nequeunt.

Medicamenta convenientia.

OBSERVATIO XIV.

Ex vulnere inflicto cartilagini palpebræ inflammatio tunicæ adnatæ.

JUVENI, dum cœlum verſus reſpiceret, ex tecto lapillus ſupra palpebram decidit ſuperiorem, eamque cum cartilagine læſit, continuitatemque ex toto ſolvit. Sutura ſtatim fit, & partes cutis acu ſolummodo perforantur, illæſa cartilagine. Oritur magna inflammatio tunicæ adnatæ, & palpebræ, dolorque (oculo nihilominus exſiſtente ſalvo) vulneri apponitur agglutinativum, cum Emplaſtro Diapalmæ, oculo vero inditur collyrium, fit venæ ſectio, nec non cucurbitulæ ſine ſcarificatione, ſed cum maxima flamma ſcapulis applicantur, victuſque bona præſcribitur ratio : collyrium erat tale.

Sutura.

Collyrium.

 ℞ Sem.

℞ Sem. Melon. recenter excort. ℥ s. Aq. Rosar. Euphras. Plantagin. an. ʒ vj. *Contund. semina Melon. in mortar. marmor. cum s. q. aquar. suprad. & col. quam affunde alteri aquæ, ac adde* Terræ sigillat. optim. Tutiæ Alexand. præp. an. ℈ ij. *Quæ ligentur in petia & suspend.*

Pilulæ.

Ac quoniam corpus erat valde cacochymicum, præsertim caput summopere humidum, ordinat. fuere pil. hæ.

℞ Mass. pilul. Lucis maj. ʒ s. Ext. pilul. cochiar. ℈ s. Diagrid. Gr. ij. *Cum s. q. olei Anisi chymica arte præp. fiant pil. N. V. & inaurentur.*

His adhibitis inflammatio sedatur, reliqua symptomata profligantur, ac filamentis carptis empl. Diapomph. illitis, cicatrix inducitur, feliciterque, vix ullo apparente vestigio, curatur.

CAPUT XXVI.

De vulneribus oculorum.

Compositio oculi.

Tunicæ.

ANAT. *Sub* nomine oculi, totam comprehendo instrumenti istius, quod visui dicatum, compositionem; Quatenus scilicet ex variis constat partibus, VENIS, ARTERIIS, NERVIS, TUNICIS, ADIPE, GLANDULIS ET MUSCULIS. MEMBRANÆ SEU TUNICÆ sunt numero, pro ut aliquis eas distinguere vult, 5. 6. 7. 8. Hic 8 enumerabo. 1. ADNATA, FUNDA, CONJUNCTIVA, oritur a Pericranio. 2 Innominata a tendinibus musculorum. 3. CORNEA in parte anteriori, potestque findi in tres vel quatuor laminas. In posteriori 4. SCLIROTIS a dura matre. 5. UVEA, RHAGOIDES in parte anteriori foramen PUPILLA dictum constituit, in posteriori 6. CHOROIDES, a pia matre, 7. ARANEA, ARACHNOIDES ab excrementis humoris crystallini 8. RETIFORMIS, RETICULARIS, AMPHIBLESTROIDES dicitur, ab ipso nervo optico ortum habet. HUMORES numero gaudent ternario, 1. AQUEUS seu ALBUGINEUS, inter uveam & humorem crystallinum. 2. CRYSTALLINUS & GLACIALIS, tunica tegitur Arachnoide. 3. VITREUS, quem tunica complectitur reticularis. MU-

Humores

SCULOS

SCULOS aliqui ſtatuunt 6, alii 7. 1. ATTOLLENS, SUPERBUS, 2 DEPRIMENS, HUMILIS, 3. ADDUCENS, BIBITORIUS 4. ABDUCENS, INDIGNATORIUS, 5. 6. OBLIQUI, AMATORII, CIRCULAES, FALLOP, addit cartilaginem quandam eamque a 5 oriri aſſerit, nomenque TROCHLEÆ indidit. VESAL. 7. adjungit, ORBICULAREM, SUSPENSORIUM, qui ambit nervum opticum. ADIPE præterea oculus conſtat copioſo, ratione cujus facilior exiſtit motus: NERVOS duos unus OPTICUS, alter OCULI MOTORIUS. VENAS inſuper & ARTERIAS habet: cavitas ſpectans naſum dicitur canthus major & internus, ac ibidem eſt *caruncula lachrimalis*; aurem vero reſpiciens, externus & minor. Uſus oculi eſt, ut inſerviat viſioni.

Muſculi. Adeps. Nervi. Venæ Arteriæ.

CURAT. Oculo itaque læſo tuniciſque paſſis ſolutionem continuitatis, ſtatim repellentia applicare licet, propter partis præſtantiam, poſt aures & in Nucha attrahentia & veſicantia, venæ ſectio, *(ſi vires & ætas permittit)* ſcarificatæ & non ſcarificatæ cucurbitulæ ſcapulis affixæ, anodyna, dolorem mitigantia, inflammationem arcentia, exſiccantiaque conducunt. Cavendum interim, ne vel minima pars olei oculum ingrediatur (*illud enim, ut aurium membranis eſt amiciſſimum, ita his eſt inimiciſſimum*) ſed ingredientia ſint exſiccantia & corroborantia, locetur in loco obſcuro, capite elatiori, ſomnus evitetur, præſertim poſt cibum, oculi ambo faſcia tegantur, ne, dum uno aliquid aſpicere conatur, alium quoque moveat. Nam, ubi unus movetur & alter: dum unus dolet, & alter, & hoc propter nervos, venas, & arterias, quas habent communes.

Quæ adhibenda. Oleum oculis inimicum, auribus amicum. Conſenſus oculorum.

OBSERVATIO XV.

Læſa cornea humor effluit aqueus, viſuſque recuperatur.

NObili viro, qui ab alio vocabatur in duellum, inter digladiandum vulnus infligitur in parte illa corneæ, quæ diaphana eſt, paululum ad latus, humor aqueus effluit, ingentes perſentit dolores, febris ſupervenit, vena ſtatim ſecatur in brachio ejuſdem lateris, & quidem cephalica, ad ℥ vj ſanguis extrahitur, oculo (quoniam nihil aliud habebatur in promptu) appo-

Vulnus corneæ ex quo aqueus efluit humor.

apponitur *aqua rosar.* ac uterque fascia occluditur: interim sequens attrahens demtis capillis Nuchæ adhibetur,

℞ Carnis bovin. Salit. & infumo exsiccat. ℥ij. Ferment. recent. ℥js. Smegmæ comm. ℥s. Salis ʒij. *Incidatur caro subtiliss. & misceantur simul, ac cum s. q. Aceti fiat pasta.*

Collyrium. Secundoque de die renovatur, ordinatur præterea Collyr. hoc,

℞ Aquæ Rosarum ℥j. Euphras. Fenicul. an. ʒvj. Myrobal. citrin. subts. tritor. ℈j. Lapid. calam. præpar. ℈ij. Seiff. albi cum opio ℈j. *Pulveres liquentur in petia, & in aquis supra dictis suspendantur.*

De quo singulis quatuor horis tepide aliquid inditur: exhibetur aliquoties cassia pro alvi eductione, frictiones vespertino tempore post cibum ordinantur, vini usus plane prohibetur (*hoc enim multos ad caput transmittit vapores*) diæta instituitur tenuissimà ac refrigerans, hisque pilulis purgatur.

Pilulæ.

℞ Ext. pilular. Cochiar. Aurear. an. ℈s. Mastichin. gr. vj. *Cum s. q. vini malvatici fiat pilul. N. v.*

Curatus evasit, vix apparente cicatrice, &, quoniam erat ad latus, visum ex toto recuperavit illæsum.

OBSERVATIO XVI.

Læso oculo effluit humor aqueus cum portione vitrei.

Effluxio aquei & vitrei humoris.

ADolescentis oculo annorum vix 16, corpore plethorico ac bilioso, sentis forte fortuna intruditur, effluit humor tenuis post illum paululum crassior, qui, quoniam *vitreo* non erat absimilis, pro illius effluxu habebatur, Huic statim secatur vena primo die, & sanguis educitur ad ℥v, Nuchæ sequens applicatur.

Quæ adhibita.

℞ Fer-

℞ Fermenti recent. ℥ ij. Salitæ & fumat. carnis bovin. ℥ j. Fol. Chelidon. Rutæ an. P iij. Salis communis ʒ iij. Saponis Venet. ʒ vj. *Cum s. q. Aceti squillit. fiat massa.*

Ex qua formantur placentulæ justæ magnitudinis, apponunturque abrasis capillis singulis diebus secundo renovando: magna subsequitur inflammatio & dolor, *lac* adhibetur *mulieris* puellam lactantis (*illud enim frigidius est*) Interim sequens conficitur cataplasma, supra poniturque oculo linteis duplicatis tepide subtilissimis.

Lac mulierum inflammationem sedat.

℞ Semin. Cydoniorum ʒ iij. Aq. Rosarum ℥ iij. *Infunde, & fiat penes cineres calidos mucilago tenuis, coleturque cui adde* Carnis pomor. odorif. in craticula coctorum ℥ ij. Farin. hordei quam subts. pulverisat. q. s. *Misce & fiat pulticula.*

Postquam his inflammatio non sistebatur, cucurbitulæ scapulis cum maxima flamma adhibentur scarificatæ, ac ex hac massa vesicatoria post aures applicantur.

Vesicatorium.

℞ Cantharid. integrar. (alæ enim sunt corporis Alexipharmaca) ʒ ij. Ferment. recent. ℥ ij. Sem. sinapi. Euphorbii, an. ℈ j. Ameos ℈ s. *Pulveris. quam subts. & cum s. q. Aceti squillit. fiat pasta.*

Ex qua formantur placentulæ, Vesicæ ex his factæ, incisæ & butyro recenti linteo illito detentæ sunt fluidæ, magnaque copia materiæ per has evacuata; dolor vero non cessavit, quapropter factus est fonticulus in Nucha inter 1. & 2. vertebram, & quidem actualiter (*quoniam eschara tali modo orta citius, quam, quæ fit potentialiter, separatur*) ex qua in magna copia post paucos dies effluere cœpit materia, inflammatioque cessavit, ut & dolor mitigari incepit, tum *collyrium*, quo consolidarentur tunicæ corneæ labra disjuncta, præscriptum.

Fonticulus nuchæ inuritur.

Collyrium consolidans.

℞ Aq. Rosarum Euphras. Fœniculi an. ℥ js. Cortic. Granator. ʒ js. Flor. Balaust. Rosar. rub. an. P j. Myrobalan. citrin. Nucum cupress. an. ℈ j. *Incisa & contusa grosso modo, stent infusa per horas* 8, *Bulliant simul una aut altera ebullitione, colat. add. sequentia in petia ligata.*

Cor-

Corticum Myrobal. citrin. bene in porphyrio levigatorum cum aqua supradicta ℈ ij. Seiff. albi sine opio ℈ j. Tutiæ. Lapid. calamin præpar. an ʒ s. Cerussæ aliquot. lot. ℈ ij. Potest quoque addi ℥ j. Syr. de rof. sicc. *Misce.*

De hoc collyrio tertio de die aliquid oculo tepide est infusum, *Patiens*, etiamsi inflammatio & dolores ut cumque essent sopiti, dormire non poterat, cubiculum refrigeratur *pampinis vitisque foliis nec non salicis*, linimentum conficitur.

Linimentum.

℞ Ungt. Rosat. Mes. Infrigidantis Gal. an. ʒ iij. Populei. ʒ ij. Opii in aceto dissol. Gr. vj. Croci Gr. iiij. *Misce pro linimento.*

Balneum pro lotione pedum.

Quo inungebatur frons, & tempora : præterea balneum ordinatur pro lotione pedum.

℞ Herbar. verben. Euphras. Sumitatum Aneth. an. P iiij. Fol. Lactucæ. Violarum. Plantagin. Solani. Vitic. Salicis an. M s. Capitum Papaver. alb. N iiij. *Coquantur simul in s. q. aquæ.*

Post cœnam eo utebatur, quæ erat ovum sorbile cum *Panadella*, potus aqua hordei aromat. Ac, quoniam per aliquot dies alvum non habuerat fluxilem clyster injectus.

Clyster.

℞ Radicum Altheæ ℥ j. Feniculi ℥ s. Herbar. Malvar. Violar. Betæ Mercurialis, an. M s. Betonic. Euphras. Heder. terrest. an. P iiij. Flor. chamomill. Melilot an. P ij. Semin. Anis. Fænic. Levist. an. ʒ ij. Lini Fænug. an. ℥ s. Aq. commun. q. s. *Bulliant simul ut a. e. colat.* ℥ viij. adde Elect. lenitivi ʒ vj. Sprm̄ Hyer. s. ʒ ijs. Sacchar. rub. colat. ℥ j. Olei violat. Amygd. dulc. an. ℥ js. *Misce pro clystere.*

Quem ultra mediam horam detinuit, & maxima cum alleviatione alvus subducta, post tres vero dies his utebatur pilulis.

Pilulæ.

℞ Ext. pilular. Cochiar. Gr. xij. Aggregativar. ℈ s. Diagridii Gr. ij. *Cum s. q. olei Anisi fiant pil. N. v. inaurentur.*

Inte-

Interim præscripto Collyrio, vulnus sanatum, labiaque conjuncta corneæ, cicatrix autem & quidem eminens orta, quæ hac sequenti aqua ex toto quasi ablata.

Cicatrix relicta collyrio quodammodo aufertur.

℞ Aquæ Fœnicul. Rutæ, Chelidoniæ major. an. ℥ js. Succi Fœniculi inspiss. ʒ js. ♁ præparat. Gr. vj. Sacchar. albissim. ʒ iij. Salis ♄ Gr. iiij. Seiff. albi cum opio ℈ j. *Ligetur* ♁, *sal.* ♄, *sacchar.* & *seiff. in petia, ac in aquis suprad. suspendantur.*

Et secundo ad minimum de die oculo portio quædam indebatur, visum ablata cicatrice recuperavit quidem, sed depravatum, objectaque dupliciter sibi apparere, asserebat.

Visus recuperatur, at objecta duplicata cernuntur.

NOTA, *humorem aqueum & vitreum regenerari, si deperditi fuerint: non enim vivunt, ut crystallinus, qui est proprium instrumentum visus, & nutritur ab humore vitreo.*

Qui humores regenerentur.

CAPUT XXVII.

De vulneribus aurium.

ANAT. *Auris* ab hauriendo, quippe quod aerem hauriat, dicitur. Dividitur in partem exteriorem & interiorem, EXTERIOR ex cartilagine, cuticula & cute componitur, ac varia, prout conspiciuntur protuberantiæ & cavitates, nomina indita habet: In supremitate PTERYGOMA, ALA seu PINNA conspicitur, incurvatio HELIX, quæ opponitur, ANTHELIX, eminentia illa, quæ hirsuta & capillata esse solet TRACHUS, opposita ANTITRACHUS dicitur, inferior illa pars & pendula, in qua margaritæ gestantur LOBUS; cavitas *conchæ seu alvearii* nomine donatur, hæ externæ. *Internæ* sunt in osse petroso sitæ, ut meatus 4. 1. PORUS AUDITORIUS, quem sequitur membrana TYMPANUM, cum suo *annulo*, quem in circumferentia habet, cui adnectuntur tria auditus officula, MALLEUS, STAPES, INCUS, 2. COCHLEA ab ARISTOT. non recte, ab aliis PELVIS, 3. LABYRINTHUS, 4. Recte COCHLEA a FALLOPIO dicitur, ac COECUS PORUS; sunt, qui volunt reperiri musculum in 2. meatu: ultimo continetur in aure *aer innatus*, & nervus a 5. syzygia cerebri expansus, &c.

Unde dicatur auris.

Externæ auris partes.

Internæ partes.

3 Officula auditus.

Curat. Hic partium, auris internarum curatio non traditur (*utpote quæ raro læduntur, &, ſi læduntur, curationem non admittunt. Si enim tympanum fuerit diviſum, & continui ſolutionem paſſum, auditus perit, & tunc potius medici, quam chirurgi in conſilium vocantur*) ſed externarum: ubi itaque hæ vulneratæ, ſubito ſi disjunctæ, conjungendæ, & quidem ſutura actuali. Interim caveat chirurgus, ne inter conſuendum, acus tranſeat cartilaginem, unde inflammatio oriri ſolet. Si adſit magna cartilaginis deperditio cum cute, nec tum ſutura eſt adhibenda, ſed ſolummodo medicamenta, quæ carnoſitatem quandam, quantum fieri poteſt, regenerant, &c.

Quæ facienda circa auris partes externas vulneratas.

OBSERVATIO XVII.

Auris per rectum diviſa quomodo curata.

Auris vulnus.

Militi inter dimicandum auris recta per medium incidebatur, ut lobo ſolummodo adhæreret portio deſciſſa, ſtatim quatuor ſuturæ adhibentur (*calidis adhuc exiſtentibus particulis*) in parte exteriori duæ, totidemque in interiori, ſolaque cutis, illæſa cartilagine, perforatur. Ac quoniam aderat hæmorrhagia (propter abundantiam venarum) aliquid ex ſequenti pulvere apponebatur.

Hæmorrhagia ut curata.

℞ Lapid. Hæmat. ʒ ij. Boli armen. ʒ js. Ceruſſæ ʒ j.
Miſce fiat pulvis.

Partes cartilagineæ nudæ.

Adhibebatur empl. Diapal. altera die, dum faſcia diſligaretur, conſpiciebantur portiones quædam cartilagineæ nudæ, quæ aſpergebantur pulvere ad oſſa denudata ſuperius præſcripto, ac ſupra illum filamenta carpta illita incarnativo & mundificativo cum ſupradicto empl. quo cum & curatus: *auris interim meatus ſeu porus auditorius, ne pus intraret, goſſipio obturatus.*

CAPUT XXVIII.

De vulneribus labiorum.

Compoſitio labiorum.

ANAT. *Labia* componuntur ex cute & membrana internam oris amplitudinem cingente, earum ſubſtantia eſt ſpongioſa, ac rubicundus color. Duo ſunt numero, & unumquodque

quodque quatuor habet musculos. Duo movent *sursum* totidemque *deorsum*. Habetur & adhuc alius, qui ab aliquibus labiorum annumeratur musculis, diciturque BUCCINATOR. Ad vocem efformandam multum conducunt, &c.

Musculi labiorum.

CURAT. Labra vulnerata & sejuncta conjungenda statim sutura & quidem actuali, imperandum est silentium, sine quo difficilis est curatio. Nam, dum patiens multum loquitur, consolidationem, ob motum, impedit. *Externe* conveniunt medicamenta emplastica, *interne* syrupi (*quoniam emplastris non datur locus.*) Sunt, qui arbitrantur, salivam obstaculo esse, ne vulnus cito curetur: quod concedi potest in homine male temperato & lue Gallica affecto, vel aliquo morbo salso laborante, in sano vero nequaquam (*etiamsi hominis sani saliva & jejuni scorpiones occidat*) in quo potius abstergit, & mundificat vulnus.

In vulneribus labiorum conveniunt externa & interna.

Opinio de saliva.

Jejuni saliva scorpiones occidit.

OBSERVATIO XVIII.

Superius labrum contusum, dentesque fracti, brevi temporis spatio curatur.

STudiosus quum ostio domus vesperi incumbit, nequam insidias ipsi struens jacto lapide superius labrum contudit, ejusque continuitatem solvit, unde & dentes franguntur superioris maxillæ duo, tertius vero gingivæ adhuc adhæret, inferioris vero quatuor *incisores* dicti ad partem oris internam reflexi conspiciuntur. Hic, quoniam aderat continui segregatio, sutura actualis & quidem profunda adhibita, ac dentes incurvati in pristinum locum restituti, alter vero, qui vacillabat, relictus, vulneri imponuntur filamenta mundificantibus & digerentibus illita in parte exteriori; interior vero pars sequenti inungitur aliquoties de die.

Fractura dentium & vulnus labiorum.

Sutura.

℞ Syrup. de rosis siccis ℥ j. De Succ. Nicotianæ, Mirtini an. ℥ s. Ungt. Ægyptiaci ʒ i. *Misce.*

Emplastrum apponitur exterius *Diapalm.* cujus hæc descriptio

Descriptio emplastri Diapalmæ.

℞ Olei Rosat. complet. Lithargirii aurei an. ℥ iij. Axungiæ

ungiæ porcin. ℥ ij. Vitriol. alb. ʒ ijs. *Misce, fiat ut a. e. agitando spatula palmea emplastrum.*

Incarnans & cicatricem inducens.

Cum jam esset mundificatum, ac incarnare inciperet vulnus, sequens adhibitum

℞ Tutiæ præpar. Lap. Calam. an. ℈j. Corn. cervi usti ℈s. Aloes Gr. vj. *Excipe cum s. q. ungt. rosat. ac misce.*

Quo caro generata & cicatrix inducta, ad reddendos dentes stabiles & firmos utebatur hoc decocto.

Decoctum astringens.

℞ Herbar. Hyppur. Hyppocist. Florum Rosar. rubear. Balaustiæ an. P iij. Cortic. Granat. ʒ j Fol. & fruct. Myrti an. P ij. Nucum Cupress. ʒ s. *Bulliant simul in s. q. aq. hordei chalybeat. colat. servet. ad usum.*

Quod dentes firmavit, præsertim & illum, qui gingivæ adhærebat.

CAPUT XXIX.

De vulneribus nasi.

ANAT. *Nasus* olfactus organum est, ac per illum cerebrum expurgatur, quinetiam aer transit, qui partem per processus mammillares ad cerebrum defertur, partim quoque in asperam arteriam deducitur. Ex variis componitur partibus, in *superiori* tria conspiciuntur ossa per harmoniam juncta, ossique fronti adhærentia, quæque non ultra nasi medium protenduntur, *inferior* pars ex cartilaginibus constituitur 5. ac, quæ in medio apparet, *septum* dicitur, duoque illa efficit foramina. Musculi inserviunt 4. duo dilatant, totidem constringunt, VESAL. alium adhuc in parte interiori latere asserit. Membrana hæ investiuntur partes carnosa, cute & cuticula ; adsunt præterea venæ & arteriæ, nervique : ad latera sitæ sunt PINNÆ seu Alæ, &c.

Compositio nasi.

Musculi.

CURAT. *Nasi* parte ossea vulnerata ac fracta portiones non adhærentes sunt eximendæ, sique labra maxime disjuncta, sutura actuali vel potentiali, prout commoditas sese offert, conjungenda. Si vero ad os non pertingat, vulnus, ut carnosum curabitur.

curabitur. At ubi pars illa anterior, quæ cartilaginea, amputata, ita ut portio quædam adhuc adhæreat, tum ſutura actuali conjunctio fieri debet (*& quidem in inſtanti, ſi poſſibile*) ne refrigeſcat pars abſciſſa, interim (*ut & ſuperius, ubi de vulneribus auris tractatum*) cartilago non eſt perforanda acu. Ac quoniam mucus per nares (*præcipue in pituitoſis*) quamplurimus defluit, conveniunt *Apophlegmatiſmata* ſeu *maſticatoria*, quibus mediantibus mucus ad palatum derivetur.

Partes ſutura conjungendæ antequam refrigeſcant.

Apophlegmatiſmata.

Cavendum & in his vulneribus, dum curantur, ne excreſcentiæ in parte interna oboriantur: tum enim loquela depravabitur, &c.

Excreſcentiæ in parte interna.

OBSERVATIO XIX.

Ex vulnere naſi oriuntur tumores palpebrarum.

VIR nobilis annum circiter ætatis ſexageſimum hyemali tempore, circa veſperam vertigine quodammodo correptus in terram facie antrorſum cadit, ſuperiorem naſi partem ad os uſque vulnerat cum alio exiguo circa canthum oculi ſiniſtri majorem, quod non ſecus ac ſi framea fuiſſet punctum, apparebat: vomitus de nocte ſubſequitur ſanguinolentus, inter dormiendum inquietudo cum levi oboritur febricula. Huic, quoniam os naſi conſpiciebatur denudatum, idipſum aſperſum eſt pulvere appropriato: ordinatum inſuper Digeſtivum ex *Terebinthina & ovi vitello*, quod utrique vulneri, huic filamentis carptis, illi tenta exigua impoſitum, cumque jam maximus adeſſet dolor, frontis præcipue, ſequens cataplaſma præſcriptum,

Vulnus naſi in parte ſuperiori ejuſque ſymtomata.

Quæ appoſita.

Ad dolorem cataplaſma.

℞ Herbarum Betonicæ, Salviæ, Amarac. an. P iij. Flor. Roſar. rub. Cheiri, Pollin. flor. Chamom. Melilot. an. P js. Sumitat. Abſynthii, Anethi an. P j. Farin. Lupin. Fabarum an. ℥ j. Hordei ʒ vj. *Cum ſ. q. vini fiat catapl. in fine addendo* Olei violat. ℥ j. Croci ℈ s. Vitell. ov. N j. *Miſce.*

Quod calide fronti linteo duplicato eſt admotum; ubi jam materia digeſta, vulneraque quaſi mundificata, in oculi dextri cantho majori tumor ſeſe prodidit ad ſuppurationem cum dolore

Tumor prodiens.

dolore maximo vergens: quo in loco appositum est cataplasma ex *medulla panis tritic. infusa in ſ. q. aquæ commun. & macerat. per mediam horam, quæ postea fortiter expressa, & in ſ. q. lactis cocta, addita in fine portione vitelli ovi.* Hoc singulis quatuor horis renovabatur, aderat enim magna inflammatio, quæ ob caliditatem exsiccabat, mane vomica aperta multum saniei effluebat, ac novi tumores tres, unus in inferiori palbebra oculi dextri, alter in sinistri superiori, tertius in inferiori eminebant, qui & ad suppurationem tendebant. Quare ambobus oculis cataplasma superius traditum, apponitur, & pro majore lenitione doloris, additur aliquid medullæ pomi odoriferi in craticula cocti, collyrium postea ordinatur tale.

Cataplasma.

Tres alii tumores exorti.

℞ Aq. Euphras. Chelidon. an. ℥ s. Veronic. Rosar. an. ʒ vj. Seiff. albi sine opio ℈ js. Lapid. calamin. præpar. ℈ ij. Tutiæ Alexand. ℈ j. *Misce pro collyrio.*

Qui tres tumores altera die erumpebant, apponuntur emplastra, facta ex sequenti massa.

Emplastrum.

℞ Ceræ flav. puriss. ℥ iij. Resin. ℥ iiijs. Rad. curcum. subs. pulv. ℥ s. Sevi Hedini ℥ iij. Vitell. ovor. N ij. *Misce fiat ut a. e. emplast.*

Summopere hoc lenit dolorem, vulneribus interim imponuntur incarnantia, præmissa mundificatione, ac tandem omnibus cicatrice obductis, vix superstite aliquo vestigio curatur, nec ullo unquam vitæ suæ tempore de vertigine *(ut antea)* conquestus fuit.

OBSERVATIO XX.

Nasus ex toto quasi amputatus quomodo consolidatus.

DUO NAUTÆ dum strictis cultris dimicarent, unus alteri nasi anteriorem partem, quæ cartilaginea est, ex toto quasi amputat, statim calida adhuc existente parte, tres suturæ imponuntur, ac partes recte combinantur, duæ ad latera, una in medio, illa tamen cautione, ne cartilago læderetur,

Suturæ quomodo impositæ.

tur, finitis ac peractis suturis, sanguinisque fluxu prohibito, ex hoc linimento.

Mundificativum & incarnativum.


℞ Olei rosat. complet. ℥ iiij. Succi Nicotian. Apy. an. ℥js. *Bulliant simul ad succor. consumtionem, & facta colatura adde* Resinæ Terebint. ℥ j. ʒij. Virid. æris ℈ j. *Ceræ q. s. fiat linimentum.*

Inunguntur filamenta carpta, & externis partibus applicantur, cum empl. Diapalm. In interiori vero parte, ne caro ibi accresceret, adhibita & immissa fuit tenta excavata, quæ ab Italis dicitur Spoletta, circumcirca illita *emplastro diapomph.* portio autem illius, quæ nares egrediebatur emplastro inungebatur tenaciter adhærenti, quo alis narium firmiter, ne elaberetur, posset applicari.

Internæ parti immittitur spoletta.

Spolettæ utilitas.

Forma spolettæ, seu tentæ excavatæ.



Talis tenta maxime est conveniens in vulneribus narium, prohibet enim ne mucus proveniat ad partem affectam, tum etiam juvat, quo non impediatur attractio aeris per nares: ac ut mucus ille derivaretur a naribus ad palatum, sequenti utebatur *Apophlegmatismate*, seu *Masticatorio*

Apophlegmatisma.

℞ Cubebarum ʒ j. Piret. Staphidis Agriæ, Agarici crudi an. ℈ j. Pulpæ passularum ʒ ij. *Sacchar. in s. q. aq. salviæ dissol. q. s. fiant ut a. e. Morselli.*

Quibus recte adhibitis medicamentis, sine ullo loquelæ impedimento curatus evasit.

OBSERVATIO XXI.

Loquelæ depravatio ob carnis excreſcentiam ex vulnere in naribus relictam.

Hyperſarcoſis in cauſa depravationis loquelæ.

Polypus impedit efformationem vocis.

Hyperſarcoſis in naſi interna parte.

Curatio hyperſarcoſis.

NASI duo illa foramina multum præſtare ad efformationem vocis, unuſquiſque in ſe ipſo experiri poteſt. Dum etenim hæc comprimuntur vel ex toto, aut ex parte, aut ubi plena ſunt muco, vox depravata editur, quoniam nec aer tam libere attrahitur, neve etiam emittitur, *Polypus* quoque propterea, quod cavitatem implet, vocem inſonoram reddit. Sic & in hoc patiente hinc incongrua vox, & loquela depravata proferebatur. Naſus enim ipſi ex toto quaſi erat amputatus, poſtea vero curatus, exque chirurgi imperitia & incuria in parte interiori ſuborta fuit Hyperſarcoſis, carniſque excreſcentia, quæ narium utraſque cavitates adimpleverat, ut vix aerem attrahere & emittere poſſet. Huic partes illæ excreſcentes forfice exciſæ, appoſitis poſtea medicamentis ſepticis, vim habentibus carnem adhuc relictam conſumendi, quale erat *Empl. diapompbol. miſtum cum alumine uſto*, quibus abſumtis cicatrix ſolo *empl. diapomph.* inducta tenta, ſuperius declarata, inuncta, priſtinumque loquendi modum recuperavit.

CAPUT XXX.

De vulneribus linguæ.

Quid lingua ejuſque compoſitio.

Linguæ diviſio

Venæ raninæ.

Nervi linguæ

Muſculi.

Os hyoides ejuſque muſculi.

ANAT. *Lingua* ſermonis & guſtatus organum, carneam, mollem & fungoſam habet ſubſtantiam, inveſtitur membrana, quæ omnibus in ore contentis partibus eſt communis, dividitur quinetiam ſecundum longitudinem interventu membranæ multis abundat venulis, præſertim ſubtus duabus, a jugularibus externis ortis, has vulgo vocant RANINAS Germani **Brunadern**. In parte quoque inferiori, ligamentum, quod FRENUM dicitur, conſpicitur, ac in cauſa eſt non raro, quod pueri linguam exſerere nequeunt. Nervos habet a 3. 4. & 7. pari, arterias a carotidibus ; Decem movetur ope muſculorum, in unoquoque latere 5. 1. STYLOGLOSSUS, trahit ſurſum,

ſurſum, a ſtyloideo proceſſu, 2. Myloglossus, deorſum, a maxilla inferiori, 3. Genioglossus, extrorſum, a mento, 4. Basioglossus, retrorſum, a baſi hyoidis oſſe, 5. Ceratoglossus ad latus, a hyoidis cornibus ſuperioribus. In baſi ſua lingua habet os dictum Ypsyloides ſeu Hyoides quod & muſculis donatur, non quidem ad motum, ſed potius ad extenſionem, ſuntque 8, in unoquoque latere 4, 1. Sternohyoideus, a ſterno, 2. Geniohyoideus, a mento, 3. Coracohyoideus, a proceſſu corcoide, 4. Styloceratoideus, a proceſſu ſtyloideo, &c.

Curat. Linguæ portio ſi fuerit abſciſſa non regeneratur, ſi vero per medium inciſa ſecundum latitudinem, ſutura conjungi debet; victus ſit abſtergens & tenuis, non egens magna dentium attritione. Modus autem conjungendi partes diſtantes ſit talis: acui tota ſubſtantia perforetur, filumque ſit robuſtum & cera illitum, inferius incipiat, ac ad ſuperiorem partem, cui inſigatur (lingua exſerta) cannula ducatur, a qua poſtea vergat verſus inferiorem, illoque in loco factis circumvolutionibus nodus inſtituatur: interim cavendum, ne venæ vel arteriæ lædantur. Et quoniam emplaſtra non poſſunt adhiberi propter linguæ humiditatem, ideo conveniunt linctus & linimenta, quibus illinatur vulnus, &c.

Victus qualis in linguæ vulneribus.

Modus in applicatione ſuturæ.

Emplaſtra in linguæ vulneribus adhiberi nequeunt.

OBSERVATIO XXII.

Linguæ vulnus neglectum inflammationem & livorem inducit.

PUER inter cadendum linguam habet exſertam eamque tribus in locis dentibus ſauciat, metuebat vero ſibi, neque parentibus patefacere audebat. Unde lingua inflammatur, intumeſcit, ac ubi dentes ſauciaverant liveſcere linguæ caro incipit, ornatur mundificativum ſequens

Inflammatio & tumor linguæ.

Mudificativum

℞ Syr. violati ℥ j. Oximel. ſ. ʒ vj. Ungt. Ægyptiaci ʒ j. *Miſce.*

Quo aliquoties lingua in die inungitur, uſquequo caro illa livida ſeparatur, tum lambitivum ex *Syr. de roſis ſicc. de ſucco Nicotianæ, & melle roſat. colato* præſcribitur. Interim cibus

I tenuis

tenuis & non egens multa maſticatione exhibetur, os vero in-
Decoctum. terdum de die ſequenti abluitur decocto.

℞ Hord. M j. *Bull. in ſ. q. aquæ comm. ad crepat. in fine addend.* Balauſt. Roſar. rub. an. P iij. Fol. Mirt. Sumit. Hyper. an. P ij. *Colat. ſervetur ad uſum.*

Hiſque in priſtinum lingua ſtatum reducitur.

CAPUT XXXI.

De vulneribus aſperæ arteriæ.

Aſpera arteria quæ dicatur, ejuſque compoſitio.

ANAT. *Aſpera arteria* illa pars dicitur, per quam tranſit aer ad pulmones. Componitur ex cartilaginibus, duabus membranis, quarum interna communis eſt illi, quæ linguam tegit, altera externa, venulis præterea, arteriis & nervis; hujus ductus ſeu canalis gratia collum fabricatum videtur: Sunt, qui in cartilaginum ſpatiis conſtituunt muſculos, non ſecus, ut in coſtarum interſtitiis, cartilagines omnes circulum ex toto non faciunt, ſed inſtar literæ C, BRONCHIAQUE dicuntur. In poſteriori enim parte membrana conſpicitur carnoſa, ubi ſtomachus adhæret. Porro ubi aſpera arteria ad pulmones pervenit, divaricatur in plurimos ſurculos, hique ex circulis integris conſtant, in ſupremitate locatur pars quædam LARYNX dicta, & eſt quaſi operculum & caput aſperæ arteriæ, cui duæ adnectuntur glandulæ, ex tribus conſtat cartilaginibus, 1. THYROIDE ſeu SCUTIFORMI, 2. CRICOIDE ſeu ANNULARI, 3. ARYTHENOIDE: in hac larynge fit vocis 16 muſculorum ope efformatio, quorum 6 COMMUNES, ac inter illos recenſentur BRONCHII duo, reliqui nomine deſtituuntur. PROPRII ſunt numero 10 in utroque latere 5. 1 CRICOTHYROIDEUS ANTICUS, 2. CRYCOTHYROIDEUS POSTICUS, 3. CRICOIDEUS lateralis, 4. THYROIDEUS internus, 5. ARYTHENOIDEUS.

Collum aſperæ arteriæ gratia factum. Bronchia. Divaricatio aſperæ arteriæ. Larynx treſque laryngis cartilagines. Muſculi laryngis.

CURAT. Si ex his cartilaginibus laryngis aliqua lædatur, vix curationi locus datur, quoniam non eſt medium, per quod poſſit unitio fieri: ſic ſi vulneretur aſperæ arteriæ cartilago, non fit conſolidatio, & æger verſatur in maximo vitæ periculo ac diſcrimine, tum quia aer pro cordis refrigeratione non defertur

Aſperæ arteriæ vulnera periculoſa.

defertur sufficiens (*per vulnus enim portio egreditur*) tum quoniam nec sutura fieri, nec cartilago (*ut ossa, in quibus medulla*) uniri potest, neque etiam deligaturæ compressoriæ & agglutinatoriæ queunt adhiberi, si enim fortes & arctæ (*ut deceret*) instituantur: metus est suffocationis, sin laxæ, aer & ventus transibunt. Periculum quoque adest, si partes inter cartilagineæ (*quæ ab aliquibus pro musculis habentur*) læsæ conspiciuntur. *Sunt, qui has secant in angina perniciosa, vocaturque sectio hæc laryngotomia.* Laryngotomia.

OBSERVATIO XXIII.

Ex vulnere cartilaginosæ & membranosæ partis asperæ arteriæ sphacelus & mors.

PUgil vulnus accipit in arteria aspera per obliquum, tresque cartilagines (*bronchia*) solutionem continui patiuntur, sonum & clamorem, vix imo ne vocis quidem signum edere poterat. Vulnus statim illo modo, quo pelliones utuntur, consuitur, apponitur sequens. Sutura.

℞ Thuris. Mastic. an ʒj. Boli Armen. ver. ʒij. Farinæ volatilis ℥s. *Misceantur.*

Et cum albumine ovi bene conquass. excip. stupa cannabina, partique cum fasciis convenientibus applic. Per os dabatur aliquid loch. sani & experti, ad tertium usque diem relinquitur, quo oboritur febris intensissima, fauciumque inflammatio maxima: cumque jam disligarentur fasciæ, gangræna sphacelusque circumcirca conspicitur, & in ipsa die circa vesperam ex hac vita emigrat. Gangræna superveniente mors.

CAPUT XXXII.

De vulneribus thoracis, & primo pulmonum.

ANAT. THORAX ex partibus componitur continentibus, & contentis, diciturque Medius venter. CONTINENTES sunt cuticula, cutis, membrana carnosa, adeps, Thoracis partes.

 musculi,

Mufculi thoraci infervientes.

Thoracis partes contentæ.

mufculi, quique ad ipfius ufum, actionem, & compofitionem concurrunt: numero funt mufculi 59, 11 intercoftales interni in unoquoque latere, totidem & externi, 6 abdominis, Subclavi 2, 1 Serratus major, Serrati poftici 2, Triangulares 2, Sacrolumbi 2, & Diaphragma: CONTENTÆ partes funt MEDIASTINUM, PULMO, COR, cum fibi adhærentibus.

Quid pulmo.

PULMO eft fpirituum receptaculum, quod aerem recipit, conficit, ac præparat, componitur ex carne fibi propria, fpongiofa, levi, facile collabitur, & attollitur, venas habet a vena arteriofa, & arterias ab arteria venofa ortas, gaudet quoque bronchiis referentibus totum circulum cartilagineis, tenui obducitur membrana, infuper in duas partes dividitur interventu MEDIASTINI, quod a PLEURA, quæ coftas tegit interne, oritur, & duplicatum confpicitur, ac divifiones hæ *lobi* vocantur, quorum unufquifque in partem fuperiorem & inferiorem finditur, affimulatur PEDI BUBULO, &c.

Divifio pulmonis.

Mediaftinum quid, ejus ortus.

Vulnus pulmonum fuperficiale.

Vulnus profundum.

Pulmones ob continuum motum non confolidantur.

Signa læfos effe pulmones.

Remedia quæ.

Vulnus ampliandum fcalpello.

CURAT. pulmonis portio ubi fauciatur, & eft exiguum ac fuperficiale vulnus, raro curatur. Si magnum, vix unquam, propter continuum motum, quo pulmo utitur. Nam, quicquid confolidatur, in quiete confolidatur: fed, hi nunquam quiefcunt, quare & difficulter confolidantur; figna indicantia pulmones læfos funt, fanguis ex vulnere prodit fpumofus, tuffi cruciatur æger, fpirandi magna difficultas, laterifque dolor adeft. Quoniam autem fubftantia pulmonum facile inflammatur, propter abundantiam venarum & arteriarum: convenit venæ fectio, cucurbitulæ fcarificatæ, ut patiens decumbat in parte affecta *(tum enim fanguis, qui effluxit per thoracem totum non adeo facile diffunditur)* imperetur. Quinetiam fi vulnus extitirit anguftum *(puta mufculorum thoracis non pulmonum)* prohibeatque liberum materiæ exitum: ampliandum eft fcalpello adunco, ac jubendum, & fpiritum emittat: *tum namque facilior & tutior fectio inftitui, quoniam pulmones collabuntur,* poteft. Medicamenta conveniunt abftergentia, confolidantia, & quidem per os fumta, non neglecto interim vulnere.

OBSER-

OBSERVATIO XXIV.

Læſo pulmone ſanatur patiens, puſque per os evacuatur.

MIliti nobili annum circiter ætatis 27, temperamento ſanguineo, corporis habitu prædito robuſto, inter dimicandum vulnus incutitur inter 6 & 7 thoracis coſtam lateris dextri, ſanguis effluit ſpumoſus, cum flatibus & aere, dolor maximus, febriſque exoritur, tum, quia *(ut ex ſignis colligebatur)* læſi erant pulmones, tum etiam ob membranam PLEURAM vulneratam, vena *(quoniam maxima aderat Plethora)* in ejuſdem lateris brachio ſecatur mediana, ac poſt tres horas clyſter ſequens injicitur.

Læſio ſuperficialis pulmonum.

Venæ ſectio.

℞ Radicum Althææ ℥ j. Herbar. Mercurial. violar. Malvarum an. M j. Botri, Pulmonar. Farfar. an. P iij. Semin. Lini, Fænugræc. an. ℥ s. Aniſi, Fœnicul. an. ʒ iij. Flor. Chamom. Melilot. an. P ij. *Bulliant ſimul in ſ. q. aquæ comm. ut a. e. colatur.* ℥ ix. *adde* Elect. Linitivi ℥ j. Diaphænic. ℥ s. Sacchar. Thom. ʒ x. Olei Roſat. complet. Violat. an. ℥ js. *Miſce.*

qui alvum tertio ſubduxit, ſecunda die oritur magna tuſſis, ſed ſine ulla exſpuitione materiæ, cum lateris dolore, præſcribitur linimentum hoc,

Tuſſis ſicca.

Linimentum.

℞ Ungt. Reſumptivi ℥ s. Dialtheæ cum G. Pectoralis, Olei Amygdal. dulc. an. ʒ ij. Croci ℈ s. *Miſce.*

quo inungebatur totum thoracis latus dolens. Ad tuſſim ordinabantur *Manus Chriſti tabellat. Trochiſc. Bechechic.* proque curatione partis pulmonum vulneratæ linctus hic.

Remedia ad tuſſim.

Linctus.

℞ Loch. de pulmon. vulpis, Sani & expert. an. ʒ vj. Syrup. de Farfara, de Hyſſop. de Roſ. ſicc. an. ℥ j. Pulv. fol. Hyſſop. ℈ js. Flor. Sulph. bene expurgator. ℈ iij. Trochiſcor. de ſpodio ſubtſ. pulv. ʒ s. *Miſce, detur cum baculo liquiritiæ.*

De

Potus & decoctum vulnerarium.

De quo aliquoties de die portionem aſſumebat, pro potu utebatur aqua hordei, ut & interdum potionis hujus vulnerariæ ℥ iiij.

℞ Hordei bene mundat. M j. *Bull. in ſ. q. aq. comm. ad crepaturam addendo poſtea* Herbar. Farfar. Scabioſæ, Pulmonar. maculoſæ & quercinæ an. P iij. Conſolidæ ſarraſen. Alchimill. an. P ij. Trium flor. cordial. an. P j. Sem. Aniſ. Fœnic. an. ʒ jß. Cinam. ʒ iij. Jujub. N vj. Uvar. paſſular. in vino ablut. ℥ ß. Liquirit. pro dulcorat. q. ſ. *Fiat una aut altera ut a. e. ebullitio, cola & ſerva in cella ad uſum.*

Dilatatio vulneris.

Vulnus, quoniam erat anguſtum, quarta die ſcapello incurvato dilatatum (*quod quidem primo die fuiſſet commodius, ſed recuſabat*) ac ſpeculo ampliatum, viſa eſt portio læſa pulmonis, ſed perexigua, ordinatur pulvis hic

Pulvis.

℞ Radicum Tormentillæ, Biſtortæ, Pimpinell. an. ʒ j. Sanguin. Dracon. ℈ ij. Boli Armen. ver. ʒ jß. Trochiſcor. de carab. ʒ j. *Miſce fiat pulvis ſubtſ.*

Præſcribitur, ut hauriret aerem, quo inflarentur pulmones, & pars vulnerata conſpiceretur, ac eouſque ſpiritum contineret, quo pulvere præſcripto vulnus aſperſum, ſanguinolenta interim effluit materia, duodecima ſequens propinatur pharmacum,

Leniens.

℞ Mannæ elect. calab. ℥ j. Electuar. Diaphæn. ℥ ß. Syr. ex mult. infuſ. roſar. ʒ vj. Decocti pectoralis q. ſ. fiat cum ʒ ij. Aquæ cinam. potio brevis.

Pus per os excernitur.

Dolor lateris imminuitur, puris ex vulnere effluxus ſedatur, tuſſis divexat, per quam purulentam, ad octo uſque dies, excernit materiam, tum tandem vulnus muſculorum (*ut decet*) conſolidatur, & feliciter curatus evaſit.

Ductus per quem pus pervenerit ad os.

Notandus hic eſt ductus ille per quem pus ad os delatum, & per tuſſim excretum. Sciendum itaque aſperæ arteriæ ramos per anaſtomoſin cum arteriis conjungi in pulmonum ſubſtantia, ac per ipſam diſpergi, purulentamque hanc materiam per arteriam venoſam, cujus anaſtomoſis eſt frequens, delatam ad bronchia aſperæ arteriæ, ejuſque radices per pulmonum ſubſtantiam repentes, indeque ad tubulum & canalem majorem,

ex

ex quo mediantibus musculis supraductis ad os perventa, excreta, ac expulsa.

OBSERVATIO XXV.

Ex læsione rami asperæ arteriæ mors.

NAutæ cultro in tergo, infligebatur vulnus circa 5 & 6 thoracis costam, sanguis prodit spumosus in maxima copia, ut & aer per vulnus transit tanto impetu, quo candelam adhibitam & vulneri admotam extingueret. Judicabatur magnum aliquem ramum asperæ arteriæ esse læsum. Plaga quoniam exigua, ut dilataretur, sed frustra, propositum. Propinatur potio vulneraria, vulnusque musculorum (*ut decet*) tractatur, diæta conveniens præscribitur. Noctem primam valde inquietam & insomnem ducebat, febris, totiusque corporis calor insignis (*dies quoque caniculares urgebant*) aderat, venæ sectionem, ut admitteret, consulitur, quam tamen repudiabat, seque sat sanguinis excrevisse, asserebat, de dolore altera die circa vulnus conqueritur, sequentia præscribuntur, apponunturque.

Vulnus pulmonis profundum

Flatus ex vulnere prodeuntes candelam extinguunt.

℞ Olei Rosat. complet. ℥ s. Chamomill. Violar. an. ʒ iij. Ungt. Pectoral. ʒ ij. Croci ℈ s. *Misce pro liniment.*

Linimentum.

℞ Sumit. Absynth. comar. Hyperic. an. P iiij. Flor. Rosar. rubear. M s. Chamomill. Melilot. an. P ij. Farin. Hordei ℥ ijs. Volatil. ℥ js. *Cum s. q. vini fiat cataplasma, in fine addendo* Olei Rosat. complet. ℥ js. Vitell. ov. N j. *Misce.*

Cataplasma.

Quæ immediate applicata, alteram noctem, ut & tertiam & quartam in somnem quoque cum aliquali duxit delirio. Alvus summopere erat constipata. Nihil per os assumere, neque per injectionem, si non suppositorium.

Delirium.

Suppositorium.

℞ Sperm̄ Hyer. Picr. ℈ j. Trochiscor. Alhandal. Gr. iiij. Salis Gemmæ ℈ j. *Cum s. q. fiat ut a. e. supposit.*

Admit-

Dolor ventriculi & vigiliæ urgent. Emulsio

Admittere voluit, quo quidem excrementa in inteftino recto contenta, exclufa, ventriculi vero dolor de quo, ut & de vigiliis, conquerebatur, nihil alleviatur: propinatur emulfio.

℞ Semin. Melonum, Cucumer. mundat. an. ℥ s. Papaver. alb. ʒ ij. Aqu. Lactuc. ℥ iiij. Rofarum ℥ j. Sacchar. perlat. ℥ s. *Mifce fiat ut a. e. emulfio.*

intumefactio ventris. Clyfter

Quinta vires fummopere incipiebant imminui, venterque intumefcere ob flatus, clyfterem permifit

℞ Malvar. Violar. Betæ, Althææ an. Ms. Botris, Scabios, Galeg. an. P iij. Florum chamomill. Melilot. Sambuc. an. P ij. Sem. 4 carminat. an. ʒ ij. *Coquantur in f. q. aq. ut a. e. colatur.* ℥ ix. *adde* Caffiæ ext. pro clyft. ʒ vj. Elect. Benedict. laxat. ℥ s. Olei Amygdal. dulc. ℥ ijs. *Mifce.*

ad tuffim.

Qui tepide injectus, magnam poft mediam horam ejecit copiam fæcum induratarum ac nigrarum, cum flatibus, tumorque ventris, qui apparebat, concidebat, tuffis fummopere urgebat. Pro qua utebatur, fyrupo flor. papaver. Rhei, de liquiritia, & de farfara. De nocte novus infurgit febrilis paroxyifmus ad alterius diei vefperam perdurans, mortemque inferens.

OBSERVATIO XXVI.

In vulnere thoracis, pus per urinam excernitur.

Vulnus thoracis.

Urina purulenta.

JUveni plaga incutiebatur intra 6 & 7 thoracis coftam, ex qua fanguis effluebat copiofus, dolor fuperveniebat pungitivus lateris, adhibitis medicamentis vulneribus carnofis convenientibus (*quoniam nulla pars in thorace contenta erat læfa*) pus generatur, quod ultra duodecimam diem ex vulnere non evacuatur, 14 & 15 nil excernitur, 16 vero urinam reddit cum dolore, in qua pus confpicitur fanguinolentum: unde colligebatur, naturam aliam inveniffe viam: exhibentur diuretica, ut & diæta inftituitur aperiens, ac ad octo dies pus per urinam

urinam excernitur: quo ulterius non apparente, vulnus consolidatur, & patiens feliciter curatur.

Hic notare licit ductum & viam illam, per quam natura sese expurgavit. Pro qua invenienda sciendum, quod per thoracis cavitatem disseminatur vena quædam AZYGOS, seu SINE PARI dicta, quæ oritur a trunco venæ cavæ ascendente, ac in thorace adhuc contento circa quartam & quintam vertebram, unoque in dextra gaudet surculo, parte ad octavam usque vertebram perveniente, ubi partitur in duos ramos, ac horum unus quisque unum sursum alterum deorsum versus vergens mittit, hincque ramusculi ad musculos costarum divaricantur: surculus sinister ramum ad emulgentem, dexter ad lumbares mandat musculos. In hujus venæ ramos dispersos per thoracem insinuavit sese materia illa purulenta, quæ postea delata ad truncum in portionem, quæ in latus dispergitur sinistrum defluxit ad *emulgentem*, ex qua deinde ad *renem*, inde per *colatorium* & canalem *ureterem* ad vesicam delapsa & excreta. *Hujus rami inventor fuit* FALLOPIUS.

Ductus per quem pus ad vesicam devenerit.

Descriptio venæ azygos.

Partitio venæ azygos.

CAPUT XXXIII.

De vulneribus cordis.

ANAT. *Cor* vitalium spirituum existit fons & origo, primo vivit, ultimo moritur: in thoracis medio collocatur, ac a pulmonum lobis apprehenditur: ad lævam mucro ejus aliquantulum vergit, figuram habet pyramidalem. Substantia præditum est densa, crassa, carnea, solida, compacta; variis constat fibrarum implicationibus, colorem minus adeptum est rubicundum carne musculorum; adipe copioso, ut & venis & arteriis coronariis nervisque a 6 conjugatione ortis donatur, duas *auriculas* duosque *ventriculos*, qui ratione septi, quod PARIES dicitur, interstinguuntur, multisque cavernulis fibrisque abundant, ac his sinister dextrum superat; habet. Ubi in dextrum ventriculum *vena cava* hiat, tres valvulæ conspiciuntur, & ex eodem exsurgit *vena arteriosa*, quæ sanguinem defert pro nutritione pulmonum, totque habet valvulas. In sinistrum *arteria* hiat *magna*, *(aorta)* cum tribus valvulis, & ex illo oritur *arteria venosa* duabus tantum gaudens valvulis, quæque cum ramis asperæ arteriæ per anastomosin jungitur. Tegitur tenui membranula, ut & reliqua parenchymata;

Cordis situs.

Cordis paries.

 chymata;

chymata; alia quoque tunica ambit, ſed paululam laxe ab ipſo diſtat in cujus medio humor continetur ſeroſus, ac in qua cor non ſecus, tanquam in vagina enſis: concluditur, ſatis dura & craſſa PERICARDIUMQUE dicitur, oritura membranis quinque vaſorum, quibus & firmiter, uti & MEDIASTINO, adhæret, &c.

Pericardium.

Vulnera cordis lethalia.

CURAT. Hipp. 6. Aphor. cordis vulnera lethalia eſſe affirmat, præſertim ſi ſint magna & ad ventriculos penetrantia; leve vero ſuperficiale ſi exiſtit vulnus, curari quidem poteſt, ſed raro.

Vulnus cordis ſuperficiale.

Obſervatio de perforatione cordis cuniculi

PATAVII dum eſſem, vidi Excell. D. SANCTORIUM SANCTORIO Juſtinopolitanum M. D. experientiſſimum, ac ibidem theoriam medicam ordinariam hora prima matutina in primo loco maxima cum laude, maximaque ſtudioſorum frequentia legentem, cor cuniculi inſtrumento acuto in ædibus ſuis perforaſſe, vivo nihilominus permanente cuniculo ad multos menſes. Quod omnes & quidem merito admirabantur, & ſane ſumma admiratione dignum eſt: adeo ut niſi vidiſſem non crederem nec affirmarem.

Vix unquam homo ex vulnere cordis evadit.

Vulnus in ſiniſtro cordis ventriculo periculoſius quam dextro.

Cum itaque nullum hominem a vulnere cordis liberum evaſiſſe neque ligerim, neque obſervaverim, ſed ſpatio aut duorum trium horarum ex hac vita omnes fere emigraſſe, præſertim quibus ſiniſter erat ſauciatus ventriculus (*tum enim ſpiritus vitales diſſipantur, nec ulterius gignuntur, unde & animales, quoniam vitalibus, qui ipſorum ſunt pabulum, deſtituuntur, pereunt, morſque appropinquat.*) Si vero dexter ſit vulneratus, non æque cito interitus oboritur (*ſiniſter enim dextro prævalet*) obſervationem ſubjicere non potui.

CAPUT XXXIV.

De vulneribus Diaphragmatis.

Quid Diaphragma.

ANAT. *Diaphragma*, quod & alii *ſeptum tranſverſum*, PLATO *phrenas*, alii *cinctum* appellant, a lumborum vertebris, coſtis nothis, ſternique parte inferiore oritur, vitales a naturalibus, ſeu concoctioni inſervientibus partes interſtinguit; carnoſus in circumferentia muſculus, deſinit poſtea in circulum rotundum, membraneum ac tendineum in medio, duplici membrana, in ſuperiori, qua thoracem PLEURA, in inferiori parte, qua viſcera ſpectat, PERITONÆO tegitur ac inveſtitur; venas habet & arterias PHRENICAS, nervos a 6 conjugatione ortos,

ortos, foraminibus donatur duobus, uno in dextro, per quod *vena cava*, altero in ſiniſtro latere, per quod *ſtomachus* repit, ac præter hæc duo foramina, cavitas quædam adeſt juxta ii thoracis vertebram, quæ in duos poſtea abit tendines, perque eam *aorta* & *azygos* vena tranſmittitur; inſervit inſpirationi & exſpirationi.

Foramina diaphragmatis.

Uſus.

CURAT. Vulnera diaphragmatis ſi ſint in parte carnoſa, difficilis ſunt curationis, ſed multo difficilioris, ſi extiterint in membranoſa, & quo propius ſunt coſtis, eo melius & facilius curantur, *quoniam medicamenta attingere poſſunt*, in membranoſa vero diaphragmatis portione, partes ſeparatæ conjungi & agglutinari nequeunt. Signa læſi diaphragmatis ſunt, inſpiratio & exſpiratio moleſtat, dolor adeſt capitis, febris quoque, delirium, & ſyncope. Vena in hoc vulnere ſecanda, quies ac bona victus ratio inſtituenda, externa internaque medicamenta conſolidantia exhibenda, &c.

Vulnera diaphragmatis in parte ca noſa.

Vulnera in membranoſa.

Signa læſi diaphragmatis.

OBSERVATIO XXVII.

Curatio vulneris inflicti in parte diaphragmatis carnoſa.

NAutæ vulnus in parte ſiniſtra circa finem 11 coſtæ thoracis, quæ ſpuriarum eſt 4 infligitur, de maximis poſt paucos dies conqueritur doloribus capitis, laterisque vulnerati, neque exſpirare, neque inſpirare poteſt: inquiritur ſtylo profunditas, illamque penetrare animadvertitur, vena ſecatur in eodem latere in talo, diæta conveniens ordinatur, linimentum ſequens pro inunctione lateris, præſcribitur,

Linimentum.

℞ Ungt. Pectoralis ℥ s. Dialthææ cum G. Olei roſat. an. ʒiij. Croci ℈ s. *Miſce.*

vulneri immittitur tenta inuncta digeſtivo ſæpe ſuperius præſcripto, ſupra apponitur *empl. album coct.* potioque hæc datur vulneraria.

Potio vulneraria.

℞ Herbar. Sanicul. Veronic. Pirolæ an. P iiij. Conſolid. ſarracenic. Botriſ. Trichoman. an. P ij. Flor. Borag. Bugloſſ. an. P j. Sem. Aniſi, Fænic. an ʒ ij. Cinamomi

mi ʒ iij. Jujubarum N vj. Dactylorum N iiij. *Bulliant simul in s. q. Aquæ hord. ut a. e.*

de qua sumsit de die ℥ iij. cum ℈ ij. pulver. *oculorum cancri*, alvus, quoniam astricta, partim suppositorio, partim lenienti per os assumto evacuatur: pure jam confecto, ac mundificato vulnere, tentæ inunguntur incarnanti, & indies breviores conficiuntur, postea cicatricantia adhibentur, & curatur.

OBSERVATIO XXVIII.

Ex vulnere in diaphragmatis parte membranosa mors.

Symptomata ex læsione membranosæ partis diaphragmatis.

Corporis apertio.

MIliti gladius anceps paululum infra cartilaginem *Xiphoidem* intruditur, dolor exoritur, ut & hæmorrhagia maxima, syncope obruit, respiratio intercipitur, singultus supervenit, inferior venter circa pubem plane gracilescit, supra umbilicum & circa thoracem intumescunt partes, loquelam amittit, ac in ipsa syncope moritur: aperitur corpus, invenitur ventriculi orificium & pars sinistra ejus, cum portione duodeni & coli intestini ad thoracem per vulnus (*quod in ipso erat foramine stomacho viam pro descensione ad abdomen largiente*) delatum, ac inferior abdominis capacitas circa pubem sanguine abundabat grumoso.

CAPUT XXXV.

De vulneribus omenti.

Omenti situs.

ANAT. *Omentum* Barbaris *Zirbus* Græcis ἐπίπλοον ab innatando (*innatat enim intestinis*) dicitur & *reticillum*. In abdomine situm est intra *Peritonæum & intestina*.

Abdomen quæ pars ejusque musculi.

Musculi 10 abdominis.

Abdominis autem nomine illa intelligitur pars, quæ a cartilagine incipit Xiphoide, & protenditur ad os pubis, constat ex cuticula, cute, membrana carnosa, adipe, & 10 musculis, Duobus *oblique descendentibus*, 2 *oblique ascendentibus*, 2 *transversis*, 2 *rectis*, nec non 2 exiguis *Pyramidalibus* seu *Fallopianis*.

Hos

Hos musculos sequitur PERITONÆUM, a Græco verbo περιτείνεσθαι, quod circumtendi significat; ARABES hanc membranam *Ziphac*, *Zimphach*, & *Chamel* appellant, hæc omnes in abdomine partes, non secus ut *Pleura* in thorace contentas investit, duplicata apparet, viamque præbet *vasis umbilicalibus*.

Peritonæum quid ejusque situs.

Omentum vero nihil est aliud, nisi membrana, & quidem duplicata, per quam multæ perreptant venæ a solo trunco *Portæ* ortæ, & arteriæ a *cæliaco* ramo, nervique a 6 conjugatione, copiosoque donatur adipe; adhæret ventriculo, lobo jecoris, lieni, dorso, ac cœco intestino, ad concoctionem multum facit.

Omentum quid.

CURAT. *Omenti* portio si quædam incisa, & extra abdomen tamdiu propendet, quo refrigescit, facillime putrefit ac gangræna afficitur, quare statim, si quæ pars livida fiat & frigida, amputanda (*facta prius in parte superiori ligatura*) quo prohibiatur hæmorrhagia. Si vero nondum ex toto refrigeratum omentum, in locum pristinum restituendum, medicamentisque calidis, ad refocillationem caloris fomentandum, vulnusque bene muniendum, ne a frigore lædatur externo, ut & ab aere ambiente: nec labra vulnerum abdominis cum læsione omenti nimis arcte (*ne pus in abdomine colligatur, ibique putrefiat, febrem, gangrænamque propter partium humiditatem excitet*) combinanda.

Omentum frigefactum facile putrefit.

Omentum amputandi modus.

In hoc genere vulneris quoniam præcipue sunt læsæ partes carnosæ conveniunt medicamenta (*si quæ affluxerit materia, ut sæpius dictum*) 1. Digerentia, 2. Abstergentia, & Mundificantion, 3. Incarnantia, 4. Cicatricem inducentia.

OBSERVATIO XXXI.

Ex vulnere omenti non bene tractato gangræna oboritur.

NObilis studiosum provocavit in pugnam, ac, dum dimicarent, studiosus nobili vulnus infligebat paulo infra umbilicalem regionem, longum 6 digitorum, omentique partem, quæ & una cum intestinis (*illæsis tamen*) propendebat, incidebat, chirurgus, qui vocabatur, omenti vulnus negligit, partesque refrigeratas reponit, arcteque consuit, unde 7 die (*cum mate-*

Magnitudo vulneris.

Chirurgi imperitia.

riæ

Febris continua. *ria putrefacta non posset evacuari*) febrem excitavit continuam, cum deliquiis animi frequentibus. Vocatur in consilium PARENS meus, qui videns vulnus tam arcte consutum, derepente dissecat, ac puris magna excernitur copia, postea diligentius vulnus inspicit, ac gossipio mundificat, nigredinem in omento advertit, ut & gangrænæ principium, omenti partem extrahit, ac in superiori loco ligat (*ne hæmorrhagia posset subsequi*) portionemque trium digitorum trasversorum amputat, optimam præscribit victus rationem; *præsertim ob febrim*, quæ erat ardentissima & continue affligens, venæ sectione non dabatur locus ob virium imbecillitatem, clystere alvus subducitur,

Suturæ dissecantur.

Omenti portionis amputatio.

Clyster.

℞ Folior. Malv. Althææ, Violar. recent. an. M j. Scordei, Hyperic. an. M s. Flor. Chamomill. Melilot. P iij. Sem. Anis. Fœnic. an. ʒ iij. Lini, Fœnug. an. ʒ vj. Caricar. ping. ℥ ij. *Bulliant simul in s. q. aq. colat.* ℥ ix. *adde* Elect. Bened. laxat. ʒ vj. Olei Amygd. dulc. ℥ js. Rosar. Violar. an. ʒ vj. Sacchar. rubri, colat. ℥ j. *Misce pro clyst.*

Aqua confortativa. Aqua corroborans & vires restaurans præscribitur,

℞ Aquæ Theriacal. Cinamomi an. ℥ s. Boragin. Bugloss. Card. Bened. an. ℥ s. Rosar. ʒ vj. Sacchar. perlat. ʒ iiij. Confect. Alkerm. ℈ j. *Misce.*

Vulnus ut tractatum. Digestivum. & datur cochlear per intervalla, vulneri tali modo subvenitur, imponitur digestivum tepide filamentis sequens, cum empl. Observ. 19. præscripto.

℞ Terebint. aliquot. lot. in aq. Veron. ℥ j. Olei Rosat. lumbricati ʒ iij. Cort. Thuris Mastic. an. ʒ s. Mellis Rosat. colat. ℥ s. Vitell. ov. N j. *Misce.*

Inunctio. Circumcirca inunctio fit ex oleo *rosato lumbricato*, *violato & chamom.* ac, quoniam de dolore prope vulnus conquerebatur maximo, cataplasma adhibitum tale,

Cataplasma.

℞ Folior. violar. M s. Scord. cretic. P iij. Sumit. Abrot. Absynth. Rosar. rubear. an. P ij. Flor. Chamom. Melilot. an. P j. Farin. Hord. Fabar. an. ℥ js. Lupinorum

rum ℥ j. *Cum f. q. fiat ut a. e. Catapl. in fine add.* Olei Rosat. ℥ j. Violat. ℥ s. Vitell. ov. N j. *Misce.*

Pus optimum, nec adeo, ut antea fætens evacuatur: interim de dolore ventriculi & vigiliis lamentatur. Interdum mane portio quædam *cassiæ* exhibetur per sesquihoram ante prandium pro eductione alvi, pro ventriculi vero debilitate ordinatur conditum, Pus quale evacuatum. Conditum.

℞. Conf. Rosar. rub. antiq. ℥ j. Absynth. Roman. ʒ vj. Sperm. Diarhod. Abb. ℈ ij. Rad. Enul. condit. ʒ js. Olei Cinam. stillat. Gut. iij. *Misce fiat ut a. e. condit.*

Inunctio quoque facta circa cartilaginem Xiphoidem ex *Oleo Absynth. Cydonior & Mast.* pro conciliatione somni exhibetur emulsio, & fit oxyrrhodonum. Inunctio. Oxyrrhodonum.

℞. Olei Rosat. omphac. Papaver. an. ℥ s. Succi Solani ʒ vj. *Bull. ad succi consumpt. colat. adde* Ungt. Infrig. Gal. ʒ ij. Croci Gr. iiij. Camphor. Gr. iij. Acet. Rosat. q. s. *Misce pro oxyrrhod.*

℞ Sem. 4. frigid. maj. an. ʒ ij. Papav. albi ʒ js. Amygdal. amar. excort. N vj. Aq. Lactuc. Borag. Rosarum an. ℥ js. Cardui Bened. ℥ j. Sacchar. perlat. ʒ iiij. *Misce pro emulsione.* Emulsio.

Inflammatio paucos post dies & humorum ad partem affectam affluxus, ut & febris reliquaque symptomata sedantur, vulneri adhibentur abstergentia & mundificantia, nec non carnem generantia & agglutinantia, labiaque tali modo, ut in observ. 12. præscriptum, adducuntur: tandem inducta cicatrice sanitati pristinæ restitutus evasit.

CAPUT XXXVI.

De vulneribus ventriculi & intestinorum.

ANAT. *Ventriculus*, qui Græcis γαςὴρ & κοιλία dicitur, secundum Gal. lib. 4. de usu partium, quem sequuti omnes anatomici, in medio corporis reponitur, tres habet

partes

Divisio. Descriptio stomachi. partes præcipuas, supremam, mediam & infimam. SUPREMA *stomachus* seu *æsophagus*, incipit prope linguæ radicem; membranosam, nervosamque substantiam cum fibris rectis & transversis habet, duasque tunicas, non recte incedit, sed oblique dextrorsum, dein lævorsum, ubi diaphragma in sinistra parte permeat: quatuor donatur glandulis, ac ubi ad principium ventriculi, quæ media est pars, pervenit, efformat *os ventriculi superius* carnosum, ac inferiori amplius. MEDIA vero pars seu *ventriculus* ipse exduabus constat tunicis propriis, & una a peritonæo orta, fibris donatur & obliquis & rectis, figuraque sua refert instrumentum musicum, quo utuntur utricularii; in exteriori superficie levis est, in interiori villos quosdam seu favos & rugositates habet, anterius una, posterius duæ conspiciuntur gibbositates, in dextro, hepar, in sinistro lien, in medio zirbus seu omentum ipsi incumbit, & parti inferiori, quæ *raphi* seu *sutura* dicitur, adhæret: ventriculus hic cibum concoquit ac chylificat, quo peracto, per INFIMAM partem ad intestina in dextro latere locatam, & *inferius os ventriculi*, quod *pylorus* seu *janitor* appellatur, detruditur. Pyloro annectuntur & continue adhærent *intestina*; quæ duplicis sunt generis, alia *tenuia* alia *crassa*, & constant ex duabus tunicis propriis & una communi. TENUIUM intestinorum, 1. est DUODENUM seu DODECADACTYLON, in quod inseritur ramus ille dictus *intestinalis* a vesica fellea, 2. JEJUNUM, 3. ILEUM. CRASSORUM, 1. CÆCUM, VERMICULARE, valvula donatur secundum PICCOL, 2. COLON, 3. RECTUM, quod habet 4 musculos, SPHINCTEREM & CUTANEUM, qui claudunt, levatores duos LATUM & TENUEM: venis abundant intestina a Porta sola ortis, nervis a 6 pari, arteriis (*sed paucis*) a cœliaco ramo; connectuntur intestina *mesenterio*, excepto colo, cujus vicem gerit omentum.

(Margin notes: Superius os ventriculi. Descriptio ventriculi. Ventriculi figura. Usus ventriculi. Pylorus. Divisio intestinorum. Musculi intestini recti. Intestinorum connexio.)

Mesenterii descriptio. Locatur autem MESENTERIUM in medio intestinorum, eaque amplectitur, & in situ retinet: ex duabus tunicis, venis, arteriis nervisque constat, dorso firmiter adhæret, ac multis glandulis pro majori tutela venarum & arteriarum refertur, venæ autem per ipsum repentes derivantur omnes a *Porta*, cujus hæ sunt præcipuæ divaricationes.

Portæ venæ rami præcipui. Dividitur vena portæ primo in ramum *splenicum & mesentericum*, & antequam hos diffundit, facit 4 ramos, 1. CYSTICUM, 2. GASTRICUM, 3. GASTROEPIPLOICUM, 4. INTESTINALEM. *Splenicus ramus*, qui ad sinistrum defertur

fertur latus, totidem ſurculis donatur, 1. GASTRICO minori, 2. EPIPLOICO dextro, 3. CORONARIO STOMACHICO, 4. EPIPLOICO poſteriori, quod reliquum eſt, in quam plurimas diſpergitur venulas: prope lienem oritur adhuc aliud VAS BREVE dictum. A ramo meſenterico tres aliæ venæ producuntur, 1. HÆMORRHOIDALIS interna, 2. CÆCALIS, 3. MESENTERICA, quæque duplici venarum fruitur genere, quorum unum nutritioni, alterum exſuctioni inſervit, &c.

CURAT. Periculoſa ſunt vulnera œſophagi, multo periculoſiora ipſius ventriculi, inteſtinorum tenuium, ut inquit Hippoc. 6. aphor. 18. Si ſuperficietenus & una ſolummodo vulnerata membrana, curationem vulnus admittit, ſi vero magna quædam portio & in profundo latens inſciſſa, mors ſubſequi ſolet: difficiliorem autem curationem facit continua loci humiditas, qua abundant. Quod ſi vulneratum præſertim craſſum inteſtinum non propendeat: pedetentim extrahatur, & filo æquali cera oblito eo modo, quo pelliones pelles, conſuatur, abluatur poſtea vino auſtero tepido, & reponatur, aſpergaturque medicamento aliquo agglutinatorio, vulneris carnoſæ partis labra (*ſi magnum, nec corpus cacochymicum*) ſutura adduci poſſunt, & curatio, ut in obſerv. 29. traditum inſtitui poteſt.

Modus conſuendi inteſtina.

OBSERVATIO XXX.

Vir ex vulnere œſophagi curatur.

NAuta ad 5 cervicis vertebræ latus cultro lato per rectum intruſo vulneratur, copioſus effluit ſanguis, evomit, ac inter evomendum portio quædam chyli in ventriculo contenti per vulnus evacuatur, unde ſuſpicio oriebatur, œſophagum læſum, ſtylo inquiritur, ac reperitur, cultrum una partem permeaſſe: præſcribitur medicamentum tale,

Signa læſi œſophagi.

℞ Terebint. aliquoties lotæ in aqua Malvar. ℥j. Syrup. de roſis ſicc. ʒiij. Boli Armen. ʒj. Sang. Dracon. Maſtic. Far. volat. an. ℈j. Medietat. vitel. ov. *Miſce.*

Digeſtivum.

quo inungebantur tentæ, ſupraponitur emplaſtrum Tetrapharmacum, per os exhibentur ſyrupi hi,

Linctus.

℞ Syr. de Rof. ficc. Cydon. an. ℥j. Mirtini ʒ vj. Pulv. fang. Drac. ℈ iij. Boli armen. ℈ j. *Mifce pro linctu.*

Decoctum confolidans.

Decoctum ordinatur fequens,

℞ Hordei bene mundat. M j. *Bull. in f. q. aq. ad crepat adde* Herbarum Hyppur. Philofell. Alchimill. an. P iij. Pirol: Confol. farracen. an. P ij. Cortic. Granator. ʒ js. Rad. Pentaphilli Tormentill. an. ℈ ij. Sem. coriand. præpt. Anifi an. ʒ ij. Cinnamom. ʒ iij. *Bull. fimul ut a. e. colat. ferv. ad ufum.*

Ex hac decoctione aliquoties de die affumfit ℥ iij. cum fyrupis præfcriptis, quinetiam injicitur portio per fyringam vulneri, interim maximo afficitur dolore & inflammatione, inunctio fit ex oleo rofato, apponitur cataplafma ex medulla panis tritic. coct. cum lact. addit. vitell. ovi, ad 14 ufque diem cibus & potus, quem per os affumebat, quique erat tenuis, ex vulnere effluit, 15 nil ulterius confpicitur, quare œfophagum jam confolidatum & agglutinatum judicabatur: tenta itaque indies brevior illita incarnativo immittitur, vulnufque 24 die cicatrice obducitur & curatur.

Oefophagi confolidatio.

OBSFRVATIO XXXI.

Ex læfo ventriculo mors.

VIR quidam robuftus cum defcenderet in duellum cum inimico, pugione trium digitorum latitudine infra cartilaginem xiphoidem vulneratur, chylus effluit: unde ventriculum læfum colligebatur, maximis ftatim infeftatur cruciatibus, fingultus fupervenit, capitis dolor accedit, ad tertium ufque diem fupervivit. Mortuo jam corpus aperitur, ventriculus in medio vulneratus, corrugatus, ac furfum attractus, abdomenque fæcibus repletum confpicitur.

Corporis apertio.

Hiftoria notabilis.

Huc pertinet hiftoria memoratu digniffima, admirabilis certe ad pofteritatem, & pene fupra fidem: at tamen certiffimi res eventus. Anno 1602 Pragæ quidam rufticus, cui Mathæo nomen erat, vir tricenarius, cafu fortuito cultrum, qui novem tranfverfos pollices longus fuerat, deglutivit; in anguftia inexpli-

explicabili constitutus, quum nulla ars excogitari posset, per quam loco alieno onus infelix extraheretur: tandem vero Dei misericordia hoc suggessit, magnes & alia attrahendi vi pollentia medicamenta sunt applicata, ut cultri cuspis circa superius ventriculi os eminere inciperet, ubi deinceps, uti in re prope desperata, ad sectionem est ventum; administrante eam experientissimo chirurgo FLORIANO MATTHISIO Brandeburgensi. Sic tandem culter ille, qui septem ipsas totas hebdomadas & biduum in ventriculo conclusus delituerat, & colorem contraxerat similem telo alicui quod in igne jacuisset, a dicto chirurgo exemtus, & vulnus sectione factum, idoneis adhibitis medicamentis curatum, coaluit: ipseque rusticus ingenti anxietate liberatus pristinam sanitatem feliciter recuperavit: cum æterna laude eorum, quorum sapientia, industria, & arte liberatus fuit.

OBSERVATIO XXXII.

Ex vulnere intestini ilei mors.

MUlier desperata cum a dæmone tentaretur, solaque esset, sibimetipsi vulnus, paululum infra umbilicum infert, intestinum Ileon, quod & propendebat, vulnerat: chylus & bilis (quæ ex vulneribus tenuium intestinorum effluere solet) excernitur, vulnus consuitur, abluitur, pulvisque apponitur astringens & agglutinans, sed frustra: superveniebat enim intestinorum inflammatio, ex qua gangræna, tandemque quarta die mors.

Ilei intestini læsio.

Gangræna intestinorum.

OBSERVATIO XXXIII.

Vulnus intestini coli ut curatum.

ADolescenti annorum 18, corporis habitu optimo, vulnus infligitur supra umbilicum, longum tres digitos: omenti portio cum parte coli propendet, colonque vulneratum conspicitur fæcesque exeunt, statim intestinum hoc (quoniam crassum est & pinguedine multa refertum) more pellionum arcte consuitur, vino rubro austero abluitur tepido, aspergitur sequenti pulvere,

Vulnus intestini coli.

Pulvis.

℞ Boli Armen. ver. ℥ iij. Sang. Dracon. Myrrhæ, Maſtic. an. ℥ j. Far. volat. ℥ ij. Rad. Torment. Pent. an. ℈ ij. *Miſce fiat pulv. ſubtſ.*

Vulnus, ut decet carnoſum, tractatur, oleis circum circa illinitur anodynis, ac cataplaſma dolorem ſedans (quale obſervatione 29. deſcriptum) apponitur, bene interim a frigore & aere externo munitur, ac ita præter ſpem multorum curatus evaſit.

CAPUT XXXVII.

De vulneribus epatis.

Epar quid ejuſque deſcriptio.

ANAT. *Epar*, quod & *jecur* dicitur, officina eſt ſanguinis, involvitur tunica a peritonæo orta, carnem habet concreto ſanguini ſimilem, unde & *Parenchyma* appellatur, venis a porta & cava, ut & arteriis (*ſed ſplene paucioribus*) nervis a 6 conjugatione ortis, gaudet. Situm eſt in Hypochondrio dextro ſub coſtis nothis, diaphragmati & ſpinæ dorſi annectitur, in lobos (*ut animalium*) non ſcinditur, fiſſuram, in quam implantatur *vena umbilicalis*, habet, pars ſuperior & anterior eſt convexa, glabra, æqualis, gibba, poſterior ſima & depreſſa, media concava, quæ ſiniſtram ventriculi comprehendit partem, ac in concavitate iſta ſituatur *veſicula fellea*, receptaculum humoris birioſi flavi, quod conflatur ex duabus tunicis, una propria, altera a peritonæo orta, venas a porta pro nutritione, arterias a cæliaca, nervos a coſtali dextro habet, emittitque ductum ad inteſtinum duodenum *inteſtinalem vocatum*, per quem ſeſe exonerat, ac ratione cujus excernuntur excrementa, &c.

Veſicula fellea.

Quæ vulnera epatis inſanabilia.

CURAT. Si vulnera epatis ſunt profunda cum amiſſione ſubſtantiæ, & inciſione magnarum venarum, incurabilia, ſi vero leviter epar inciſum, curatio quidem ſed raro, fit. Vena poteſt ſecari, diæta injungi refrigerans (*præſertim tempore æſtatis*) epatis vero vulneri, ſi attingere poſſunt medicamenta, aſtringentia, exſiccantia, agglutinantiaque conveniunt, ſanguiniſque fluxum cohibentia, &c.

OBSER-

OBSERVATIO XXXIV.

Ex incisione profunda epatis sanatur adolescens.

ADolescenti, optimo corporis habitu, ad finem trium ultimarum costarum notharum lateris dextri, plaga incutitur, epatisque portio sat magna penes fissuram inciditur, vulnus ultra octo digitorum latitudinem extenditur, non tamen ubique abdomen penetrans, si non in superiori parte circa costas: maxima copia sanguinis effluit, vena secatur brachii dextri jecoralis, ac ad ℥ iiij. sanguis extrahitur, labra vulneris duobus in locis non penetrantibus suturis conjunguntur, epati inspergitur sequens pulvis,

Pulvis.

℞ Terræ lemniæ, Boli Armen. an. ʒ j. Trochiscor. de Carab. Terræ sigill. an. ℈ ij. Lapid. Ematit. ℈ ꞩ. Far. volat. ʒ iij. *Misce fiat pulv. subts.*

Applicatur vulneri ungt. album camphoratum, pro sedatione doloris & inflammationis, ut & linimentum hoc cum cataplasmate.

Linimentum.

℞ Olei Rosat. comp. ℥ s. Violat. ʒ iij. Ungt. sandal. ʒ ij. *Misce.*

Cataplasma.

℞ Herbar. Violar. Cichor. Endiv. recent. an. P iij. Summit. Aneth. Scordei, Hyperic. Centaur. an. P ij. Pollin. Flor. Chamomill. Melilot. Rosar. rub. an. P j. Far. Hordei, Fabar. an. ℥ ꞩ. Orobi ℥ j. *Cum s. q. vini rubri fiat catapl. in fine addend.* Olei violar. ℥ ꞩ. Axung. Gallin. ℥ s. Vitell. ov. N j. *Misce.*

Labris vulnerum tentis & filamentis carptis imponitur digestivum observat. 30. præscriptum: interim & optima habetur victus ratio, pro potu datur aqua hæc,

Aqua hordei medicata.

℞ Hordei bene mund. M j. *Bull. in s. q. aq. pluvial. ad* ℔ iiij. *cui adde in fine ut a. e.* Folior. Taraxic. Endiv. an. M s.

Ms. Sem. Anisi ʒ iij. Cinamom. ʒ iiij. Uvar. passul. ablut. ℥ j. *Colat. serv. ad usum.*

Non raro & propinatur *serum lactis caprini*, interdumque mane exhibetur ℥ j. Syrup. de cichor. cum rhabar. ad leniendum alvum, nec non ad confortandum epar. Quod mirum est, ad tertiam septimanam usque sine febre fuit, qua dum corriperetur vires summopere prosternebantur, vigiliæ & dolor maximus ingruebat, alvus sequenti clystere evacuatur.

Miraculum.

Clyster.

℞ Radic. Althææ recent. Consolid. maj. an. ℥ s. Herbar. Malvar. Violar. Althææ an. M j. Taraxic. Sonchi, Cichorei an. P iij. Flor. Chamomill. Melilot. Summitat. Scordei, Hyperici an. P ij. Semin. Anisi, Fœnicul. an. ʒ iij. Lini, Fænugr. an. ℥ s. *Bull. in s. q. aquæ, colat.* ℥ ix. *adde* Elect. de bacchis Laur. ʒ vj. Olei fanicul. Lilior. albor. an. ℥ j. Succi Epat. stillat. ℥ js. Butyri recent. ʒ vj. Vitell. ov. N j. *Misce.*

Ex cujus usu magna successit alleviatio, propinataque fuit emulsio, pulsibus & corde epithema applicitum hoc,

Epithema.

℞ Aq. Nymph. Lactuc. Borag. Rosar. an. ʒ vj. Sperm. Trium sandal. ʒ j. Cordial. temperat. ℈ j. *Misce.*

Cumque jam vires de novo præter spem & expectationem inciperent restaurari, præscriptæ sunt tabellæ epar & cor confortantes,

Tabellæ cor & epar confortantes.

℞ Sperm̄. Aromat. rosat. Dialaccæ an. ℈ js. De Gemmis F. Diacorall. an. ℈ j. Margaritar. præpar. ℈ s. Sacchar. in s. q. aquæ cichor. dissol. ℥ ij. *Fiant ut a. e. Tabellæ, in fine addendo* Olei Anisi Gut. iiij.

Vulnus quoque epatis consolidari incepit, quo facto, & plaga musculorum incarnata, cicatriceque obducta, ac ita feliciter *(quamvis tarde)* & summa omnium cum admiratione pristinam recuperavit valetudinem.

CAPUT

CAPUT XXXVIII.

De vulneribus lienis, renum, & veſicæ.

ANAT. *Lien* epar ab humore expurgat melancholico, in ſiniſtro ſituatur hypochondrio, pars ejus ſima ventriculo, gibba coſtis & diaphragmati adhæret, linguæ bubulæ figura aſſimilatur, ex molli, rara & ſpongioſa carne ſeu parenchymate conſtat, pluribus quam epar, donatur arteriis, quo melius ſanguis ille melancholicus poſſit concoqui, & in nutrimentum converti, ac propterea etiam natura tegit ipſum tunica craſſiori, ne fieret ſpirituum diſſipatio, venas habet a ramo ſplenico, ut cap. 36. dictum.

Lienis uſus & ſitus.

Figura.

Renes ſanguinem ſeroſum ex vena cava & arteria per emulgentes attractum, colant, in lumborum regione unaquaque unus ſituatur, nunc dexter ſiniſtro, nunc ſiniſter dextro paululum altior, figura ſunt inſtar *phaſeoli* adhærent lumbis, colo & diaphragmati, incumbunt muſculis PSOAS femur flectentibus, ſubſtantiam habent carneam & ex parenchymate conflatam, intuſque plurimæ conſpiciuntur *carunculæ*, tunica a peritonæo orta, ut & copioſo adipe, per quem vena excurrit *adipoſa*, inveſtiuntur, nervi a 6 conjugatione ad illos deferuntur: ex unoquoque rene producitur canalis, qui dicitur URETER, per quem defertur urina ad veſicam, ut & lapilli, quique ex membranoſa, quo facile dilatari poſſet, conſtat ſubſtantia.

Renum uſus & ſitus.

Figura.

Ureter.

Veſica, quæ urinæ eſt receptaculum in hypogaſtrii parte oſſi pubis annectitur, & inteſtino adhæret recto, figuram habet rotundam, aliquantulum oblongam: dividitur in fundum & cervicem. *Fundus* eſt membranoſæ ſubſtantiæ, tegitur ut & reliqua omnia in abdomine contenta viſcera, peritonæo, urinamque delatam recipit, *Cervix* quæ & os dicitur veſicæ collumque, muſculo gaudet SPHINCTERI, ac illius ope urina retinetur, & excernitur, prope hunc muſculum ſunt veſiculæ dictæ PROSTATÆ ADENOIDES, in quibus ſemen ex teſtibus delatum continetur, & ſuo tempore per ductum urinæ & ſemini communem emittitur, &c.

Veſicæ ſitus.

Diviſio Veſicæ

Proſtatæ.

CURAT. Vulnera lienis æque periculoſa ſunt ac epatis, tum, quia lien quamplurimis abundat arteriis, & ejus actio corpori eſt neceſſaria. Si ſuperficialis exſiſtat plaga, conſolidationem quidem

quidem admittit magnus interim adeſt dolor, & quidem pungitivus. Nec renum vulnera periculo vacant, ut & veſicæ in membranoſa inflicta parte, ubi vero muſculoſa cervix læſa, hanc conſolidari videmus in iis, quibus calculus e veſica extrahitur. Optima in his præſcribi debet victus ratio, potiones quoque exhiberi vulnerariæ appropriatæ, ut & emulſiones, renum inflammationem (*qua confertim obrui ſolent*) ſedantes, propinari poſſunt, &c.

OBSERVATIO XXXV.

Læſo ſplene pus per urinam excernitur, & læſus moritur.

Vulnus lienis. VIR aliquis vulneratur ſubtus diaphragma in parte ſiniſtra: copioſus effluit ſanguis, primo floridus, paulatim nigrior: dolor ſupervenit maximus, præſertim pungitivus, bilioſum humorem nigrum evomit, capitis accidit gravedo, ſpecillo profunditas inquiritur, ad cavitatem tranſire reperitur, lienemque vulneratum judicatur, vulnus circumcirca illinitur oleis anodynis, ut & cataplaſma dolorem ſedans applicatur, exhibeturque primis diebus potio hæc vulneraria,

Potio vulneraria.

℞ Radic. conſolid. major. ℥ s. Herb. Agrimon. Sonchi an. P iij. Scolopend. Cetrach. an. P iiij. Sanic. Pirol. an. P ij. Roſar. rubear. Sumit. Hyperic. an. P j. *Bull. in ſ. q. aq. hordei, in fine addendo* Uvar. paſſular. ℥ j. Cinamom. ʒ iij. *Colatura ſervetur ad uſum.*

Venæ ſectio. Vena ſecatur in manu ſiniſtra, quæ eſt intra annularem & auricularem, injicitur clyſter, de nocte ingruit febris, dolorque intenditur, vulnus ſimili modo tractatur, ut in obſ. 34. traditum, urinam octava die cum maximis cruciatibus emittit purulentam, & circa veſperam ejuſdem diei ex hac vita emigrat.

Via per quam pervenerit ad veſicam. *Modus, quomodo pervenerit materia illa purulenta ad veſicam, talis eſt.* Ex ſplene delatum pus ſeu materia illa purulenta ad ramum *ſplenicum*, inde regurgitavit ad ramum venæ portæ, qui tendit ad epar, ibique diſperſa, per Anaſtomoſin, quam habet vena porta cum cava, defluxit ad ipſius cavæ truncum,

truncum, deorſumque delata, per emulgentes attracta, ad renes prolapſa, indeque per colatorium ad ureteres & ſic ad veſicam demandata ac excreta. ANDREAS LAURENT. anatomicus expertiſſimus lib. 6. quæſt. 27. per arterias potius, quam per venas fluxionem hanc fieri aſſerit.

OBSERVATIO XXXVI.

Læſa veſica tertia die mors ſupervenit.

Militi gladio infligitur vulnus ſupra ipſum os pubis, ac deorſum verſus intruditur, urina effluit, copioſa, capitis de nocte ſupervenit dolor: convenientia quidem adhibentur; at tertia die moritur. Corpus poſt mortem aperitur, invenitur veſicam ea in parte, qua URACHUS inſeritur, læſam ac collapſam.

Veſicæ vulnus.

Corporis apertio.

Huc referat ſtudioſus lector obſervat. FELICIS PLATERI *medici Baſilienſis, ubi tradit, hominem etiam ſupervixiſſe læſa a lythotomo inter ſectionem ſarcitis veſica, ac ad annos uſque 20 ex inguine urinam effluxiſſe, immiſſo tubulo, per virgam vero non niſi guttatim: ut de duobus aliis vulnus paſſis in veſicæ parte membranoſa; curatos autem propterea evaſiſſe aſſerit, quoniam partis illi annexæ erant carnoſæ, quibus conſolidatis, & vulnus veſicæ quoque conſolidatum & agglutinatum.*

Ratio cur vulnus veſicæ curatum.

CAPUT XXXIX.

De vulneribus teſtium, ſcroti, ac penis.

ANAT. *Teſtes*, ὄρχεις, gemini dicuntur, dexter ſiniſtro major, in homine extra, in muliere vero intra abdomen, propendent, conſtant ex molli, alba lacteaque ſubſtantia venis referta frequentibus, rotundi ſed paululum oblongi ſunt, ſuſpenduntur a muſculis CREMASTERIBUS. Defertur ad unumquemque vena & arteria SPERMATICA, quatuor inveſtiuntur tunicis, duabus communibus totidemque propriis: *communium* 1. dicitur SCROTUM, 2. DARTOS, *propriarum* 1. ELYTROIDES, 2. EPIDIDYMIS, GAL. ultimam vocat *Darton*; alii, ſcrotum omittendo 1. tunicam appellant *Darton*, 2. *Erythroidem*, 3. *Elytroidem*, 4. *Epididymiden*, penes quas ſunt PARA-

Teſtes ſitu differunt in homine & muliere.

Muſculi cremaſteres.

Tunicæ.

STATÆ VARICOSI ſemen concoquentes, LAURENT. hanc ultimam vocat membranam nervoſam. De his tunicis, earumque nominibus conſule FALLOPIUM exquiſitiſſimum in ſuis anatom. annotat.

Deſcriptio penis.

Penis, qui & membrum dicitur virile, ex duobus conſtat nervis excavatis, ac ſpongioſis, ut & ex meatu membranoſo, ſemini & urinæ communi, venis gaudet a cava, arteriis ab aorta, nervis a ramis oſſis ſacri, tegitur membrana carnoſa, cute, & cuticula, in inferiori parte per longum ad ſcrotum uſque apparet ſutura, quæ RAPHI dicitur, muſculis præterea donatur 4, quorum duo faciunt ad ſeminis excretionem, alii duo ad erectionem, in anteriori parte conſpicitur portio quædam GLANS, Græcis βάλανος dicta, a ſimilitudine, tenui obvelatur membrana, ac PRÆPUTIO tegitur, in poſteriori parte hujus glandis CORONA conſpicitur, vinculo alligatur præputio, ac inter anum & ſcrotum videtur PERINÆUM, &c.

Muſculi penis.

Glans.

Præputium.

Teſtes ſunt partes principales.

CURAT. Teſtes ex toto auferuntur non ſine magno periculo, in majori vero vitæ diſcrimine verſantur ii, quibus vulnerantur, quoniam recenſentur inter partes principales, & ſpeciei inſervientes propagationi, morſque iis vulneratis, vel graviſſima ad minimum ſymptomata ſubſequi ſolent, propter conſenſum, quem cum cerebro corde & epate habent. Penis vulnera non adeo periculoſa exiſtunt: chirurgi tamen diligentiam requirunt; infaſciandus non eſt ſtricte, quoniam tum inflammatio, dolor, & tumor *(quia multis abundat venis & arteriis)* ſupervenit. Conveniunt ſanguinem ſiſtentia & agglutinantia, &c.

OBSERVATIO XXXVII.

Ex vulnere teſtis dextri evadit juvenis.

ROMA mihi rediunti ac Florentiam appellenti, xenodochiumque ibidem viſitanti, V. M. Doctorem, cujus notitiam Patavii habueram, alloquor, ab illo an, notabiles quoſdam in chirurgia caſus advertiſſet, ſciſcitor. Inter cæteros hanc notatu dignam mihi retulit obſervationem de juvene quodam, cui per dextrum teſticulum tranſfacta erat framea, unde in maximam auctus & intumefactus fuit molem, dolor delirium excitans ſucceſſit, vena tali interna inciſa, clyſter injectus, teſticulus ut & totum ſcrotum cum pene & pectine inunctum

Vulnus teſticuli dextri.

unctum oleo rosato, ac appositum cataplasma digerens ac roborans, tenta immissa melle rosato illita, emplastrumque adhibitum Diapalm. & feliciter ita curatus evasit.

OBSERVATIO XXXVIII.

Scrotum decidit, & restituitur novum.

NArravit mihi aliquando Coloniæ vir Excell. D. PETRUS HOLTZEMIUS Daventriensis M. D. ac ibidem professor, se habuisse sub cura sua patientem, cui scrotum prius intumefactum, at gangræna postea correptum ex toto decidit, testiculique nudi conspecti sunt, tamen adjuta natura a medicamentis, novum scrotum, ablato non multum dissimile, regeneratum fuit. In quo casu naturæ solertiam & studium in muniendis hisce partibus, ne a rebus extraneis lædantur, perspicere licet.

OBSERVATIO XXXIX.

Mulier marito totum scrotum amputat.

VEteramentarius plus vino quam arti deditus, cum sub vesperam bene potus domum revertitur, mulierem suam pugnis ac verberibus excipere conatur, ipsa fugam arripit, seseque abscondit, maritus interim vestibus exutis ad lectum se confert, somnoque obruitur, tum mulier injuriarum ante perpessarum adhuc memor, cultrum arripit, manuque sinistra scrotum apprehendit, *ipsumque mœchum ac scortatorem vocitat*, præ rabie incidit, interim maritus totus expavefactus evigilat, mulier vero manibus compræhensum scrotum aufert, testes denudantur, hæmorrhagia magna, intensissimusque dolor subsequitur, apponuntur sanguinis fluxum & inflammationem arcentia ac sistentia, postea incarnantia, quo loco scroti nova regeneraretur portio testes investiens: quod ubi factum, admotum est emplastrum diapompholygos, testes tecti, ac cicatrix inducta, qua caro cooperta, virque hic hodierna die Coloniæ adhuc in vivis est.

Mulier marito scrotum amputat.

OBSERVATIO XL.

Vulnus penis mortem fere infert.

Vulnus penis.

ADolescenti in ipsis canicularibus diebus in dextra parte per transversum (*illæso tamen meatu urinario*) penis inciditur: notabilis subsequitur hæmorrhagia, quam vix sedare erat possibile: apponitur stupa cannabina imbuta albumine ovi, ut observ. 23. præscriptum, inungitur oleo rosato, ac leviter fascia in vino rubro madefacta involvitur: mane totus intumefactus fuit, vulnusque circumcirca lividum, ac ad gangrænam tendere, cum maximis partium circumstantium doloribus, conspicitur, delirare incipit, interdumque Lipothymia obruitur, conficitur & apponitur cataplasma *ex Rosis, Scord. Absynth.* floribus *Chamom. Melilot.* &c. vena secatur, clyster injicitur, diæta ordinatur refrigerans, præscribiturque digestivum sequens,

℞ Terebint. lot. in aqua Tragopog. ℥ vj. Mellis rosat. colat. Syr. de ros. sicc. an. ℥ ij. Sanguin. Dracon. ℈ js. Myrrhæ ℈ j. Ungt. Ægyptiac. ℈ ij. *Misce.*

De quo filamenta illita vulneri imponuntur, quo labia, quæ erant livida & putrida, mundificarentur, &, ubi mundificata essent, symptomataque profligata, tandem agglutinantia, incarnantia, cicatricemque inducentia adhibentur: & curatur.

CAPUT XL.

De vulneribus uteri.

Divisio uteri.

ANAT. *Uterus* dividitur in duas partes, *fundum* scilicet *& cervicem.* Fundus fætum ubi mulier gravida amplexatur, substantia ejus est nervosa, crassa, fibris carnosis referta, duas habet proprias, una communi a peritonæo orta, membranas, locatur intra os sacrum & capacitatem pubis, in parte posteriori intestino recto, in anteriori vesicæ annectitur: interventu quoque membranarum a peritonæo ortarum, quæ Alæ Vespertilionum (*quoniam illis sese assimilant,*

Situs.

ſimilant) dicuntur, ad latera alligatur: diſtinguitur quinetiam fundus interveniente linea quadam indextrum & ſiniſtrum latus, ubi & conſpiciuntur duæ illæ protuberantiæ CORNUA uteri dictæ, inque hæc vaſa inſeruntur SEMEN EJACULANTIA, deferuntur etiam venæ & arteriæ ad fundum, per quas expurgatur SANGUIS MENSTRUUS, in ipſius fine conſpicitur foramen anguſtum Os uteri dictum. CERVIX habet partes externas & internas, *Externæ* ſunt MONS ♀, in quo pili, LABIA 2, & SCISSURA magna: partes *internæ* ſe produnt, ubi ſciſſura dilatatur, ac tum oculis ſeſe objiciunt NYMPHÆ, CLYTORIS, ſeu DULCIS AMOR, CARUNCULÆ 4, quæ interventu membranæ conjunguntur, HYMENQUE efficiunt, in parte interiori cervix eſt rugoſa, villoſa, membranoſa ac fibroſa, inque illam deſinit os ſeu collum veſicæ, &c.

Cornua uteri.

CURAT. Uteri fundus quoniam oſſibus bene circumcirca munitur, raro vulneratur, &, ubi ſauciatur, difficilis ejus eſt curatio, propter membranoſitatem, & ſymptomata extrema, quæ ſubſequi ſolent; tum & ob partis præſtantiam, nec non conſenſum, quem cum omnibus quaſi partibus habet. Cervix vero quando vulneratur, non facile ob continuam loci humiditatem curatur, conveniunt dolorem mitigantia, exſiccantia, conſolidantiaque huic immiſſa in forma peſſi, vel tentæ aut injecta ſyringa.

Et quoniam harum partium vulnera ſunt de raro contingentibus, *(ulcera vero ut dicetur in curatione illorum e contra)* obſervationem peculiarem hoc in loco ſubjicere non potui. PAUL & ÆTIUS referunt exemplum mulieris, cui uterus putrefactus, poſtea abſciſſus & conſolidatus fuit, ipſa nihilominus ſupervivente. ANTONIUS quoque Benivenius Medicus ac Philoſophus Florentinus exemplum refert mulieris, quæ per annos decem ſine utero, qui ob ulcus totam ipſius abſumens & depaſcens ſubſtantiam ablatus erat, vixit.

Mulier ſupervivit amputato utero.

CAPUT XLI.

De vulneribus venarum & arteriarum.

ANAT. *Vena* eſt tubulus ſeu canalis teres, rotundus, ortum habens a ſemine, per quem ſanguis ad univerſas corporis partes, quo nutrimentum ſuſcipiant, diffunditur, GAL. 2. de inæqual, intemp. hanc conſtare ex fibris, tunica ſimplici,

Vena quid.

nec

nec non certis in locis circumdari alia membrana afferit, dicitque esse partem similarem (*ut & arteriæ*) sensu, non autem reipsa, quia dividi potest in membranas & fibras, Hæcque vena cava (*de qua hic sermo*) ex epate prorumpit, dividitur in truncum *ascendentem* & *descendentem*. ASCENDENS, ubi ex epate prodiit, & attingit Diaphragma, facit duos ramulos dictos PHRENICOS, postea STEPHANOIDEM seu CORONARIAM cordis: paulo superius exoritur AZYGOS ut & THORACICA, ubi ad jugulum pervenit, hic ramus finditur in duos magnos surculos, SUBCLAVIOS dictos, post illos SUPERCLAVII sequuntur, horum ramorum unusquisque de se promit MAMMARIAM, CAPSULAREM, THYMICAM, CERVICALEM & MUSCULAM: ulterius ad axillam ubi pervenerunt, efficiunt AXILLAREM, THORACICAM externam, BASILICAM & CEPHALICAM; ex conjunctione autem cephalicæ & basilicæ in cubito fit MEDIANA, quæ spargit ad pollicem OCULAREM seu CEPHALICAM manus, ut & intra annularem & auricularem digitum in parte externa, pectine scilicet, SALVATELLAM, seu SPLENITICAM, ex parte vero qua spectat superclavius caput facit JUGULAREM externam & internam. DECENDENS ex epate venæ cavæ truncus componit & effundit ADIPOSAM, EMULGENTEM SPERMATICAM, LUMBAREM & MUSCULOSAM, dividiturque ad Ilia perveniens in ramos duos magnos dictos ILIACOS, ex quibus in utroque latere SACRA, HYPOGASTRICA, HÆMORRHOIDALIS externa, EPIGASTRICA & PUDENDI; constituit insuper unusquisque ramorum iliacorum, SAPHENAM, ISCHIAM minorem, MUSCULAM, POPLITEAM, SURALEM, & ISCHIM majorem.

Venæ cavæ ascendentis divaricationes.

Descendentis venæ cavæ propagationes.

Notet hic chirurgus, sub basilica latere arteriam nervumque quare sit cautus in sectione venæ hujus basilicæ cubiti: & tantum de venis.

Quid arteria.

Arteriæ nomine hic levis illa AORTA dicta non aspera intelligitur, quæ similiter est vas oblongum, teres rotundum & excavatum a semine ortum, per quod spiritus & calor in totum corpus diffunditur duplici constat tunica, & interna ejus cavæ quintuplo est crassior, ramos de se tot non spargit, nec tantos facit capillares, ut vena, oritur a cordis sinistro ventriculo, ubi & in truncum *ascendentem* & *descendentem* dividitur, ASCENDENS vix e corde enatus constituit arteriam cordis CORONARIAM, dirimitur postea in ramos SUBCLAVIOS, ac ex eorum unoquoque oritur INTERCOSTALIS superior MUSCULA,

Divisio arteriæ. Ascendentis arterii rami.

SCULA, MAMMARIA, CERVICALIS, ut & CAROTIS seu SOPORALIS ad caput vergens, reliqua subclavii portio ad brachium tendit, efficitque AXILLAREM, THORACICAM & BASILICAM, quæ circa cubitum finditur, in ramum *cutaneum* & *profundum* Ex DESCENDENTE arteriæ trunco propagantur INTERCOSTALIS inferior PHRENICA, COELIACA, MESENTERICA superior, EMULGENS, SEMINALIS seu SPERMATICA, LUMBARIS, MUSCULA. Hic ulterius in duos divaricatur ramos ILIACOS dictos, ex quibus arteria SACRA, HYPOGASTRICA, UMBILICALIS, EPIGASTRICA, PUDENDI, quod reliquum est ramorum Iliacorum in CRURALEM dispergitur; & tantum quoque de arteriis.

Arteriæ descendentis ramificationes.

CURAT. Venæ & arteriæ si incidantur, pungantur vel contundantur internæ, & quidem majores absconditæque tum in summo versatur æger periculo: sedari enim hæmorrhagia illa non potest: *quoniam non datur locus commode perveniendi ad vasa illa interna.* Ramuli vero exiliores, (quales sunt Saphena, Cephalica, jecoralia vel alia) quamvis sint incisi: hæmorrhagia sistitur quidem, at non sine maxima interdum difficultate. Curationem facilius admittunt, si levitur venæ vel arteriæ sunt incisæ, vel punctæ, quam si per rectum aut transversum sectæ. Intricatioris quoque curæ est vulnus arteriæ quam venæ, &c. Dignoscitur autem ex vena sanguinem fluere, quoniam apparet niger, crassus; ex arteria vero manat cum saltu & impetu rubicundus ac floridus: *est namque sanguis arteriarum venarum multo spirituosior.* Venæ desuper et arteriæ desciffæ non coalescunt secundum HIPP. per verbum autem descissum non intellexit levem & quæ sit superficietenus, sed talem incisionem, in qua vasa plane per medium descinduntur; tum enim venarum & arteriarum labra ulterius conjungi nequeunt, sed fit PORUS quidam in circuitu, per quem sanguis defertur.

Venæ & arteriæ quando facile curationem admittunt.

Dignotio an sanguis ex arteria vel vena fluat.

Venæ & arteriæ non coalescunt.

GAL. 5. method medend. asserit, curationem hæmorrhagiæ consistere vel in revellendo, vel derivando sanguinem per venæ sectionem & cucurbitulas scarificatas & non scarificatas: vel per fascias intercipientes, supra infraque vulnus factas, vel topicis & localibus adhibitis remediis fieri, e quorum numero sunt suturæ, quatenus labra in modum pellionum arcte (*si modo non adsit magna substantiæ deperditio*) consuuntur, asperso postea pulvere astrictorio. In vulneribus tam venarum quam arteriarum convenit venæ (*si possibile est*) rostro vel gruino vel

Curatio hæmorrhagiæ.

Suturæ sanguinis fluxm comprimentes quales.

alio

Venæ deligatura.

alio aliquo inſtrumento appræhenſio & deligatio ; aſt ubi vena apprehendi nequit, & eſt ſubcutanea : tum ſubtus illam (*ſive ſit vena ſive arteria*) acus tranſadigenda eſt filo robuſto, incurvata, & conſtrigenda fortiter. Ad topicorum numerum referuntur etiam plumaceoli ex filamentis carptis aut ſtupa cannabina facti, ac ſequenti materia imbuti, partique externe appoſiti.

Pulvis.

℞ Farin. volatilis ℥ s. Trochiſcor. de ſpodio, Sanguin. Dracon. an ʒ j. Boli Armen. ver. ʒ ij. Maſtic. Myrrhæ an. ℈ j. *Miſce fiat pulv. ſubtſ.*

Excipiatur album. i. ovi conquaſſat: vel formentur ex goſſipio pilulæ, quæ madefiant in materia ſequenti, & intrudantur, filo alligatæ, ubi ſanguis proſilire videtur.

Expertiſſimum remedium.

℞ Opii. Thebaic. ʒ iij. Diſſolv. in ℥ iiij acet. roſat. fortiſſ. adde Vitrioli albi ʒ js. Alumin. crudi ʒ j. *Bull. aliquant. ſimul donec vitriol. & alum. ſit diſſol. quod citius fiet, ſi fuerint pulver. dein cola & ſerva ad uſum.*

Conveniunt & *telæ aranearum*, *pili leporini*, *linteamina combuſta*, *fungus ovalis*: Ego non raro ſola deligatura & impoſito *alumine uſto* maximas hæmorrhagias curavi.

Nota circa faſcias.

Notandum, faſcias (*ſi aliquæ venæ vel arteriæ læſæ*) ante tertium non eſſe diſligandas diem, nec nimis fortes inſtituendas: *ne calori aditus ad partem impediatur, gangrænaque vel inflammatio ſubſequatur.* Quod ſi his hæmorrhagia ſiſti nequit, tum ſecundum Hipp. 1. Aphoriſ. 6. *Extremis morbis, extrema appropriata conveniunt remedia*: qualia ſunt, quæ 7 Aphoriſ. 91. idem tradit, ubi inquit, *Quæcunque medicamentis non curantur, ferrum curat, quæ ferro non curantur, ignis curat, quæ igne non curantur, ea exiſtimare oportet immedicabilia.* Quare & in hoc caſu deveniendum ad ferrum ignitum, quod maxime ſit candens (*tum enim minorem infert dolorem, quam ſi tepidum adhibeatur*) & eouſque labia ſunt excipienda, donec cruſta inducta.

Extremum remedium.

Ferrum maxime candens minorem infert dolorem.

Annotandum & perpendendum eſt præterea, num ſubjacent nervi vel tendines, qui ſi conſpiciuntur, caute ignis adhibenbendus; præterea eſchara non tertia aut quarta die auferenda, ſed relinquenda ad multos dies, quo ora conjungantur, neve etiam vi detrahenda, ſed medicamenta emollientia & putrefacientia adhibenda, quo paulatim cruſta decidat, ut eſt *Butyrum*

Eſchara a ferramentis relicta ut tractanda.

rum

rum recens non ſalitum, axungia porcina. Ungt. Dialth. &c. Ablata eſchara, vulnus, ſi fuerit cum magna ſubſtantiæ deperditione, carne implendum, & cicatrice obducendum.

OBSERVATIONEM hic ſubjicere non placuit, quoniam omnia in curatione exactiſſime & copioſiſſime deſcribuntur, & ea repetere eſſet faſtidioſum.

CAPUT XLII.

De vulneribus nervorum.

ANAT. Triplices nervos conſtituere veteres, alios VINCULA ſeu LIGAMENTA: hos TENDINES, Germanice Haarwaſchs, illos proprio nomine NERVOS appellavere, Priores ſi quidem *ligamenta*, ab oſſibus prodeunt, ſenſu deſtituuntur: alii, *tendines* a fibris muſculorum, ligamentorum & nervorum, exiguo donantur ſenſu: ultimi originem habent ſecundum Galen. lib. de nerv. diſſect. cap. 1. a cerebro vel dorſali medulla, cujus tamen principium cerebrum exiſtit, ſuntque exquiſitiſſimi ſenſus. Ac nervus ita proprie ſumptus eſt pars ſpermatica a cerebro & ſpinali medulla orta, alba, ac oblonga, in parte interna medullaris: externa membranis dura & pia matre tecta, non excavata (*ut venæ & arteriæ, ſi non optici ſoli*) deferens ſpiritum animalem pro ſenſu & motu ad corporis partes. A cerebro oriuntur 7 paria, 1. ad *oculos* defert ſpiritus viſorios, diciturque OPTICUM, 2. motum *oculis* præbet, 3. *linguæ* tunicam, *facieique* ingreditur muſculos, 4. in *palatum* diſſeminatur, 5. ad *aures* diſpergitur, 6. VAGUM, & ad omnia *viſcera* propagatur, 7. *linguæ* motorium eſt. Ex ſpinali medulla quæ in dextrum & ſiniſtrum latus, interventu membranæ, dividitur 30 prodeunt paria, 7 ex cervicis vertebris, ad muſculos occipitis, caput extendentes, collum flectentes, nec non cervicis, brachii, ſcapulam & diaphragma attolentes, 12 ex thoracis vertebris, ad muſculos brachii, thoracis anteriores & poſteriores, inſpirationi & exſpirationi inſervientes, 5 ex lumborum vertebris, ad muſculos abdominis, lumborum, femorum, teſtium, 6 ex oſſis ſacri vertebris prodeunt, & ad muſculos femorum, crurum, colli uteri, ani, veſicæ, & penis deferuntur, &c. Tantum de nervis.

Nervorum genera.

Nervorum origo.

Nervus quid.

7 Paria nervum cerebri.

30 Paria ſpinalis medulla.

7 Paria cervicis.

12 Paria thoracis.

5 Paria lumborum.

6 Paria oſſis ſacri.

CURAT. HIPPOCRAT. 6. Aphoriſ. 19 nervum deſciſſum neque coaleſcere neque augeri aſſerit, GALEN. in arte medicinali, cap. de punct. nervi, nervorum punctura ut & tendinum

Nervi continuationem habent cum cerebro.

propter exquisitissimum sensum & continuationem, quam cum suo principio (cerebro) habent, prompta est nervorum convulsionem excitare, maxime ubi vulnus est obcæcatum. Vulnerantur autem nervi vel cæsim, vel punctim, vel contusim, aut nudi illæsi conspiciuntur, tumque una cutis sola, vel carnosæ partes simul afficiuntur, vulnusque est aut *apertum*, id est cujus labra ab invicem, ut in dissectionibus, sejunguntur: aut *cæcum*, & fit a re aliqua subtili, nervusque læsus, quia labra vulneris connivent, non conspicitur. Ex signis autem sequentibus læsio cognoscitur nervi, dolor intensior, quam vulnus postulat, inflammatio, delirium, febrisque adest, sensus & motus si non ex toto abolentur, tamen imminuuntur vel depravantur: tumores quoque succedere solent, ut Hipp. 5. Aphor. 66. & 67. *In vulneribus nervorum quæ facienda cap. 12 de Paralysi, et 13 de Spasmo generaliter tradita sunt, nunc specialiter cum observationibus.*

Signa læsi nervi.

Nervus punctus quomodo curandus.

Si nervus fuerit punctus, vulnusque tam cutis & carnosarum partium, quam nervi fuerit angustum, ut medicamenta attingere nequeant, instituta prius bona diæta, paululum, sed caute, est dilatanda punctura, quo materia & pus (*quod non raro subtus generatur*) evacuetur: imponendaque sunt medicamenta calida actu & potentia (*frigidum enim secundum Hipp. 5. Aphor. 18. mordax*) quæque modice siccant, *ut est ol. rosat. lumbricat. Vulpin. Terebint.* &c. quorum copiam recenset Gal. lib. 6. method. med. nec labra conjungenda, nisi ex toto dolor sit mitigatus, ac ne dolori subsequatur inflammatio, occurrendum anodynis, pars affecta, ut & illa ubi principium est nervi, non aqua calida (*ut aliqui fecerunt*) fomentanda, sed oleis rebusque calidis *virtualiter*, tepidis *actualiter*, &c.

Aquæ calidæ usus nervis inimicus.

Nervus cæsim vulneratus ut curandus.

Nervus si cæsim & quidem per transversum, non vero ex toto fuerit incisus & sauciatus, bona instituatur victus ratio, vena (*si corpus, ætas & vires permittunt*) secetur, &, si medicamentis convenientibus dolor reliquaque symptomata nullo modo sedari possunt, totus amputetur: nullum etenim tum ulterius convulsionis, secundum Gal. 6 meth. med. imminebit periculum, nisi quod pars vel motu, vel sensu, vel ambobus simul privabitur: at talis læsio melior est, ut idem 12. Therap. ait, quam mors, labiaque vulneris, si sint maxime distantia, & deligatura non sufficit, sutura adducantur, ac postea (*uti decet*) curatio instituatur.

Nervus denudatus ut tractandus.

Quod si nervus conspicitur denudatus, non vero læsus, acria & frigida non sunt adhibenda juxta Hipp. loco superius citato,

citato, sed modice calida conveniunt, tempore *æstatis* mitiora, *hyemali* vero paululum calidiora, &c.

OBSERVATIO XLI.

In sectione venæ pungitur nervus, sævissimaque oboriuntur symptomata.

Mulier tempore Junii calidissimo incidi sibi curat venam in pollice manus, quam vocant cephalicam seu oculalarem: barbitonsor parum versatus, nec habens nervi (*seu potius tendinis*) rationem, illum una punxit; altera die magnus insurgit dolor, & ubi sectio facta, tumor apparet insignis, totam quasi manum amplexans, barbitonsor *oleor. lilior. albor.* inungit, ac cataplasma ex *malvæ foliis, ut & violar. farinaque triticea* apponit; unde dolor incrementum suscipit, manusque livescere incipit: curant accersiri *parentem* meum, qui videns principium gangrænæ imminere, nervumque punctum, ac febrem accessisse, cataplasma sequens toti manui applicat.

Una cum vena pungitur nervus.

Gangrenæ principium.

℞ Panis siligin. trit. ℔s. Furfurum subtf. pulv. ℥ij. Rad. Acori pulveris ℥j. Pulv. fol. scordei ℥s. Flor chamomill. Melilot. Rosarum rub. an. Piij. Far. orobi. ℥ij. *Cum s. q. oxymel. misce fiat ut a. e. cataplasm.*

Cataplasma.

Carpum vero totumque brachium ad nucham usque sequentibus inungit oleis.

℞ Olei rosat. lumbricat. Chamomel, an. ℥s. Vulpini, Scorpion. an. ʒiij. *Misce.*

Altera nocte delirium invadebat, convulsiones febrisque augebantur, ac mane ad cubitum usque lividitas sese extendebat: ordinat *Aquam Lang. Epilept. & florum tiliæ*, totique manui ac cubito supra scriptum apponit cataplasma. Interim parens consulit, ut aperiretur & dilataretur vulnus, vel una cum apertione nervus seu potius tendo ex toto amputaretur, quod recusant: *timida enim est Germanorum natura, quæ etiam saluberrima in chirurgia & medicina (scilicet ferramenta candentia & clysteres) respuit subsidia, indeque non raro sibimetipsi salutaria*

Parentis consilium.

præsidia contemnendo, mortem, vel graviſſima ſymptomata infert: tandem & multis in locis gangræna conſpicitur manifeſtiſſima, apponitur ſequens, filamentis carptis.

℞ Terebint. Venet. lotæ in vino rubro aliquoties, ac ultimo in aq. Beton. ℥j. Mel. roſat. col. ʒvj. Myrr. ℈ij. Pulv. folior. ſcord. ℈j. Lumbricor. terreſt. præpar. ℈js. *Miſce.*

Partes gangræna affectæ poſt aliquot dies a vivis ſeparari incipiunt, at tamdiu in applicatione iſtorum medicamentorum perſiſtitur, donec tota eſchara ſeu caro gangræna affecta aufertur, quo facto nervus (*ſeu potius tendo*) conſpicitur nigricans, quem illa inſcia (*quoniam ſenſus abolitus erat*) parens amputat & extrahit, poſtea imponit incarnativum cum emplaſtro diapomphol. (*quod eſt accommodatiſſimum*) ac ſupra illud applicat linteum in vino rubro madefactum pro corroboratione, tandemque cicatricem inducit.

Quæ adhibita pro recuperatione motus.

Cubitus vero, ut & tota manus erat immobilis, & propterea ſequentia a patre meo, & quidem maxima cum felicitate fuere præſcripta.

Linimentum.

℞ Olei lumbricor. terreſt. Roſarum an. ℥s. Vulpin. Lilior. albor. an. ʒiij. Chamomelini, Ungt. dialth. cum G. Axung. humanæ an. ʒij. *Miſce pro linimento.*

Quo tota manus totumque brachium inunctum inſtituta prius fomentatione ex hoc decocto.

Fomentum.

℞ Radic. Althææ recent. Conſolid. major. an. ℥js. Herb. Althææ, Malvar. Violar. an. Mj. Salviæ, Majoran. an. Ms. Hederæ terreſt. Abſinthii, Comar. Hyperic. an. Piij. *Bull. ſimul. in ſ. q. aq. com.*

Fomentatione facta, ut & inunctione, apponitur emplaſt. ex maſſa ſequenti confectum, ac ſuper alutam diſtentum.

Emplaſtrum.

℞ Cerot. oxycroc. ℥s. De Melilot. de Mucilag. an. ʒvj. *Cum ſ. q. Axung. human. fiat maſſa.*

Interdum quoque utebatur loco balnei *brodio laniorum*, in quo cocta ſunt viſcera & pedes, quod mirabilis eſt efficaciæ. Sicque

Sicque cubitus omnesque digiti (*excepto pollice*) motum recuperarunt, & pristinæ sanitati restituta evasit.

OBSERVATIO XLII.

Ex nervo cæsim & per transversum vulnerato, non tamen ex toto amputato, convulsio.

JUveni corporis habitu plethorico vulnus infligitur, nervusque inde læditur, at ejus fibræ ex toto non amputantur, maximus exoritur dolor, febris, delirium, nec non tertia die subsequitur convulsio, præscripta superius applicantur, tamen symptomata indies augmentum capiunt, vena secatur, diæta bona præscribitur, tandem non desinentibus symptomatibus nervus ex toto amputatur, ac sequens imponitur.

Nervus amputatur.

℞ Mellis rosat. colat. ℥vj. Terebint. lot. in vino rub. ℥s. Olei lumbricor. ʒij. Pulv. lumbric. terrest. Masticis an. ℈js. Vitel. ovi q. s. *Misce.*

Symptomata mitigantur tali apposito cataplasmate.

Cataplasma.

℞ Farin. Fabarum, Lupinorum, Orobi an. ℥ijs. Pulv. folior. scord. ℥s. Flor. Tapsibarb. Rosar. rub. an. P iij. Pulv. lumbric. terrest. ʒij. *Cum s. q. oxymel. fiat catapl.*

Inunctiones administrantur, parsque affecta lana fovetur succida oleo rosat. lumbricat. imbuta, vulnusque ut decet tractatur, & evadit.

OBSER-

OBSERVATIO XLIII.

Ex nervo cæſim vulnerato, & per obliquum non tamen amputato vir moritur convulſivus.

Nervi inciſionem quæ ſub ſequuta ſymptomata.

VIR nobilis corporis habitu toto cacochymico morboque Gallico affectus, inter digladiandum vulneratur, nervuſque cæſim & quidem per obliquum ei inciditur, non tamen ex toto amputatur, aderant dies caniculares, febri, delirio maximiſque obruitur doloribus, inunctiones fiunt in loco affecto, cataplaſmata reliquaque anodyna ſuperius præſcripta apponuntur, at nulla ſubſequitur alleviatio, proponitur aſtantibus ſectio: quippe, quod ſi ex toto amputaretur, tum illum a morte & convulſionibus immunem ac liberum futurum, ſecundum Gal. 12. ther. Melior enim eſt læſio, quam mors: recuſant, nec ullo modo ſe admittere velle ſectionem affirmant, unde ortus eſt Emproſthotonos, in quo miſere periit.

Nervi amputatione repudiata quæ ſubſequuta.

OBSERVATIO XLIV.

In vulnere nervus conſpicitur denudatus & illæſus.

MIliti vulnus incutitur circa cervicem, nervuſque denudatus & illæſus conſpicitur, quare imponitur ſequens.

℞ Terebint. lot. in aq. ſalv. Mellis deſpum. an. ℥ ſ. Farin. orobi ℈ ij. Pulv. lumb. terr. ℈ j. Olei roſat. lumb. ʒ ij. *Miſce.*

Frigida nervis inimica.

Et quidem tepide: *Frigida enim* ſecundum Hipp. 5. Aphor. 17. *convulſiones, diſtentiones, livores, rigores febriles creant,* & 18. *Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ, calidum vero utile,* & 20. *Ulceribus frigidum mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit,* &c. ac ſupra ponitur emplaſt. diapalm. circumcirca inungitur oleo roſato lumbricat.

bricat. & chamomel. applicaturque linteum in vino rubro madefactum, tecto jam nervo incarnatoque vulnere cicatrix inducitur, feliciterque ſanatur.

OBSERVATIO XLV.

Ex ſutura in tendine facta mors.

VIR aliquis robuſtiſſimæ complexionis cum eſſet ebrius ex rheda cecidit, partemque internam femoris prope genu vulneravit, ſubſtantiæque inſignis deperditio facta eſt, magnaque hæmorrhagia ſubſequuta: defertur ad pagum proximum, in quo barbitonſor habitabat, qui videns ſanguinis fluxum, neſcio quo medicamento hunc ſiſtit, labiaque vulneris maxime ab invicem diſtantia ſuturis altis, non habita ratione tendinum, qui prope articulos ſunt, conjungit, faſciis firmiſſimis circumductis, conſtringit, præcipitque, quoniam domum Coloniam (*ibidem enim erat civis*) vehi volebat, ut chirurgum præmoneret, ne diſligaret faſcias, ob maximam hæmorrhagiam factam. Domum veniens curat accerſiri *parentem* meum, ipſique, quæ facta fuere aperit, prohibetque ne diſligaret, attamen parens totum femur ac crus inungit oleo roſato, faſciaſque nimis ſtrictas eſſe refert, de nocte maximus inſurgit dolor, corporis inquietudo, ſomnus turbulentus febriſque, ſummo mane a Patre viſitatur, ubi totum femur & genu intumefactum, induratum & inflammatum reperit, ſtatim faſcias diſligat, videtque labia vulneris arcte ſuturis, & quidem per tendines factis, eſſe conjuncta ac livida, eas diſſecat, grumoſus exit ſanguis, fætens (*erat enim tempore æſtatis calidiſſimo*) delirare altera die incipit, ac convellitur, gangrænæque principium apparet, tum ratione faſciarum, tum etiam ob ſuturas cum tanto conatu labia vulnerum conjungentes, & per tendines factas, ordinavit digeſtivum cum cataplaſmate ſequenti.

Vulnus cum deperditione ſubſtantiæ.

Sutura tendinibus impoſita peſſima excitat ſymptomata.

Inunctio.

Qualia inventa, diſligatis faſciis.

℞ Tereb. venet. lotæ in aqua roſar. ℥ j. Mellis roſat. ℥ s. Maſtic. ℈ ij. Aloes ℈ j. *Miſce.*

Digeſtivum.

℞ Scordei cretici M j. Abſynth. Roſar. rub. Abrotoni, Florum chamomill. Melilot. an. P ij. Rutæ P iij. Farinæ Lupinorum, Orobi an. ʒ ij. Hordei ℥ js. *Cum*

Cataplaſma.

ſ. q.

f. q. Oximel. fiat catapl. in fine addendo Olei Rutæ ℥ js. Vitell. ovi N j. *Misce.*

Quæ omnia calide admovebantur, tertia delirium febrisque maximum capiunt augmentum, maniacusque quasi redditur, convulsionibus frequentibus afficitur, & ita misere ex hac emigrat vita.

Cautio in faciendis suturis ubi vulnera sunt prope tendines.

Notet hic chirurgus, ne dum labra sutura conatur conjungere, vel nervos vel tendines acu perforet, unde & cerebro noxa propter continuationem, quam nervi cum ipso habent, communicatur; in carnosis vero partibus secundum Galen. altissimas & profundissimas facere licet, illæ namque periculo vacant.

CAPUT XLIII.

De vulneribus sclopetorum.

VAriæ fuerunt de hisce vulneribus, sclopetorum scilicet, opiniones. Sunt qui voluerunt, ea fieri a combustione, ratione ducta ab eschara, quam adesse asserunt: hanc autem escharam minime esse, sed membranulas & carnium contusarum portiunculas a carnibus separatas probat PARÆUS doctissimus in suis Apolog. declaratque firmissimis rationibus, vulnera illa fieri contusione, variaque adfert exempla: confirmat quinetiam pulverem pyrium omnis venenositatis esse expertem, nec glandem veneno infici posse demonstrat. Vulnera autem fieri contusione hinc patet; omnes quotquot tali modo vulnerantur, asserunt se nullam persentire caliditatem, sed arbitrantur, rem aliquam gravem & ponderosam supra partem affectam cadere, quæ stuporem torporem imo & gangrænam (*quoniam spiritus & calor nativus dissipatur*) inducit. Glandem quoque non agere comburendo, palam fit experientia; nam si talis tantusque calor in glande addesset, qualem illi sibi imaginantur, colliquaretur, formam figuramque suam amitteret: *facile enim plumbum ex quo plerumque glandes conficiuntur, colliquatur.* Sed hoc falsum est, cum enim aliquis bombardam bene impletam glande pulvereque explodit sursum, ubi hæc iterum deciderit, videbit, illam eandem adhuc habere formam ac figuram, quam antea habuit, quam non haberet, si accederet vis talis calorifica: præterea dum aliquis explodit bombardam, glandemque allidit ad saxum, subito

Vulnera sclopetorum fiunt contusione.

Glans non agit comburendo.

bito illam potest palpare, nihil sentiens caloris, cum potius calore deberet esse prædita, propter allisionem, nam ubi dura invicem colliduntur, calorem recipiunt. Nec obstat, quod aliqui objiciunt, partes propter combustionem esse nigras, illi sciant, hanc nigredinem oriri a contusione, quæ fit cum tanto impetu. Quinetiam non valet ratio illorum, qui asserunt, propterea sanguinem in principio non effluere in tanta copia, quoniam caustica vis glandis escharam inducit, oraque vasorum occludit. *Minime*; nam sanguinis profluvium, pro ut majores vel minores venæ aut arteriæ sunt læsæ modo majus modo minus existit. Sistitur autem propterea statim, ac septima plerumque die exoritur, quoniam ex illa contusione partes inflammantur & intumescunt, ac vasorum ora obseruntur, quo minus hæmorrhagia subsequi potest. Septima vero die ut plurimum tumor inflammatorius (*si modo vulnus rite tractetur*) sistitur, unde dilatatis his, sanguinis profluvium sequitur; et hæc quoque est causa cur vulnera, etiamsi maxima sint inflicta glande, visuntur adeo angusta ac parva, ut vix vel minimum specillum chirurgus immittere possit. Contusio autem illa magna ut & inflammatio fit ratione glandis, quæ rotunda est, & non constat angulis, facilius enim illa, quæ angulos habent, intrant, minoremque dolorem pariunt. Neve etiam pulvis pyrius est venenosus, neve venenatam habet qualitatem, constat enim ex simplicibus omnis venenositatis expertibus, ut sunt carbones salicis, sulphur, sal petræ, interdum additur aliquid aquæ vitæ. Multominus glans sive plumbea sive ferrea veneno affici potest, ignis enim tantæ est potentiæ, ut venenositatem, si quædam glandi admixta, consumere valeat. Plures controversias & opiniones, quibus probatur vulnera sclopetorum non fieri combustione, neve pulverem pyrium esse venenosum, neve etiam glandes veneno infici posse, lector benevolus inveniet apud Paræum, cujus & citatæ sunt probationes, quique & accuratissime de his scripsit.

Nigredo labiorum in vulneribus sclopetorum unde.

Cur sanguinis raro primo ac 7 die plerumque exoriatur fluxus.

Cur vulnera appareant exigua.

Pulvis pyrius non habet venenositatem.

Glans veneno infici nequit.

Concludo itaque, meaque hæc cum PARÆO doctissimo multumque de re chirurgica merito est sententia, vulnera sclopetorum fieri contusione, pulverem non esse venenosum, nec etiam glandes veneno infici posse. Causa autem, cur interdum tot gravia oriuntur symptomata, partim est cacochymia, partim inscitia & ignorantia chirurgi, dum hæc vulnera non bene tractat.

Unde interdum gravia symptomata in vulneribus sclopetorum.

In vulneribus autem ſclopetorum, vel læſæ ſunt partes molles, vel una cum mollibus duræ, vel glans adhuc inhæret, vel permeavit; quorum curam ex ſequentibus obſervationibus petere licet, &c.

OBSERVATIO XLVI.

Vulneris ſclopeto facti carnemque penetrantis curatio.

Vulnus ſclopeto factum penetrat.

VIRO bilioſæ naturæ, ac complexionis robuſtæ tempore auguſti vulnus infligitur circa femoris medietatem, ex toto penetrans, os tamen non lædens; magna ſubſequitur hæmorrhagia, domum verſus ducitur, *parens* advocatur, qui ſtatim totum femur inungit oleo roſar. apponit emplaſtrum obſer. 19. traditum cum linteis in vino rubro madefactis, interim ſequens digeſtivum

Digeſtivum.

℞ Terebint. aliquot. lot. ℥ j. Olei roſat. compl. Ungt. Dialth. cum G. an. ʒ iij. Thuris ʒ j. Vitell. ovi N j. *Miſce.*

Cum Cataplaſmate.

Cataplaſma.

℞ Folior. violarum M j. Summitat. Abſynthii, Roſarum rub. an. M s. Flor. Chamom. Melilot. Scord. an. P iij. Far. Hordei, Fabar. an. ℥ ij. Tritici ℥ j. *Cum ſ. q. vini rubri fiat cataplaſ. ut a. e. in fine add.* Olei roſat. ʒ vj. Chamomill. ℥ js. Croci ℈ j. *Miſce.*

Ordinat, digeſtivoque tentas illinit, ac quo eſchara relicta a contuſione (*non a combuſtione*) poſſet auferri, addebat *Ungt. Ægyptiac.* ʒ js. nec non cataplaſma ſecundo de die tepide apponebat, ſicque in cura & applicatione ſupradictorum medicamentorum ad ſeptimum uſque diem perſiſtebat, victuſque rationem convenientem præſcribebat; & quoniam vigiliæ urgebant, ordinabat emulſionem: interim magna copia goſſipii cum pure & pilis, ex caligis in vulnus cum glande delatis excernebatur, nec hæmorrhagia, quæ expectabatur, ſubſequebatur, tumorque & inflammatio ſedabatur, optimumque pus generabatur & evacuabatur; ablata eſchara in utroque vulnere tam ſuperiori quam inferiori per ſyringam pro conſolidatione & abſtertione materiæ ſequentis portionem injiciebat.

Ex vulnere quæ excreta.

℞ Hordei

℞ Hordei bene mund. M s. *Bulliat in ſ. q. aq. comm. ad crepatur. ut remaneat* ℔ j. *cui adde* Sanicul. Pirolæ, Conſolid. ſarrac. an. P ij. Florum Hyperic. Roſar. rubear. an. P iij. *Facta una aut altera ebullit. cola & affunde* Syrup. de ſucco Nicot. ℥ j. Mell. roſat. Syr. de roſis ſicc. an. ℥ s. *Miſce.*

Decoctum pro ſyringatione.

Interea & tentas inungebat incarnativo, & cataplaſma removebat, cujus loco linteamina in vino madefacta ſequenti adhibebat

℞ Herbar. Abſynthii, Comar. Hyper. an. P iiij. Roſar. rub. Salviæ, Flor. Chamomill. Melilot. an. P iij. *Bulliant in ſ. q. vini rubr.*

Vulnus in ſuperiori parte conſolidabatur facillime, at in inferiori econtra, pili enim indies evacuabantur, præſcribebat inſuper purgationem hanc

℞ Folior. Sen. Elect. ʒ ij. Rhabarbar. opt. ℈ iiij. Sem. Cartham. conq. ℈ ij. *Spicæ parum* Zingiberis Gr. vij. *Fiat infuſ. per noct. in ſ. q. aq. cichor. colat.* ℥ iij. *adde & diſſol.* Elect. Diacatholic. ʒ ij. Roſat. Meſues ʒ ijs. Syr. Roſat. ſolut. ℥ j. Aq. Cinamom. ʒ ij. *Miſce pro hauſtu.*

Purgatio.

Ex cujus uſu bene ſe habebat, ac poſtea per ſyringam ſequens vulneri inferiori injiciebat.

℞ Roſar. rubear. Hyperic. Centaur. min. an. P iij. Equiſet. P ij. Malicori, Radic. Apii an. ʒ j. *Bull. in* ℔ j. *vini rubr. ad tertias, colat. adde* Syrup. Mirtini ℥ j. De roſis ſicc. ʒ vj. *Miſce.*

Decoctum.

His uſis incepit & conſolidari, aſt quoniam ipſi iter erat faciendum, neceſſaria data fuere; ubi reverſus, curatus ex toto ad parentem venit, ipſique retulit magnam copiam pilorum & goſſipii adhuc excretam fuiſſe, quo facto vulnus ex ſeipſo quaſi conſolidatum.

OBSERVATIO XLVII.

In vulnere ſclopeto facto relinquitur at extrahitur glans.

Militi ex vulnere ſclopeto facto glans remanet in medio femoris, ſpecillo inquiritur, quouſque nam penetraſſet, reperitur illam oſſi quaſi incumbere, ſtatim, antequam tumor ſuccederet, terrebellum cum ſua cannula immittitur, circum agitur, glandique infigitur, & extrahitur, poſtea adhibentur medicamenta ſuperiori obſervatione notata, ac tradita, curaturque.

Extractio glandis.

Notet hic chirurgus, in omni vulnere in quo glans aut alia aliqua pars relicta, hanc ſtatim, & in principio eſſe extrahendam, quoniam tunc partes adhuc ſunt ſtupefactæ, inflammatioque nondum adeſt. Si enim poſt aliquot dies fieret extractio, tum metuendum, ne nova aliqua inflammatio, dolor aut hæmorrhagia ſuperveniat. Inſtrumenta autem ad glandes aliaſque res extrahendas, ſunt *Roſtrum corvinum, gruinum curvum & rectum, anatinum lacertinum, pſittacinum, olorinum, Glandium allex, terebellum cum ſua cannula.* Plura vide apud Paræum & alios.

Quando extrahenda glans.

Inſtrumenta.

Alio quoque modo glans extrahi poteſt, ſectione ſcilicet facta ad partem oppoſitam; quinimo & ad multos annos, ſi fuerit ſtannea vel plumbea, detineri, quoniam ærugine non obducitur, poteſt: ſecus vero fit, ubi illa exiſtit ferrea, vel ſit alia aliqua pars ex ferro compoſita, hæc, quoniam ferruginem contrahit, ne coaleſcat, & cicatrice inducatur vulnus, obſtaculo eſt. Adhæc plumbea glans etiamſi ex loco diſcedat, ſuppurationem & abſceſſus nullo modo producit. Non raro & natura glandem ad cutim uſque poſt multos annos detrudit, tuncque facta inciſione facillime extrahi, vulnuſque conſolidari poteſt.

Per ſectionem in parte oppoſita factam extrahitur glans.

Glans plumbea ad multos annos in corpore deliteſcere ferrea non poteſt.

Advertat & hic chirurgus, ut in quo ſitu fuit patiens, dum inflictum vulnus, in illum & membrum collocet, ſecundum Hipp. & Celſ. lib. 5. tum enim melius ſtylo glans inquiritur.

Situs ad extrahendum quis conferat.

OBSER-

OBSERVATIO XLVIII.

Vulnus ſclopeto factum penetranſque cum oſſis fractura ut tractatum.

ADoleſcens quidam corporis habitu plane cacochymico, ac ut ſuſpicio erat, affectus morbo Gallico, glande diſpartita, filoque connexa, paululum ſupra genu transfoditur, oſque femoris una contuſim frangitur, ſequenti autem modo nulla ſuperveniente ad multas ſeptimanas inflammatione tractatur. In primis diebus magnam materiæ phlegmaticæ expuebat copiam ventriculo exiſtente ſatis imbecilli, nihilque nec cibi nec potus retinere poterat, ſed ſtatim poſt aſſumptum evomebat; bona inſtituitur imprimis victus ratio, ac prima die vena ſecatur, vulneri in parte ſuperiori, ubi erat introitus glandis, in inferiori ubi exitus, prope finem quaſi femoris imponuntur tentæ illitæ hoc digeſtivo.

Vulnus ſclopeti cum oſſis fractura.

Digeſtivum.

℞ Terebint. Laricin. ℥ j. Myrrhæ ʒ js. Vitell. ovi N j. *Miſce.*

Ac ſequens cataplaſma tepide ſecundo de die adhibetur cum empl. Diachylo.

Cataplaſma.

℞ Panis tritic. piſt. in pulv. ℔ iij. Lactis q. ſ. coquatur ad conſiſt. *in fine add.* Olei roſat. ℥ iij. Violat. ℥ js. *Miſce.*

Perſeveratur in applicatione hujus cataplaſmatis ad aliquot dies, tum hoc præſcribitur.

Aliud Cataplaſma.

℞ Panis tritic. ℔ ij. Furfur. ejuſdem ℥ iiij. Flor. Chamom. Melilot. an. M ſ. Scord. P iij. *coque in ſ. q. vini albi ad conſiſt. in fine addend.* Olei roſat. Violat. an. ℥ js. *Miſce.*

In tanta copia quotidie pus emanabat, ut libram interdum adæquaret & mediam; erat autem ſumme fætens, & ſanguinolentum, dolor acceſſerat intenſiſſimus, vehementiſſima febris, alvuſque aſtricta, injiciuntur clyſteres nec non per os datur caſſiæ potio.

Puris quantitas.

Tali

Femur quo modo infasciatum.

Tali autem modo fasciis femur involvitur ac munitur. Quinque subtus femur apponuntur fasciæ latæ tres digitos circiter, longæ ultra ulnam, ita ut unius portio medietatem quasi alterius tegat, ducitur postea una post aliam, & oblique flectitur faciendo crucem, supponitur linteum aliquod latum has fascias tegens, cum lamina, in lateribus habens ligulas, quibus constringi possit, quæque ex toto quasi circumdat femur, tam secundum longitudinem quam latitudinem, fitque capsula a podice ad plantam usque pedis tendens, in qua reponitur, & circumcirca, quo firmius locetur, stupa munitur. Aut chartæ laminæque loco cesticillus sive torulus, sequenti modo compositus potest applicari, sumatur stramen, ac tantum combinetur, ut fieri possit crassities sufficiens rotunda, baculi instar, longitudoque sit talis, qualis necessitas postulat, sintque fustes numero duo; arripiatur postea telæ portio longitudinem adæquantis fustium, ex stramine vel ligno (*perinde est*) confectorum, ad cujus partes laterales illud consuatur, latitudinem autem ulnæ habeat tela, in cujus medio femur imponatur fasciatum, postea latera seu fustes toruli circumvolvantur, usque quo femur pertingant, & vinculis subtus cesticillum repentibus constringantur.

Cesticilli descriptio.

Usus cesticilli.

Notet chirurgus, hujus usum non esse æque tutum in fracturis; præsertim ubi vulnera sunt ad latera, quoniam fustes hi, incumbendo vulneribus, eaque comprimendo, dolorem & inflammationem accersunt: in iis autem fracturis, in quibus unum duntaxat vulnus illudque non in parte laterali, sed in superiori aut inferiori consistit, accommodatus est cesticillus hic, charta vero & lamina accommodatior in aliis.

Hic modus infasciandi ad temporis spatium sat longum fuit adhibitus, & præcautum, quod vix notabilis aliqua successerit inflammatio: tandem, ut fieri solet in vulneribus cum ossium fracturis subtus genu abscessus, ut & in inguine dextro reperti, qui emplast. Basilicon. ad suppurationem ducti, postea incisi, impositæque tentæ cum mundificativo & digestivo. His abscessibus curatis, post aurem *Parotis* exorta, quæ tamen quarta die evanuit, ac subtus calcaneum tumor sese prodidit, quem insequuta gangræna; applicatur cataplasma præscriptum, magnaque ejus portio admoto mundificativo, decidit, ast emplastro diapompholigos consolidatur. Interim ex vulnere inferiori, superiori consolidato continue effluit magna materiæ copia, ossiumque frustula partim extrahuntur partim sponte emplastris & tentis adhærentia excernuntur, ac per syringam portio sequentis tepide injicitur: ℞ Vini

Abscessus semper quasi oboriuntur in vulnere cum ossis fractura.

Gangræna calcanei.

Extractio ossium.

℞ Vini rubri ℥ vj. Theriac. ʒij. Radic. Irid. Flor. pulv. ʒiij. *Misce*.

Per syringam quid injectum.

Ac ferulæ applicantur, quoniam has in principio adhibere non erat tutum, *Ille autem observatus est modus*.

Modus observatus in ferularum applicatione.


Primo adhibetur vulneri tenta & emplastrum, supra quod lamina ex plumbo instar nummi regii, imponitur, involvitur fasciis dein talibus quinque ut superius, sed illitis emplast. diapalm. *quod exsiccat, callum generat & confortat*. Deligatur postea fascia in vino rubro madefacta, a genu incipiente, ad coxam vero tendente; quatuor deinde applicantur ferulæ, duæ subtus, duæque supra, quæ & alia fascia operiuntur, tum inciduntur fasciarum portiones ad laminam usque plumbi, quæ extrahitur, ac quantum conducibile erat, pro medicatione vulneris exscinditur, laminaque superius adhibetur tradita, quæ & pervia in loco vulneris, ac ita capsulæ imponitur, dumque vulneri medicamenta adhibebantur, nullæ fasciæ interdum ad 5, 6, vel 7, diem disligabantur, femurque ne quidem movebatur, sed duntaxat capsulæ partes laterales cum lamina solvebantur, emplastrum amovebatur, vulnus mundificabatur, tentæ imponebantur excavatæ, *spolette* ab Italis dictæ, inunctæ incarnativo, præmissa prius syringatione ex materia supra scripta, applicabaturque emplastrum Diapalmæ cum spongia in vino rubro madefacta; vulnus incepit incarnari, os quoque callo obduci. At quoniam patiens plane immorrigerum se in omnibus præbebat, nec diætam servare, neve in lecto quiescere volebat, derelictus, & post mensem superveniente gangræna mortuus.

Tentæ quales.

Notet hic chirurgus, ne ossa, antequam ex toto a partibus adhærentibus fuerint seperata, extrahat, magnum enim alias inferet dolorem, inflammationemque.

Quando ossa eximenda.


Figura monstrans laminam.



1 Laminæ medium.
2 Foramen in lamina, vulneri appropriatum.
3 Excavatio pro natibus.
4 4 Ligulæ in utroque latere duæ, quibus laminæ latera conjunguntur.


C A P-

CAPSULÆ figura.




1 Foramen in fundo capſulæ pro calcaneo.
2 Capſulæ latus ſiniſtrum.
3 Fundus.
4 Latus capſulæ dextrum.
5 Capſulæ pars cui innititur planta pedis.

CESTICILLI forma.



1 1 Vinculum ſubtus ceſticillum repens, quæ interdum ſunt numero 2, interdum 3.
2 2 Duo fuſtes ex ſtramine vel ligno facti.
3 Linteum.

FORMA POSITURÆ pedis in capſula.



1 1 1 1 Vincula quatuor quibus partes capſulæ laterales, conjunguntur.
2 2 Linteum latum quod reliquas ambit faſcias.
3 Faſciarum adductiones & involutiones.

CAPUT

CAPUT XLIV.

De morsu hominis irati, & viperæ.

Hominis irati morsum æque perniciosum & periculosum ac canis rabidi esse, similiaque quasi excitare symptomata, quotidiana testatur experientia; ac Paulus ista cum venenosis confert, siquidem *inquit*, maligniores multo cæteris aliis ulceribus apparent, præsertim si, qui morsum intulit, jejunus fuerit, anteaque legumina pro cibo sumserit, atque imprimis lenticulam: asseritque, se animadvertisse, quod non secus ac si a cane rabido fuissent demorsi *Hydrophobia* correpti fuerint. Ac Celsus lib. 5. omnes fere morsus virus quoddam habere asserit: unde autem ex morsu tam gravia oriantur symptomata investigatione dignum: an quod dentes habeant talem proprietatem a natura vel primo ortu, an vero præter dentes adsit & inveniatur alia aliqua materia tanquam causa horum symptomatum.

Morsus hominis irati periculosus.

Hydrophobia ex morsu hominis.

Quantum ad primum. Dentes non habent talem a natura & primo ortu proprietatem, ut ex definitione essentiali colligere licet: sunt enim ossa durissima maxillarum, quibus per *Gomphosin* inarticulantur, in alveolis contenta, carne *Gingiva* dicta circumcirca donantur, sentiunt, nam a frigore læduntur, & ab acrimonia *Hæmodia*, seu stupor illis inducitur, in parte interiori excavantur, in qua medulla continetur, membrana ut reliqua ossa non investiuntur, neve etiam porositatibus gaudent. Hinc liquet, nihil venenositatis dentibus inesse, quoniam sunt ossa, & quidem durissima, ex seminis parte viscida & terrestri genita. Experientia quoque dictat, talia symptomata non fieri ratione ossis; quot enim mordentur, qui facillimo, nullo accidente superveniente, negotio curantur. Videmus infantes papillas mammarum matrum dentibus vulnerare, unde nil nisi dolor *(qui omnibus solutionibus continui est communis)* propter partis sensibilitatem infertur; ossa quoque alia franguntur, partes vulnerant, nec talia excitant. Objiciunt hic aliqui, quod dentes dum mordendo, vel ossa dum sauciando lædunt partes, gravia excitant interdum symptomata. Ad quod responsio, dolorem illum non provenire ab osse, tanquam instrumento lædente, sed a parte læsa, E. G. Si carnosæ afficiuntur, dolor quidem exsurgit, major vero & maximus,

Dentes soli & per se non inducunt talia symptomata.

Exemplum infantum.

Objectio.

Responsio.

imus, ubi partes nervosæ, & talis dolor supervenit etiam nervo vulnerato ex quocunque instrumento. Quare non valet objectio illorum, qui dicunt, dentes vel ossa per se accidentia talia excitare posse, quancumque etiam vulneraverint partem. Nam, quot pueri cadunt, qui dentibus vel linguam vel labia vulnerant, curanturque facillime. Unde concludo, dentes non habere insitam & occultam quandam proprietatem talia inducendi symptomata: *et tantum de primo.*

Alia adest materia symptomata talia inducens.

Ad secundum quod attinet, an adsit materia aliqua adjuvans & conjuncta. *Maxime*, sputum scilicet, non vero omne, alias enim morsus placati hominis & infantum, *(ut superius dictum)* ut pote, qui sputum in ore habent, esset tam perniciosus, sed ille morsus est periculosus, in quo sputum tantopere agitatur, ut spumæ reddatur simile, & acrimoniam ac venenositatem quandam, ob bilis, quæ commovetur, quæque tyrannus, ebullitionem, acquirit; tale sputum, quoniam virulentiam quandam habet, insinuat sese vulneribus, dentibus factis, ad partes defertur corporis circumstantes, quod si illæ nervosæ fuerint, tum ob venenositatem & humoris acrimoniam stimulantur, ac ad spasmum, motus convulsivos, efficiendum, irritantur; si vero venæ & arteriæ, has transit, defferturque ad cor, unde calor excitatur, febres ac syncope oboriuntur. *Adde* quod & non raro gangrænam & sphacelum inducat irati morsus, quoniam caliditas illa extranea spiritus & calorem nativum primo debilitat, postea superat.

De morsu viperæ.

Similiter & accidit in morsu viperæ, qui etsi est periculosissimus, & spatio 24 horarum (*ut in Italia aliquoties a me observatum*) interficit: tamen illud periculum non dependet a morsu facto dentibus, sed quatenus materia quædam inter mordendum (*ut Patavii, dum viperæ in fine Maj. mactantur, vidi*) ex vesicis illis post dentes latitantibus, ejaculatur & emittitur: non solum acris, sed & maxime venenosa, ita ut, si irritetur vipera, & dentibus arripiat baculum vel linteum, eosque illi infigat, tum circumcirca vestigium apparet lividitas quædam, & ac si esset tinctum colore flavo & nigro, vesiculæque collapsæ videntur.

Objectio.

Sed hic objiciet fortassis aliquis, qui in Italia aut loco ubi viperæ reperiuntur, fuit, illos, quos Itali vocant *Ciarletani* aut *Mont'imbanchi* nos circumforaneos, quippe quod hi illas sine noxa tractant, ut & ego Patavii, Bononiæ, Romæque maxima cum admiratione vidi, quod ori suo intruserint viperarum ora, & sine læsione extraxerint. Hi sciant, illos fucate age-

Responsio.

re,

re, viperas primo irritare, ac postea ori intrudere pannum, in quod dentes infigunt, ac venenositatem ejiciunt, idque non semel sed reiteratis vicibus, donec omnes dentes ad minimum extracti, vel venenositas omnis ex vesiculis effusa.

Sit itaque ratum ac firmum hoc pro conclusione, nec dentes humanos per se, neve etiam viperarum, sed sputum, & materiam illam venenosam ex vesiculis ejaculatam tam gravia excitare symptomata. Conclusio.

OBSERVATIO XLIX.

Ex morsu hominis irati gravia symptomata.

VIR quidam ætatis suæ annumagens 40. dum rixas ac jurgia, cum quodam suorum consanguineorum, homine supramodum bilioso haberet, ac alter alteri cedere nollet; ad verbera pugnosque devenerunt; Tandem hic hujus pollicem circa primum articulum, dentibus præsertim duobus illis *caninis dictis* arripuit & sauciavit, unde maximi exorti fuere dolores, ex dolore inflammatio totius manus, febris continua, corporis inquietudo, lipothymiæ frequentes, intensus quoque capitis dolor: *tempus quinetiam supramodum erat calidum.* A parente statim sequentia ordinabantur. Morsus in pollice.

℞ Terebint. Venet. aliquot. lotæ ℥j. Pulv. lumb. terr. ℈ij. Thuris ʒs. Vitell. ovi N. 1. *Misce.*

quo inungebantur filamenta & calide vulneribus cum emplastro citrino imponebantur. Duo autem erant vulnera, unum in parte superiori, alterum in inferiori, ad os usque penetrantia, manus ad carpum usque inungebatur *oleo rosato.* Quotidie vero dolores evadebant intensiores, motus sensusque pollici auferebatur, unde judicabatur nervum esse læsum, circumcirca vulnera totamque manum livor apparebat. Quare sequens cataplasma applicabatur tepide. Cataplasma.

℞ Scordii. Alliariæ. an. P iiij. Absinth. Comar. Hyperic. Salviæ. Amar. an. P ij. Rosar. rub. P iij. Flor. chamomill. Melilot. an. P j. Medull. panis siligin. ℥ iij. Furfurum ℥ j. Farin. Lupinor. ℥ js. *Cum s. q. vini fiat cataplas. in fine addendo* Olei Rutæ ʒ vj. Rosat. lumb. ℥ js. Vitell. ovi. N i. Croci ℈ i. *Misce.*

Suppositorium Alvus quoniam astricta præscribebatur suppositorium.

℞ Sprm̄. Hieræ Picr. ℈ij. Trochis c. Alhandal. Gr. vj. Salis Gemmæ ℈s. *Mellis q. s. fiat supposit.*

Per os sumebat pruna & uvas corinthiacas præparatas, solutivasque dictas, alvus respondere, febris remittere, pusque aliquomodo concoctum generari excernique cæpit. Diæta ordinabatur optima, venæ sectionem (Germanorum more) admittere nolebat, deliquio interim animi & vigiliis magnis vexabatur, ordinabantur hæc.

Aqua confortativa. ℞ Aquæ Acetos. Borag. Bugloss. Rosar. an. ʒvj. Aquæ Theriacal. Cinamom. an. ℥s. Magister. Perlar. ℈s. Sacchar. Perlar. ℥s. *Misce.*

Et dabatur cochlear per intervalla.

Linimentum pro conciliatione somni. ℞ Olei Papaver. ℥s. Rosat. omphac. ʒiij. Ungt. Pop. ʒijs. Opii in aceto dissol. Gr. iiij. *Misce.*

Quo inungebantur tempora & frons.

Emulsio. ℞ Sem. Melonum excort. ℥s. Papav. albi ʒiij. Amygdal. amar. N. vj. Aqu. Rosar. ℥ij. Lactuc. Endiv. Cardui bened. an. ℥j. *Misce pro emulsione.*

Qua usus, per duas tresve horas dormivit: dolor autem circa pollicem manumque nihil remittebat, sed latius sese extendebat. Quare circa carpum & supra cubitum apponebatur defensivum hoc,

Defensivum. ℞ Ungt. Rosat. camphor. Sandalini an. ℥s. Olei rosat. cum succ. solan. ʒiij. Boli armen. ver. ʒij. Pulv. rosar. rubear. ʒj. Aceti rosat. parum *Misce.*

Dolor aliquomodo sequenti die mitigabatur, & de nocte melius dormiebat: pusque optime concoctum effluebat, at ossiculum denudatum, nervusque seu potius tendo niger conspiciebatur, quare inspergebatur portio sequentis pulveris.

Pulvis. ℞ Radic. Aristol. rot. Peuced. Iridis an. ℈j. Cornu cerv. ust.

ust. præparat. Pulv. lumb. ter. Thuris an. ℈s. *Misce fiat pulvis subts.*

Supra quem imponebantur filamenta illita emplast. Diapomph. tecta Diapalm. Metus, qui aderat, amputandi pollicem, depellebatur, & portio tendinis, magna exscindebatur, ossiculumque primum plane cariosum cum ungue extrahebatur; At manus digiti propter diuturnam ligationem, ut & pollex, motu destituebantur. Quare, præscribebantur fomentationes, balnea & linimenta (*vulneribus prius cicatrice obductis*) emollientia corroborantiaque: manus tandem digiti (*non pollex propter nervi amissionem*) motum recuperarunt, ac etiam si erat dextræ manus pollex, in scribendo tamen non fuit impedimento, sed & novo ungue donatus, & curatus.

Quæ exemta.

OBSERVATIO L.

Morsus viperæ ut curatus.

ADolescens annorum 25. cum Patavii cohabitaret pharmacopœo, tempusque esset viperarum, unam e vitro, cui inclusa erat, extraxit, manibusque tractando irritavit, illa caput erigendo, ac pollicem arripiendo sauciavit ac vulneravit; unde confertim oriebantur maximi dolores, & lipothymia: arcte ligabatur circa secundum pollicis articulum, tamen tota manus ad carpum fere usque elata est in tumorem, ubi & alia, priore disligata, instituta est deligatura, vulneraque dentibus facta statim ferro candenti excepta, Theriacaque una cum sale & aqua theriacali applicita & exhibita, ut & pullus vivus per medium divisus calide appositus: de nocte maximos habuit dolores, & vigilias: mane totum brachium erat intumefactum, quapropter ordinatum est *ol. rosat. lumbricat. et violat.* pro lenitione doloris, secta fuit vena (quoniam corpus ei erat plethoricum) eductusque sanguis ex opposito latere e mediana ad ℥ vj. ex cujus sectione, magnam persensit alleviationem, deligaturaque relicta prope carpum ad quartum usque diem antequam ex toto ablata; at singulis diebus aliquantulum remissa, pullusque secundo de die renovatus seu denuo appositus. Rejecta tandem fascia tumoreque resoluto, quoniam duo erant vulnera, emplast. Diapalm. curata sunt, appositis interim circa manum linteis duplicatis imbutis ac madefactis in vino rubro,

Quæ facta circa vulnera.

Venæ sectio.

bro, in quo erant coctæ herbæ, *ut Salvia. Scord. Puleg. Rof. flor. chamom. melilot*, &c. curatusque quam citissime feliciterque. Huic observationi, sequens de viperis, quas Groninganus ager in Belgio excludit & alit, adjungere & annectere placuit. Nemo quidem in Germaniæ totius circulo repertus fuit unquam, qui asseruerit, eas hisce in regionibus reperiri aut gigni; at raritatis causa ex Italia translatæ habentur. Verum non ita pridem Pharmacopœus noster D. JACOBUS ab Alen ex loco supradicto tres viperas ibidem natas secum huc Bremam transportavit; vendunt enim illas & quidem copiose rustici istius *(ut refert)* loci. Post aliquot autem dies una illarum peperit, fœtusque uno tempore quinque, duos mortuos tres vivos, & denuo interpositis tribus quatuorve diebus, alium, at mortuum peperit: Exclusæ autem viperæ variis mæandris & gyris erant implicitæ, cuticulaque squamosa tenui tectæ, & velut humore aliquo glutinoso gyri illi inuncti cohærebant. Post duas autem horas circiter disjungebantur, & abscedente cuticula repebant; longitudo vero exclusæ erat decem quasi digitorum transversorum. Adhæc viperæ hæ cum aliis colore, forma ac magnitudine conveniunt; veneni vero vis languidior nec admodum intensa est. Demorsi etenim non tam sævis ac periculosis afficiuntur & obruuntur symptomatibus, atque alibi fieri solet; pars quidem morsa intumescit, ast notabilis vix subsequitur dolor, multo minus febris & deliquium animi. Causam autem remissioris veneni refero ad victum & aerem qui in Italia nostro est calidior. Auctores insuper & rerum naturalium indagatores volunt, in coitu fæmellam mari os, quod indidit suo, demordere, illumque inde mori, fœtusque postea ventrem erodere matris illamque post partum obire: Quod secus evenit, nam, quæ Bremæ fœtum suum exclusit, ea adhuc vivit. Has autem quoque & veras esse viperas patet inde, quia non ova ut serpentes, sed vivas & perfectas sui generis soboles edunt.

Viperæ in Groningano excluduntur agro.

Quomodo excluduntur viperæ.

CAPUT

CAPUT XLV.

Singuli articuli in quo ſitu vulnerati reponendi, ac eorum muſculi.

ANAT. Inter articulos hic refero, Caput, Cervicem, (*quoniam eorum muſculi ante non ſunt traditi*) Brachium & Pedem.

CAPUT movent muſculi 14. in utroque latere 7. 2. MASTOIDEI antrorſum. MAGNI 4. SPLENII 2. COMPLEXI 2. PARVI 4. dicunturque RECTI, extendunt, nec non OBLIQUI 4.

Muſculi capitis.

CERVIX gubernatur 8. muſculis, LONGIS 2. SCALENIS ſeu TRIANGULARIBUS 2. flectentibus. TRANSVERSIS 2. SPINATIS 2. extendentibus.

Muſculi cervicis.

Ad brachium reduco, Scapulam, Brachium ipſum, Cubitum, Radium, Carpum, Digitos & pollicem.

SCAPULAM movent 4. 1. TRAPEZEUS, ſeu CUCULLARIS, quia monachi refert cucullum, ſeu ornamentum iſtud, quod Italæ mulieres geſtant, vocitantque *un velo*, VELARIS. 2. LEVATOR, qui & dicitur MISERICORDIÆ, PATIENTIÆ, PAUPERTATIS, & ITALORUM (*quoniam hi optime norunt hoc muſculo uti)* trahunt hi duo ſurſum: 3. SERRATUS MINOR, antrorſum. 4. RHOMBOIDES ſeu QUADRANGULARIS, retrorſum.

Muſculi ſcapulæ.

BRACHIUM muſculos habet 8, 1. eſt DELTOIS, ſeu EPOMIS. 2. SUPRASPINATUS, attollunt. 3. LATISSIMUS, ANISCALPTOR, IMPUDICUS, 4. ROTUNDUS MAJOR, deprimunt. 5. PECTORALIS, PENTAGONUS, antrorſum. 6. INFRASPINATUS. 7. SUBSCAPULARIS ſive IMMERSUS. 8. ROTUNDUS MINOR, retrorſum trahunt.

Muſculi brachii.

CUBITUS 4. gaudet muſculis, 1. dicitur BICEPS, Italis PISCETTO, PISCIS. 2. BRACHIÆUS, flectunt, 3. LONGUS. 4. BREVIS, extendunt.

Muſculi cubiti.

RADIUM movent 4. muſculi 2. ſunt PRONATORES. 1. Dicitur ROTUNDUS, 2. QUADRATUS. Duo SUPINATORES, 3. LONGIOR. 4. NERVOSUS.

Muſculi radii.

CARPUS muſculos habet 4. 2. flectunt. 2. extendunt.

Muſculi carpi.

DIGITI

Musculi digitorum manus. DIGITI quatuor manus 15 habent, 1. PALMARIS. 2. SUBLIMIS. 3. PROFUNDUS, flectunt. 4, 5. hi duo extendunt. 6, 7, 8, 9. sunt LUMBRICALES, adducunt. 10, 11, 12, 13, 14, 15. INTEROSSEI.

Musculi pollicis manus. POLLEX musculis donatur 10, 1. FLEXOR. 2, 3. extendunt, 4, 5, 6. adducunt, 7, 8, 9. abducunt. 10, hic ab aliquibus in quatuor dividitur.

PER PEDEM intelligo hic femur, crus seu tibiam, pedium, digitos & pollicem pedis.

Musculi femoris. FEMUR movent musculi 14. 1. PSOAS, 2. ILIACUS, flectunt. 3. GLUTÆUS major. 4. GLUTÆUS minor. 5. GLUTÆUS medius, dicunturque PULVINARES, extendunt. 6. 7. 8. TRICEPS, pro tribus accipitur, adducit. 9, 10, 11, 12, QUADRIGEMINI, 13. 14. OBTURATORES, abducunt.

Musculi cruris. CRUS seu TIBIA musculis movetur 11. 1. SEMINERVOSUS. 2. GRACILIS. 3 INNOMINATUS. 4. BICEPS, flectunt. 5. RECTUS. 6. VASTUS externus. 7. VASTUS internus. 8. CRUREUS, extendunt. 9. LONGUS, SUTORIUS. 10. POPLITEUS, adducunt. 11. MEMBRANOSUS, abducit.

Musculi pedis. PEDIS musculi sunt 6. 1. TIBIEUS anticus. 2. PERONEUS, flectunt. 3, 4. GEMELLI seu GASTROCNEMII. 5. SOLEUS. 6. PLANTARIS.

Musculi digitorum pedis. DIGITI quatuor 14 habent musculos, 1. MAGNUS seu PROFUNDUS. 2. MINOR seu SUBLIMIS, flectunt. 3, 4. hi duo extendunt. 5, 6, 7, 8. LUMBRICALES, adducunt. 9. 10, 11, 12, 13, 14. INTEROSSEI, abducunt.

Musculi pollicis pedis. POLLICIS alii 4. alii 6. constituunt pro ut illos in varios dividunt, &c.

Articulorum vulnera cur periculosa. CURAT. Periculo non vacant vulnera articulis inflicta ob fines nervorum tendines dictos; nam circa articulum semper est quasi tendo, vel membrana, vel ligamentum, aut omnes hæ partes simul: ac propterea incumbendum, ut a frigore muniantur, illud enim inimicum.

Pus quale evacuatur, in vulneribus articulorum. Pus quod excernitur in vulneribus articulorum non est aqua illa quam inepte barbitonsores appellant. Glidwasser. Hoc notandum, quod raro pus adeo concoctum conspiciatur, excernaturque in vulneribus articulorum, quam carnosarum partium, nec album, sed quod continue quodammodo effluat materia aliqua, & quidem in satis magna copia, viscida, lenta aqueaque; quam imperiti barbitonsores ejusdemque farinæ homines ineptissimo vocabulo AQUAM ARTICULORUM, Germanico vero idiomate Glidwasser vocitant. Profecto hoc dicterio ignorantiæ inscitiæque suæ pallium detrahunt, declarantque se anatomicarum contemplationum plane

ne rudes, imperitos ac ignaros esse. Nam quis unquam priscorum ac recentium tum Medicorum tum chirurgorum, qui vidit anatomiam, inventus, qui asseruerit aut ausus fuerit asserere, pus illud, seu materiam illam aquosam, quæ ex vulneratis effluit articulis, & quidem copiose, esse aqueum istum humorem, quo partes, quæ moventur, donantur ac irrorantur, ut facilior reddatur motus. Proh ubinam contineretur copia tanta, quantam illi adesse & quotidie excerni sibi imaginantur: Ignorant profecto causam continue excretionis materiæ istius viscosæ, lentæ, & aquosæ esse dolorem sine intermissione attrahentem, caloris nativi debilitatem, & partium frigiditatem, materiam illam concoquere & in pus bonum convertere non valentem; est autem illud pus bonum & optimum, quod existit crassum, album, leve, & æquale, non fætens nec sanguinolentum. Suffragiis suis nec desunt illi, qui corporis anatomen viderunt, *sive dissectum fuerit animal vivum, sive homo laqueo interemptus:* asserunt enim, se vix copiam notabilem hujus aquæ invenisse, sed solummodo paucam adesse quantitatem inungentem cartilagines: *quæ per symphisin ossibus junguntur, quæque ad faciliorem motum ob levitatem & æqualitatem mollitiemque faciunt.* Nec & ego eo infitias aquam hanc reperiri, sed non in tanta copia, quantam illi sibi fingunt. Hipp. insuper libro de locis in homine, & de fracturis ossium testatur, humorem aliquem, sed per quam paucum prope articulos esse, usumque agnoscit, ne ex continuo motu exsiccentur *(cartilagines scil.)* ac ut ob lubricitatem hujus humoris membra facilius motum suum perficiant. Qua similitudine ducti aurigæ, rotas suas, quo melius ac levius circumagi volvique possint; pice liquida inungunt. Valeat itaque barbitonsorum ineptus ille & a veritate ocularique inspectione toto cœlo aberrans verbi materiæque hujus abusus, sciantque, materiam hanc purulentam non esse aqueum humorem articulorum, qui inservit faciliori (*ut superius dictum*) motui, sed debere dici pus minime concoctum, partim ob dolorem perpetuo attrahentem, qui est circa vulneratos articulos ob nervosas circumstantes partes (*unde tanta materiæ illius excernitur copia*) partimque ob calorem naturalem superatum ab extraneo, nec non ob partium frigiditatem (*quoniam articuli excarnes sunt*) ut & propter inscitiam, dum non bene hæc vulnera tractantur: unde non in pus bonum, sed viscidum, lentum & aquosum materia convertitur.

Cur continue & in tanta copia tale pus inconcoctum excernatur.

Pus quodnam bonum.

Usus aquæ articulorum & humiditatis quæ prope articulos est.

Vulnera articulorum tractantur simili modo, ut in cap. 42. & obs. 41. & 42. traditum: ac tantum de curatione.

Membra quomodo ſituanda.

MUſculis capitis ac cervicis vulneratis, rectus convenit ſitus. Sauciato brachii articulo cum ſcapula, labra (*ſi neceſſe*) ſutura conjungenda, glomus alis imponendus, ac mitella totum brachium, quo & cubitus ſuſtineatur, & caput humeri in alto contineatur, involvendum. Cubitus vulneratus tranſverſus geratur in mitella (*ſit autem illa ſatis larga, quia ſtricta phlegmonem doloremque excitat*) donec incarnatio incipit, ubi illa paululum indies relaxanda, quo fiat pendula & partes conjungantur. Interea non nimis arcte labra in vulneribus cubiti (tum n. flexio poſt curam impeditur) adducantur. Ubi vulnus fuerit in carpo aut digitorum articulis, externe vel interne, lignea manus conficiatur, cujus digiti ſint excavati, ac in ea reponatur manus, & in mitella ſuſpendatur, vel conficiatur pila ſeu glomus, quæ manui indatur.

Hæc Figura monſtrat manum comprehendentem glomum.



1 Glomus, ſeu pila.

Sauciato femoris articulo decumbendum eſt ægro, rectoque femur collocandum ſitu. Genu vulneratum ad eandem reducendum poſituram. Pes ejuſque digiti vulnerati, non (ut manus) incurvandi, ſed recta ſurſum in capſula ſunt reponendi.

Atque hæc pro hoc tempore de chirurgiæ ſpeculo; quam meam protopirian ſi lector candidus boni conſuluerit, excitabit me, ut, quas habeo de ulceribus, tumoribus, fracturis, diſlocationibus: obſervationes & curationes etiam ad editionem ſim paraturus. Dabitur autem venia, ſi in hoc inſtituto majorem rerum, quam terſi eloquii rationem habeam, & ad forum, ut ita loquar, chirurgicum me accommodem. Interim in ſeculum ſit benedictus Deus, qui adverſus ea incommoda, quibuſcum ſubinde vita noſtra periclitatur, varias artes nobis ſubminiſtravit, & per experientiam diligentem hominum eas adauget. Ipſe nos regat, ut caute incedamus in viis noſtris, & a viis ejus non deflectamus, utque medici & ægri piæ naturæ ab eo conſtitutæ miniſterio utamur.

Rerum

Rerum & Verborum memorabilium INDEX.

ABdomen quæ pars Pag. 68
Abſceſſus quaſi ſemper oboriuntur in vulnere cum oſſis fractura 102
Alæ veſpertilionum uteri ibid.
Animi deliquii curatio ex vulnere 6
Aphonia 33
Aqua calida nervis vulneratis non conducit 90
Aqua confortativa 35, 108
Aquæ hordei medicatæ pro epate vulnerato deſcriptio 77
Aquæ articulorum uſus 113
Arteria quid 86
Aſpera arteria quæ dicatur 58
Aſperæ arteriæ vulnera periculoſa 13, 58
Auris unde dicatur, ejuſque partes 49

B

Balneum pro lotione pedum 48
Balſamum mirabilis efficaciæ 15
Bronchia quæ dicantur 58

C

Calcanei gangræna 102
Cancer faſcia 31
Capſulæ figura 104
Caro regeneratur ſecundum medium homogeneum 16
Cartilagineæ partes nudæ, quomodo tractatæ 50
Carus quid 32
Cauſa cur, vel ſola dextra pars vel ſola ſiniſtra paralyſi afficiatur 37
Cauſa cur continue ex vulneribus articulorum & in tanta copia pus inconcoctum excernatur 113
Cautio in faciendis ſuturis, ubi vulnera ſunt prope tendines 96
Cerebrum quid 25
Cerebellum quid 26
Cerebro pinguia inimica ibid.
Cerebri exemtio 27
Cerebrum pro pure judicatum 28
Cerebelli proceſſus vermiculares 26
Cerebro vulnerato quæ conveniant ibid.
Cerebri proceſſus mammillares ibid.
Ceſticilli deſcriptio 102
Ceſticilli forma 104
Chirurgo quæ facienda Pag. 14
Chirurgus ſit anatomicus 15
Cicatrix fit loco cutis 18
Collyrium conſolidans 47
Collyrium cicatricem abſumens 49
Corde vulnerato ſupervivit cuniculus 66
Cordis ſitus 65
Cordis paries ibid.
Cornua uteri 85
Corporis apertio & quæ inventa 68, 74, 81
Cranii apertio poſt mortem 28
Cranii fracturæ ſpecies 19
Cranium quid, ejuſque oſſa ibid.
Cremaſteres muſculi 81
Cutis quid 17
Cuticula quid ibid.
Cutis pori ibid.
Cutis pars ſpermatica 18

D

Decoctum vulnerarium pro pulmone 62
Decoctum vulnerarium in læſione diaphragmatis 67
Decoctum vulnerarium pro œſophago 74
Decoctum vulnerarium pro liene 80
Decoctum aſtringens 52
Deligaturæ fortes cauſæ inflammationis 5
Deliquii cura ob hæmorrhagiam 6
Deliquii cura ex veneno ibid.
Deliquii cura ex dolore ibid.
Delirii cura ex vulnere 8
Delirium ab inflammatione ibid.
Delirium ex veneno ibid.
Dentes ſoli & per ſe non inducunt talia ſymptomata 105
Dentium fractura 51
Deſquamatione facta vulnus facile conſolidatur 22
Diaphragma quid 66
Diaphragmatis foramina 67
Diaphragmatis læſi ſigna ibid.
Diaphragmatis partis membranoſæ læſæ ſymptomata 68
Dolor quid 4
Doloris genera ibid.

Doloris

Doloris sedatio Pag 4
Doloris proprietas bid.
Dolor in vulneribus capitis non negligendus ibid.
Ductus, per quem defertur pus ex thorace ad os 62
Ductus, per quem fluit pus ad vesicam ex thorace 65
Ductus, per quem defertur pus ad vesicam ex splene 80
Dura mater 24
Duræ matris sinus ibid.
Duræ matris tumor, & pus intra hanc & piam matrem collectum 25

E

Ecchymosis 20
Ecpiesma 19, 28
Emplastri diapalmæ descriptio 51
Emplastra in vulneribus linguæ adhiberi nequeunt 57
Emplastra in oris parte interna adhiberi non possunt 34
Epar puid, ejusque descriptio 76
Epulotica quæ 18
Erysipelas membranarum cerebri 31
Eschara a ferramentis candentibus relicta ut tractanda 88
Expertissimum ad hæmorrhagiam remedium ibid.
Extremum ad hæmorrhagiam sistendam remedium ibid.

F

Falx quænam dicatur 24
Febris symptomatica cura 9
Febris vulneribus magnis semper accidit ibid.
Febris quando malum signum ibid.
Febris quomodo oriatur a morsu animalis venenosi ibid.
Felicis Plateri observationes de vulneribus vesicæ 81
Femoris infasciatio vulnerati cum ossis fractura 102, 104
Ferulæ quomodo adhibendæ 103
Ferramenta candentia, eorumque effectus 6
Ferrum maxime candens minorem infert dolorem 88
Figura monstrans cranii internam partem 29
Flatus ex vulnere prodeunt 63
Fonticuli dupliciter fiunt Pag. 2
Fonticulus nuchæ inuritur 47
Fœtor insignis ex vulnerato cerebro 33
Frontis musculi 41
Frigida quibus partibus sint inimica 14

G

Gangræna ex sectione venæ in qua nervus seupotius tendo erat punctus 91
Gangræna superveniente vulneri asperæ arteriæ mors subsequitur 59
Glans penis 82
Glans plumbea ad multos annos in corpore delitescere, ferrea non potest 100
Glans quomodo & quando extrahenda ib.
Glans extrahitur per sectionem in parte opposita factam ibid.
Glans veneno infici nequit 97
Glans non agit comburendo 96
Glidwasser 112

H

Hæmorrhagia non semper æque cito sistenda 7
Hæmorrhagiæ cura 87
Historia notabilis 74
Hydrophobia ex morsu hominis 105
Hypersarcosis quid, ejusque curatio 17
Hypersarcosis in naribus causa depravationis loquelæ 56

I

Imaginationis locus 32
Inflammatio ex vulneribus nervorum & cartilaginum 5
Instrumenta chirurgo necessaria 15
Intestinorum vulneratorum dignotio 14
Intestinorum divisio 72
Intestini recti musculi ibid.
Intestina consuendi modus 73
Intestini ilei læsio 75
Intestinorum gangræna ibid.
Intestini coli vulnus ibid.

L

Labra disjungenda in applicatione trepani 23
Labrorum vulneribus externa & interna conveniunt remedia 51
Labrorum compositio & musculi 50
Labra vulnerum quomodo conjungantur 11
Labra vulnerum quomodo adducantur emplastris 40
Labra in uno vulnere citius, in alio tardius adducuntur 16

Lac

INDEX.

Lac mulieris puellam lactantis, sedat inflammationem oculorum estque frigidius Pag. 47
Larynx quæ pars, ejusque musculi 58
Laryngotomia in angina 59
Lienis usus & situs 79
Lienis vulnera periculosa ibid.
Linguæ compositio, ejusque musculi 56

M

Masticatorium 54
Maxillæ musculi 33
Maxillæ inferioris processus ibid.
Mediastinum 66
Membranarum cerebri læsarum signa 24
Membra vulnerata quomodo situanda 113
Mesenterii descriptio 72
Miraculum in epatis vulnere 78
Modus observandus in applicatione ferularum, ubi vulnus est cum fractura ossis 103
Morsus hominis irati periculosus 105
Morsus viperæ cur & unde periculosus 106
M[illegible]us convulsivi e punctura nervi 93
Mulier marito scrotum amputat 83
Mulieres duæ amputato utero supervivunt 85
Musculi partes 14
Musculorum fraternitas 41
Musculi abdominis decem 68
Musculo temporali dextro læso, cur sinister convulsus conspiciatur 41
Musculi capitis 111
Musculi cervicis ibid.
Musculi scapulæ ibid.
Musculi brachii ibid.
Musculi cubiti ibid.
Musculi radii ibid.
Musculi carpi ibid.
Musculi digitorum manus 112
Musculi pollicis manus ibid.
Musculi femoris ibid.
Musculi cruris ibid.
Musculi pedis ibid.
Musculi digitorum pedis ibid.
Musculi pollicis pedis ibid.

N

Nasi partes ejusque musculi 52
Nervi amputati non regenerantur 94
Nervis frigida inimica ibid.
Nervi continuationem habent cum cerebro ibid.
Nervorum origo 89
Nervus quid Pag. 89
Nervorum cerebri paria ibid.
Nervorum spinalis medullæ paria ibid.
Nervi læsi signa 90
Nervus punctus ut tractandus ibid.
Nervus cæsim vulneratus ut tractandus ib.
Nervus denudatus ut curandus ibid.
Nervorum genera 89
Nervo amputato necessario sequitur paralysis 10
Nervi disjuncti conjungi nequeunt ibid.
Nervi cæsim vulnerati non tamen ex toto amputati symptomato 94
Nigredo labiorum in vulneribus sclopetorum unde 97

O

Oculi compositio 44
Oculi humores quinam regenerentur & vivant 49
Oculorum consensus 45
Oculis oleum inimicum ibid.
Oesophagi læsi signa 73
Olea cicatricationem impediunt 18
Omenti situs 68
Omentum quid 69
Omentum frigefactum facile putrefit ibid.
Omentum amputandi modus ibid.
Omenti portio amputatur 70
Ossicula tria auditus 19, 49
Ossis hyoidis musculi 56
Ossa quando eximenda 103
Ossibus pinguia inimica 40

P

Palpebrarum compositio earumque musculi 43
Palpebris vulneratis quæ conveniant medicamenta ibid.
Paralysis quid 9
Paralysi ex vulnere ut subveniendum ibid.
Paralysis post convulsionem 27
Paralysis in parte cui fiat opposita 36
Partes cerebri 26
Pedis positura in capsula 104
Penis descriptio 82
Pericardium quid 66
Pericranium quid 19
Peritonæum quid ejusque situs 69
Perinæi situs 82
Pia matre vulnerata læditur & cerebrum, non vero dura 24
Pia mater quid sit ibid.

Pili

INDEX.

Pili ex vulneribus deperditi cur non regenerentur in cicatrice Pag. 18
Plexus choroides ſeu rete admirabile 26
Pori cutis 17
Præputium 82
Prognoſis de vulneribus inteſtinorum 13
Probatio, vulnera fieri ab inſtrumento interno 2
Probatio, ulcera fieri ab inſtrumento externo ibid.
Proſtatarum ſitus 79
Pulmo quid 60
Pulmones ob continuum motum difficulter conſolidantur ibid.
Pulvis ad oſſa denudata 22, 39
Puris quantitas ex vulnere excreta 101
Pus per os excernitur 62
Pus per urinam excretum in vulnere lienis 80
Pus quale excernatur in vulneribus articulorum 112
Pus, quod excernitur in vulneribus articulorum, non eſt aqua illa quam inepte appellant barbitonſores Glidwaſſer ibid.
Pus quodnam bonum 113
Pulvilli quo in loco reponendi 16
Pylori deſcriptio 72
Pyrius pulvis non habet venenoſitatem 97

Q

Quæ facienda circa auris partes externas vulneratas 50

R

Renum uſus & ſitus 79
Rima an penetret utramque laminam unde dignoſcatur 20
Rima primam ſolummodo penetrans laminam ibid.
Rima ambas penetrans laminas 21
Rima cur contrahatur in parte oppoſita 37

S

Saliva jejuni hominis ſcorpiones occidit 52
Sanguis extra venas poſitus ſtatim putreſcit 23
Sanguinis fluxum quæ ſiſtant 7
Sanguis theſaurus vitæ ibid.
Sanguinis e vulneribus ſclopetorum fluxus cur raro primo at ſeptimo plerumque exoriatur die 97
Sanguis utrum ex arteria an vena fluat 87
Sectio qualis inſtituenda in fronte 42
Septica quæ Pag. 17
Sinus quomodo tractandus 16
Solutio continui quid 2
Spaſmus ex vulnere 10
Spaſmus ex inanitione ibid.
Spaſmus ex repletione 11
Spaſmus ex læſione nervi ibid.
Spaſmi & motuum convulſivorum differentia ibid.
Spaſmi tres ſpecies ibid.
Spolettæ utilitas 54
Stomachi deſcriptio 72
Suppoſitorium 63
Suturarum modi & ſpecies 11
Sutura tendinibus impoſita peſſima excitat ſymptomata 50
Suturæ ſanguinis fluxum ſupprimentes quales 87
Suturarum diviſio 12
Sutura actualis ibid.
Sutura potentialis ibid.
Sutura quando non adhibenda 14
Suturæ capitis quænam 19
Sutura adhibenda antequam partes refrigeſcant 53
Symptomata interdum chirurgum ab inſtituto avocant 3
Syncope quid 6

T

Tabellæ epar & cor confortantes 78
Teſtes ſitu differunt in homine & muliere 81
Teſtes ſunt partes principales 82
Tenta ab Italis dicta ſpoletta ut componatur 16
Thoracis partes quæ 59
Thoracis muſculi 60
Topica in inflammatione 5
Trepanorum in uno adhibitorum numerus 22
Trepanum adhibendi cauſæ & modus 23
Trepanum mas & fœmina ibid.
Trepanum mas cur primo infigendum ib.
Trepana non adhibenda prope ſuturas ibid.
Trepana cur toties mutanda ibid.
Tumoris flatulenti curatio 38

V

Vena umbilicalis 76
Vena quid 85
Venæ & arteriæ quando facile curationem admittant læſæ 87

Venæ

INDEX.

Venæ cavæ descendentis trunci divaricationes Pag. 86
Venæ cavæ ascendentis trunci divaricationes ibid.
Venæ sectionis effectus 5
Venæ azygos descriptio 65
Venæ portæ rami 72
Venæ & arteriæ non coalescunt 87
Venæ deligaturæ 88
Venarum & arteriarum disruptio in capite ob motum reflexum 36
Ventriculi situs 71
Ventriculi superius os 72
Ventriculi usus ibid.
Ventriculi dolor 64
Vermiculares cerebri processus 26
Vesicatorium 47
Vesicula fellea 76
Vesicæ situs urinariæ 79
Victus qualis in linguæ vulneribus 57
Viperæ in Groningano excluduntur agro 110
Visus recuperatur, at objecta duplicata cernuntur 49
Ureter quid 79
Urina purulenta 64
Uteri divisio 84
Uteri situs ibid.
Vulnera munienda, ne extranei aliquid incidat 15
Vulnera in parte capillari quomodo tractanda ibid.
Vulnera corporum sanorum facile curantur 13
Vulnera corporum cacochymicorum difficulter sanantur ibid.
Vulnera cranii prope suturas periculosa 19
Vulnera capitis a barbitonsore neglecta 27
Vulnera cordis lethalia 66
Vulnera uteri cur difficulter curentur 85
Vulnera articulorum periculosa 112
Vulnera sclopetorum fiunt contusione 96
Vulnera sclopetorum cur appareant exigua 97
Vulnera sclopetorum cur interdum habeant gravia conjuncta symptomata ibid.
Vulneratus testiculus dexter ut curatus 82
Vulneribus cerebri convenientia medicamenta Pag. 26
Vulneris definitio 1
Vulneris & ulceris differentia ibid.
Vulneris oculi curatio 45
Vulnerum causæ 2
Vulnerum differentiæ 3
Vulnerum symptomata ibid.
Vulnerum indicationes 17
Vulnerum cutis curatio 18
Vulnerum cum fractura cranii ambarum laminarum dignotio 20
Vulnerum membranarum cerebri curatio 24
Vulnerum auris cura 50
Vulnerum labiorum curatio 51
Vulnerum nasi curatio 52
Vulnerum linguæ cura 57
Vulnerum asperæ arteriæ curatio 58
Vulnerum pulmonis curatio 60
Vulnerum diaphragmatis curatio 67
Vulnerum omenti curatio 69
Vulnerum ventriculi cura 73
Vulnerum epatis curatio 76
Vulnus superficiale 15, 34.
Vulnus profundum sine substantiæ deperditione 16
Vulnus cum deperditione substantiæ 16, 50
Vulnus sinistro cordis ventriculo inflictum periculosius quam dextro 66
Vulnus musculi temporalis 39
Vulnus palpebrarum 43
Vulnus tunicæ corniæ cum effluxu humoris aquei 45
Vulnus tunicæ corneæ cum efflexu humoris aquei & vitrei 46
Vulnus vesicæ cur interdum curetur 81
Vulnus penis 84
Vulnus sclopeti cum fractura ossis 101

X

Xiphoides cartilago 68

Y

Ypsiloides os 57

Z

Zirbus 68
Ziphac 69
Zimphach ibid.

OBSER-

OBSERVATIONUM INDEX.

Prior numerus paginam, posterior observationem ostendit.

CURATIO cranii rimam habentis primam solummodo laminam penetrantem Pag. 20, Observ. 1
Ex casu rima contrahitur ambas laminas penetrans deliriumque subsequitur 21, 2
Vir septies in una capitis parte trepanisatus convaluit 21, 3
Ex collectione puris intra duram & piam matrem gravia symptomata 24, 4
Magna cerebri portio exemta nihilominus supervivente homine 26, 5
Ob læsionem cerebri male tractatam in principio 17 die subsequitur mors 27, 6
Ex insigni ossis contusione cerebroque vulnerato mors 29, 7
Ex læso anteriori cerebri ventriculo sinistro 7 die mors 30, 8
Mulieri 22 infliguntur vulnera, unde varia symptomata & tandem mors 32, 9
Ex contusione musculi temporalis dextri, paralysis, convulsiones & mors 34, 10
Ex contusione musculi temporalis delirium 38, 11
Ex vulnere musculi temporalis nulla fere symptoma, præterquam quod pars opposita convulsa conspiciebatur 39, 12
Ex repetita aliquoties contusione musculi frontis delirium 42, 13
Ex vulnere inflicto cartilagini palpebræ inflammatio tunicæ adnatæ 43, 14
Læsa cornea effluit humor aqueus visusque recuperatur 45, 15
Læsa cornea effluit humor aqueus cum portione vitrei 46, 16
Auris per rectum divisa quomodo curata 50, 17
Superius labrarum contusum dentibus fractis, brevi temporis spatio curatur 51, 18
Ex vulnere nasi oriuntur tumores & abscessus palpebrarum 53, 19
Nasus ex toto quasi amputatus, quomodo consolidatus 55, 20
Loquelæ depravatio ob carnis excrescentiam ex vulnere naribus relictam 56, 21
Linguæ vulnus neglectum inflammationem & livorem inducit 57, 22
Ex vulnere catrilaginosæ & membranosæ asperæ arteriæ partis sphacelus & mors 59, 23
Læso pulmone sanatur patiens, pusque per os evacuatur 61, 24
Ex læsione rami asperæ arteriæ mors 63, 25
In vulnere thoracis pus per urinam excernitur 64, 26
Curatio vulneris inflicti in parte diaphragmatis carnosa 67, 27
Ex vulnere in diaphragmatis parte membranosa mors 68, 28
Ex vulnere omenti non bene tractato oboritur gangræna 69, 29
Vir ex vulnere in œsophago sanatur 73, 30
Læso ventriculo mors 74, 31
Ex vulnere intestini ilei mors 75, 32
Vulnus intestini coli ut curatum 75, 33
Ex incisione epatis profunda adolescens curatur 77, 34
Læso splene pus per urinam excernitur, & vulneratus moritur 80, 35
Læsa vesica tertio die supervenit mors 81, 36
Ex vulnere testis dextri evadit juvenis 82, 37
Scrotum decidit & restituitur novum 83, 38
Mulier marito totum scrotum amputat 83. 39
Vulnus penis mortem fere infert 84, 40
In sectione venæ pungitur nervus, sævissimaque oboriuntnr symptomata 91, 41
Ex nervo cæsim & per transversum vulnerato, non tamen ex toto amputato, convulsio 93, 42
Ex nervo cæsim vulnerato, & per obliquum non tamen amputato, vir moritur convulsus 94, 43
In vulnere nervus conspicitur denudatus & illæsus 94, 44
Ex sutura in tendine facta mors 95, 45
Vulneris sclopeto facti carnemque penetrantis curatio 98, 46
In vulnere, sclopeto facto, relinquitur, at extrahitur, glans 100, 47
Vulnus sclopeto factum penetransque cum ossis fractura ut tractatum 101, 48
Ex morsu hominis irata gravia symptomata 107, 49
Morsus viperæ quomodo curatus 109, 50

FINIS.

Matthiæ Glandorp. Colon.

CHIRURGIÆ & MEDICINÆ DOCTORIS
METHODUS MEDENDÆ

PARONYCHIÆ.

CUI ACCESSIT DECAS

OBSERVATIONUM.

REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO & SERENISSIMO PRINCIPI ac DOMINO,

Dno. *Johanni Friderico*,

ARCHIEPISCOPO Bremenſi, Epiſcopo Lubecenſi, Hæredi Norwegiæ, Duci Sleſvicæ, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, &c. Comiti in Oldenborg & Delmenhorſt, Principi ac Domino meo clementiſſimo.

REVERENDISSIME ET ILLUSTRISSIME PRINCEPS, Tullius Romanæ reip. orator & politicus, hodieque clariſſimus, Platonem ſequutus, homines hominum gratia, quo mutuis inter ſe ſtudiis noſtri generis ſocietas conſervari, coli ac ſuſtentari poſſit, natos & procreatos eſſe aſſerit.

Hoc ipſum, ut nos ipſa quoque monet ratio, qua a brutis diſcernimur, ad me referens, me non mihi ſoli, ſed & aliis natum eſſe intelligo. Hinc calcar ſtimuluſque mihi additus eſt, ut methodum hanc medendæ paronychiæ, cum plu-

plurimorum hominum salute, experiundo fere acquisitam & compertam, publici juris facerem, inque vulgus promulgarem.

Verum in languida, delira, & a virtute alienissima hujus nostri caliginosi vereque Saturnini seculi senecta, eo est perventum, ut, etiamsi optima, satis exquisita, apprime dedolata & limata, experientiaque rerum omnium fida & indubitata magistra, comprobata, rata, stabilita & affirmata promantur, acque in apricum producantur ; Momi tamen, obtrectatores, rosores & osores non pauci reperiantur, qui aliorum proventus, sudores laboresque viperino toxico, rabidorumque instar canum mordendo, corrodendo, contaminando, stomachose, magnoque atræ cum bilis impetu insectando ac indigne lacerando, varia necnon diversa judiciorum suorum alea retundere, opprimere, funditusque evertere contendant; suos autem e contrario artificiosa sua vafritie comtos, illustratos & exornatos fœtus, canum instar timidorum vehementius latrantium, extollant. Eapropter antiquorum vestigiis insistens, hisce & meis laboribus vigiliisque chirurgicis magno quodam patrono ac defensore, qui iisdem præesse, splendorem addere, suoque adversus petulcam hominum quorundam male feriatorum proterviam, eos protegere possit patrocinio, opus esse judicavi.

Hic vero, Reverendissime & Illustrissime Princeps, T. Celsitud. huic meo opusculo qualicunque patronum delegi : cujus quidem mei facti causas mihi idoneas habere videor. In ea regione pater meus natus, & ego nunc vivo, quæ tua justitia & æquitate regitur, & inter homines, qui te principem suum venerantur, hæc, quæ scripsi, experiundo didici, & T. Cels. favorem ac benignitatem viri literati merito publica privataque voce prædicant: ut mihi non sit dubium, quin & meo conatui & studiis eadem sit parata.

Videor autem mihi magno jure chirurgiam, medicinæ præcipuam partem, utilissimam eam planeque humanæ saluti necessariam

necessariam excolere, heu! lapsam nimium & inique velut in exsilium actam, & ad nescio quas sordes & imperitorum hominum tonstrinas relegatam. Quod quidem, ut indignum factum, indignor maxime, qui in Italia & aliis locis, ubi ei honor suus est integrior, & eam a clarissimis & doctissimis viris & doceri in academiis & administrari animadverti: quibus & ipse post paternas manuductiones præceptoribus usus fui, & quorum grata apud me residet memoria. Certe chirurgia est ea medicina, citra quam nullum regnum, nulla urbs, oppidum nullum, imo nulla domus, ut & quotidiana manifestat experientia, diu persistere potest. Quis vero homo tam fidens valetudinis perpetuitate esse ausit, qui se absque chirurgi opera victurum asserat, cum facillime & nec opinato, homini etiam optima corporis temperie prædito adeoque temperantissimo, non modo vulnera, verum & contusiones, ulcera, tumores, combustiones, fracturæ, dislocationes & similia incommoda contingant?

Quæ apud vetustissimos sacros & profanos scriptores de medicis & medicina legimus, fere de chirurgis & chirurgia esse dicta, norunt & observant antiquitatis studiosi homines: eodem certe pertinent Homerici versus:

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων
Ἰούς τ' ἐκτάμνειν, ἐπί τ' ἤπια φάρμακα πάσσειν.

Id est:

Est medicus unus vir multis anteferendus
Tela excidendique, & lenia pharmaca gnarus plagæ inspergendi, &c.

Hanc ipsam chirurgiam reges ipsi unice coluere, ingentique cum voluptate, maximo cum hominum in castris sauciatorum emolumento, propria manu, ut refert Ælianus, lib. 11. *de varia historia, de Rege Dionysio Siculo, & H. Boethius, lib.* 2. *memorat. de Rege Josina Scotiæ, exercuere.*

Honores

Honores & immunitates præstantissimis chirurgiæ luminibus a rege Agamemnone Machaoni & Podalirio ob præstitam in bello Trojano diligentiam, oblatas, lubens volensque prætereo.

Itaque, Reverendiss. & Illustriss. Celsit. T. hoc meum etsi exile scriptum inscribo, rogoque, qua decet cum observantia, ut id sereno vultu, hilarique aspectu, (non secus ac solis radii æque abietes excelsas ac pumilos irradiant frutices) suscipere, tueri ac defendere, chirurgiamque e tonstrinis, tanquam cruciabili purgatorio, ereptam, in debitam dignitatem pro parte sua restituere velit; ut non, tantum veritati suum pretium reddatur, sed & hominum salus sub barbitonsorea imperitia non periclitetur diutius.

Ego vero Deum opt. max. verum illum hygiæ & panaceæ parentem, supplicibus veneror votis, ut Reverendiss. & Illustriss. Celsit. T. diu velit esse superstitem, ut consiliis & laboribus suis res gratas cælis, & ad posteritatem utiles procurare pergat & conservare, ut annorum satura, accepta & relicta multiplici benedictione, beata in vitam cælestem ad majores, qui Christo Domino nostro vixerunt, & in eo obierunt, sero colligatur. Dabam Bremæ, 24 Jan. 1623.

Reverendiss. & Illustriss.

Celsit. T.

Observantiss.

MATTHIAS GLANDORP. D.

AUCTOR

AD

LECTOREM CHIRURGUM.

METHODUM, en lector benevole, cum plurimorum hominum ſalute, medendæ paronychiæ expertam, perbrevem, ex variis ſelectiſſimiſque auctoribus, nec non experientia, adjuncta decade obſervationum, quæ in hoc affectu mihi contigere, decerptam. Hanc ceu centonem diverſorum ſcriptorum diverſas opiniones continentem divulgo, & publici juris facio. Verum miraberis, cur, quum variorum auctorum varias contineat ſententias, quam plurimaque tam ex priſcis, quam ex recentioribus, & quidem famatiſſimis chirurgis collecta & extracta ſint, operi laboribuſque hiſce non ſuperſederim ſupervacaneis. Scies ergo ſecundum comœdiographum in Eunuchi prologo, *Nullum eſſe jam dictum, quod non ſit dictum prius*, nihilque ſub ſole novi. Ac propterea huic opuſculo, ſuis ſua, ſingula ſingulis tribuendo, nomen methodi medendæ paronychiæ, ex diverſis auctorum ſcriptis haud ſine labore (abſit philautia & jactantia) accedente praxi frequenti in hujus affectus curatione congeſto,

indidi,

indidi. Affirmare namque possum, ultra decem unius mensis spatio sese meæ curæ subjecisse, qui a perpessis & perpetiendis malis feliciter sanati, reliquis vero necessaria salutiferaque respuentibus subsidia, operam auxiliatricemque meam manum, prognosi adjuncta verissima denegavi. Nam secundum Hipp. 1. Aphoris. 1. Non satis est medicum suum officium fecisse, nisi suum quoque ægri & astantes.

Adhæc tractatum hunc cur conscripserim, movit me falsa illa non modo vulgi de hoc affectu erronea sententia, verum & AUREOLI THEOPHRASTI PARACELSI in suo de apostem. & ulcerib. libro anilis opinio, qua probare contendit, mineram fomitemque hujus affectus esse vermem vivum, sentientem & audientem, eaque ratione magis magisque sævientem, ubi strepitum aliquem percipit. Admiror profecto quonam modo in particularibus quibusdam affectibus curandis insignis ille felicissimusque chirurgus in hanc, quam mordicus defendit, inciderit sententiam erroneam. Humani vero ingenii imbecillitati, necnon erga conceptam jam semel opinionem defendendam pertinaci desiderio id asscribendum reor.

Hanc itaque meam, benevole lector chirurge, de paronychia methodum, quam & tibi & posteris, tanquam amoris mei erga te illosque, qui chirurgiæ incumbunt, monumentum erigo, eadem, qua speculum meum chirurgicum prosequutus es animi propensione suscipe & accipe. Bene Deo diu proximoque vale, & hisce laboribus sanus utere.

AD Clariſſimum Virum, Dn. MATTHIAM GLANDORPIUM, med. d. chirurgum celebrem, de panaritio tractatum elegantiſſimum evulgantem.

VIR bonus, & multo dignus cenſendus honore eſt,
Qui quibus uſque poteſt, ferre laborat opem:
Optimus ille autem, vitam qui ſervat ab Orco,
Subtrahit atque animam, lurida parca, tibi.
Vita bonum, quo non aliud jucundius adfert
Natura, Attalicis nec redimenda opibus:
Magnas ergo tibi, GLANDORPI ſedule, grates
Nobiſcum debet candida poſteritas:
Cui labor aſſiduus nova per compendia mortes
Pellere, quæ mirari ipſus Apollo queat.
Perge bonis ſtudiis, famamque æternus habeto,
Deliciæ medicis, dulcis amorque viris.

BALTHASAR RAID. d. profeſſ. & Rdiſſ. Archiepiſc. Bremenſ. med.

Ad Clariſſimum & Experientiſſimum virum, Dn. MATTHIAM GLANDORPIUM, med. & chirurgiæ doctorem feliciſſimum, amicum ſuaviſſimum.

ARdua res morbos, cum cauſis noſcere partis,
Internos, varios, & concomitantia quævis,

Ex pathognomonicis, & ſic præſcribere iiſdem
Jucunde, *tuto*, *cito*, pharmaca mente ſagaci.
Ardua res facilem his conjungere, noſcere, dextram,
Scireque, quæ exterius poterunt contingere parti;
Urere ſic cariem, reſecare & inutile pondus,
Quod caret innato, ne pars ſincera trahatur.
Fallor, an ex primo dicendus forte GALENUS
Alter? an ex reliquo vocitandus TEUTO-MACHAON?
Ingenio polles, operandi & dexteritate,
Rara velut monſtrant exempla hinc inde probata;
Artificem præſens teſtatur & hic liber ipſum.
Gratulor ergo TIBI de proſperitate ſecunda,
Semper honos maneat, *nomen laudeſque perennes.*

Ἀυτοσχεδίαζε,

ERNEST. NICEN. M. D. & profeſſ. ERNEST. publ.

Chirurgo Perfectiſſimo, Medico Clariſſimo, Dn. MATTHIAE GLANDORP, Colon. amicitiæ hoc vinculum poſuit

LIBORIUS BARTHOLOMAEI, med. apud Paderbornenſes doctor.

UT tibi, MATTHIA, Patavina palæſtra parabat
Grande decus, capiti dum tria ſerta dabat:
Sic male dum ſanis vires medicamine reddis,
BREMA parat meritis præmia magna tuis.
Pæoniæ ſtudium ſcriptis quando artis adauges,
Nos tibi devincis, nos facis eſſe tuos.
Perge Machaonias libris ornare camœnas:
Auctior, haud dubita, cenſus honoris erit.

ANA-

ANAGRAMMA, ad Zoilum in triumphum paronychiæ a clariſſimo & experientiſſimo viro Dn. MATTHIA GLANDORPIO, Colon. chirurgiæ & medicinæ doctore, ex verbis D. MATTHIAS GLANDORPIUS, Colonienſis. Anagrammatiſmus,

AH GLIS, MEDICO NATO INSULTANS PRODIS ?

ATræ inter nocuos fures vaga monſtraque noctis
  Horribilis cauda GLIS etiam eſſe ſolet.
Ille venenato peplum frumentaque dente
  Inficit, & quicquid tecta ſuperba tegunt.
Quinetiam, ſcelus ah! animalia viva laceſſit:
  Nocte mihi certe roſerat ille pedem.
Huic ſimilis natura tua eſt dens, Zoile, mordax,
  Atque ſub anguſto pectore virus edax.
Utile nil quoniam potis es præſtare, ſub ipſa
  Nocte tuo quoſvis rodere dente ſoles.
Attentabis & hunc? quia forſan verna juventus
  Turbabit ſtomachum parvaque charta tibi.
AH MEDICO NATO INSULTANS tu GLIS male PRODIS ?
  Quin & in aſpectum conjicis iſtud ei.
In patriis lumbis, materno & viſcere dudum
  Hic gnarus medicis pharmaco & arte fuit.
Experiare paronychiam luſtreſque libellum hunc:
  Et juvenem dices eſſe librumque ſacros.
Vel deſiſte igitur, vel nunquam, livide, PRODI;
  Franget enim dentes *glandibus* iſte tuos.

A MATTHAEO MANT. Czanaki Ungato, in honoris & benevolentiæ teſtimonium ſcriptum.

In

In ejuſdem titulum Epigramma.

QUum vitam revoces, ægris reddaſque ſalutem,
Cur tibi non titulum vita ſaluſque dedit?

In ejuſdem nomen Ænigma. M. ת. S.

IMminet a fronte & tergo tibi mundus & anguis.
Sed tibi Thau medius porrigit auxilium.

Eodem auctore.

MATTHIÆ

PARONYCHIA



MATTHIÆ GLANDORP

METHODUS MEDENDÆ

PARONYCHIÆ.

CAPUT I.

De Paronychiæ ſubjecto, manu, quæ deſcribitur & dividitur in partes.

QUI munitionem aliquam expugnare & capere, hoſtemque ea exturbare cupiunt; ante omnia ſitum locorum & conditionem, hominumque mores perdiſcunt & explorant. Idem mihi conſilium, idem inſtitutum eſt in elidenda & profliganda paronychia, quam panaritium appellant. Nec vero eſt, cur quis exiſtimet, me rem nihili aggredi, ut quidem vulgus id parvi facere aſſolet. Hinc adeo Latinis etiam *reduviam curare*, proverbiali ſententia eſt in re minima occupari. Verum enimvero (verba ſunt celeberrimi Medici Johannis Gorrhæi) *non leve prorſus malum eſt paronychia, ut quod dolores & febres aliquando moveat.* Sed & graviora mala, de quibus ſuo loco admonebo. Cum nobis ungues & digiti ſint ceu inſtrumenta inſtrumentorum ad actiones pleraſque noſtras obeundas, intereſt

eos quam maxime ſanos eſſe & valentes. Unde etiam Medicorum Plato Hippocrates, hujus vitii inter morbos meminit, & ejus medelam in lib. 2. Epidem. nobis deſcriptam reliquit. Uti vero tyrannorum, ita & morborum ſunt gradus quidam, alii aliis infeſtiores: at tyranni omnes vitæ, & valetudini, omnibuſque bonis hominum infeſti: &, qui clementes quoque videntur, temporis tractu facile efferantur; ut & hic illud vulgatum locum habeat, parvum quoque hoſtem non eſſe facile aſpernandum. De eo quoque vitio, paronychia, ut vitæ humanæ utilia commentemur, id, Deus, verus ille Hygiæ & Panaceæ parens, ut cæterorum corporis noſtri membrorum, ita digitorum quoque & unguium creator ſapientiſſimus nobis largiatur. Igitur, ut præfari cœpimus, de hujus hoſtis arce ſermo ſit nobis præſentis opuſculi exordium.

Locus autem & ſedes paroynchiæ ſunt extremæ digitorum partes in manibus, ibi ea fixa eſt, eos onere ſæpe gravi premit: quod in vicinam, aliquando etiam in totum reliquum corpus defert. Manus nomine hic accipio eam partem, quæ ab extremo cubito incipiens in ipſam digitorum aciem terminatur: quæ manus ſpeciali nomine ab Hippocrate ἀκρόχειρ, id eſt, extrema manus appellatur. Tribus ea conſtat partibus; quarum prima καρπός, Latinis vulgo brachiale; altera metacarpion, hoc eſt, poſtbrachiale; tertia δάκτυλοι, id eſt, digiti nominantur. Figura ejus oblonga, propemodum ovalis, ad medium fere uſque diviſa ac diſtincta eſt, ut omnis generis figuras, rectas, curvas, excavatas, oblongas, quadratas, faciliori cum negotio minorique cum faſtidio ac moleſtia apprehendere, firmius validiuſque comprimere poſſit; quo enim res major & craſſior attrectanda eſt, eo major digitorum ad agendum ſuccurrit numerus. Suppetias autem digitis illis quatuor utriuſque manus in unaquaque pollex fert unus non exiguas. Majora namque corpora quatuor manus digiti una cum pollice, his minora tres, minima duo tantum apprehendunt. Sunt autem, quo altera alteri ope ſua ſubveniret, duæ creatæ manus. Præterea partes & continentes & contentas, quarum auxilio, actio ipſius, quæ eſt apprehenſio, commodius perficitur, manus habet. *Continentes* partes cum aliis communes ſunt cuticula, cutis, pinguedo, cum ſua membrana, panniculus ſeu membrana carnoſa. *Pars continens* propria dici poteſt membrana illa, quæ muſculos ambit, ac alterum ab altero ſejungit ac dirimit. Inter *contentas* partes manus recenſentur muſculi, nervi, venæ & arteriæ, nec non oſſa.

Apprehenſio quomodo fiat.

Manus duæ ſunt creatæ.

Manus partes habent continentes & contentas.

Hæ

Hæ porro continentes partes & contentæ ad genera quatuor reducuntur: quorum *unum* eſt illarum, quæ per ſe & primario actionem edunt; & ſunt *muſculi:* de quibus poſtea ſermo erit. *Alterum* illarum, ſine quibus actio fieri nequit; & ſunt *nervi.* Tertium illarum, quæ ad perfectiorem actionem edendam concurrunt; & ſunt *oſſa ungueſque.* Ultimum earum, quæ actionem conſervant; ſuntque venæ, arteriæ, *adeps nec non cutis.* Venæ ut ab axillari ramo originem trahunt omnes, ita & arteriæ; nervi vero a ſpinali medulla oriuntur.

Manus continentes & contentæ partes ad genera reducuntur quatuor.

Uſus manus præcipue triplex: unus propria eſt actio, quæ eſt apprehendere; unde manus ὄργανον ἀντιληπτικὸν ſeu δεκτικόν, id eſt, inſtrumentum dandi & accipiendi appellatur. Alter eſt, ut habeat arbitrium tactionis; ideo cenſor tactus vocatur. Ultimo, faciunt manus ad defenſionem noſtri & aliorum.

Uſus manus.

CAPUT II.

De Carpo, prima manus parte.

QUoniam manus ſubdiviſa eſt in tres partes, in carpum, metacarpium & digitos; ſingulatim, ut unius cujuſque partis motus perficiatur, breviter eas percurramus. Quam utilis vero & fructuoſa hæc contemplatio exiſtat, veræ chirurgiæ ſtudioſis, & quibuſcunque illa curæ eſt, conſiderandum relinquo. Cognita enim partium affectarum natura, proprietate, conſtructioneque, facilius convenientia non modo medicamenta præſcribi, verum & chirurgicæ operationes tutius poſſunt adhiberi.

Anatomia chirurgo utiliſſima.

Carpus, καρπὸς, brachiale, raſeta, octo conſtat oſſibus, quæ propriis nominibus carent; inque duplici ſerie locantur. Flectitur, extenditur & ad latera motu trahitur obliquo. *Flectunt* muſculi ambo duo interni. Horum alter, infernus, a brachii interna apophyſi enatus, craſſo partim carneo partimque nervoſo tendine in quartum carpi os implantatur. Supernus alter, ab eodem proceſſu producitur, & in primum raſetæ os, minimo ſubjectum digito, inſinuatur. *Extenſio* totidem muſculorum ope peragitur, amboque externi ſunt. Supernus, ab externa brachii eminentia productus, tendine ſuo bifurcato, unum in metacarpii os primum, alterum in ſecundum diffundit. Infernus ab eadem acie oſſea enaſcitur, in os metacarpii quartum nerveo, valido ac tereti tendine, quod minimo

Motus carpi qualis.

Flexio.

Extenſio.

Obliquus motus.

mo digito subjicitur, inseritur. *Oblique* vero & ad latera movetur auxilio musculorum supradictorum: nam, ubi flectentium unus cum extensore simul agit, carpus oblique & ad latera ducitur.

CAPUT III.

De Metacarpio, altera manus parte.

Metacarpium.

METacarpium, post brachiale, palma, quinque constat ossibus: sex, non octo, musculis interosseis, qui abducentes a LAURENTIO dicuntur, ac in interstitiis metacarpii, tribus in interiori, totidemque in exteriori manus parte locantur: per latera sursum digitorum, idque ad postremam, eamque externam usque dearticulationem feruntur, cum lumbricalibus complicantur, efformantque latos tendines, quorum gratia, dum per latera digitorum repunt, hi videntur & adduci & abduci; extrema vero tendinum portio digitorum extensioni famulatur.

Observatio notatu digna de motu digitorum.

Cum vero de interosseis facta sit mentio musculis, non alienum erit addere, cur, amputato musculo digitos extendente, nihilominus tertius & secundus extendatur dactylorum articulus. Ejus nodi solvendi causa chirurgus anatomes studiosus non multum sudabit: novit enim (*ut superius dictum*) interosseos musculos cum lumbricalibus seu vermicularibus (*de quibus postea latius dicetur*) paululum supra primam digitorum articulationem coire, ac unum ad quemlibet digitum tendinem constituere; qui tendo per laterales illorum partes repens, motum solummodo suppeditat; & hujus rei gratia digiti, licet extensor, qui sensum & motum defert, amputatus sit, adducuntur, abducuntur, & valide extenduntur.

Hic nostri temporis tonsores valde sæpe per imperitiam lapsi, melius sapere incipiant, & discant sua olea & balsama non esse hujus motionis causas, quod credulo vulgo per imposturas persuadere moliuntur. Idque lucri spe majoris inescati, nulla scientia & ratione suffulti præstant: & stulte aut improbe gloriantur, se unguentis pollere, per quæ disjunctos tendines adunare, &, ut loqui mos est, combinare queant; longinquis ea de terris Hispania, vel ultramarinis quoque Indiis allata. Dum hi impostores admirationi esse volunt, mirari potius discant admirandum divinæ sapientiæ & sagacis naturæ in fabrica humana

humana providentiam, ſolertiam ac induſtriam, & in ſtudium anatomicum diligentius incumbant, quam, proh dolor! hic in Germaniæ pleriſque fit locis. Ita ipſi de objecto artis ſuæ rectius edocti bona tandem cum conſcientia diſcipulos fidei ſuæ commiſſos inſtruent, & rebus publicis, in quibus ſuam, neceſſariam certe diſciplinam, honorari volunt, detrimento eſſe deſinent.

Libere ego (*quo alii chirurgiæ tirones meo diſcant exemplo*) fateor, me ante annos aliquot, cum Coloniæ in Officina patris cariſſimi LUDOVICI GLANDORP primo chirurgiæ me addicerem, ejuſdem fuiſſe opinionis, oleum ſeu balſamum quoddam dari, quo cum nervi & tendines amputati, diſſecti ac diviſi, uniri, conjungi, combinari nec non agglutinari poſſent: quod quamvis temporis progreſſu mihi non modo videbatur fieri haud poſſe, verum &, quia non occurrebat medium, per quod id ipſum commode fieret, ſuſpectum erat: tamen quoniam non in uno modo, ſed in quamplurimis, quibus tendo hic ſupra carpum & in ipſo carpo a muſculo ſeparatus, obſervavi nihilominus & digitos extendi, & moveri; conſentire ſuffragarique ob anatomes coactus fui ignorantiam: hæc enim oculos tunc temporis meos ſubterfugiebat. Patris tandem proprioque inſtigatus inſtinctu anatomen pro virium & ætatis ratione optimis uſus præceptoribus cum chirurgia ac medicina contuli, veraſque non ſolummodo hujus, verum & infinitorum dubiorum, in quibus antea, tanquam in labyrintho ac carcere concluſus obſeratuſque tenebar, enodationes extricationeſque reperi.

Oleum ſeu balſamum nervos amputatos ſeu tendines agglutinans non datur.

Anotomia cum chirurgia & medicina utiliter conjungitur.

CAPUT IV.

De Digitis, ultima manus parte.

Ultima jam digitos manus complectens ſupereſt pars. Hæc ex digitis quatuor & pollice componitur. Primus eſt index, ab indicando ſeu monſtrando; alter, (ſi pollex non annumeretur digitis) medius ſeu impudicus; tertius medicus ſeu annularis, utpote in quo annuli geſtantur; quartus auricularis, minimus dicitur, quia eo in evacuandis aurium ſordibus ob extremitatem magis compactam & tenuiorem utimur. Pollex, qui & ab aliis inter digitos recenſetur, a pollendo & præeminente actionis præſtantia ſic vocatur. Cæteris enim digitis

Digitorum numerus.

Pollex unde dictus.

Musculi pollicis.

digitis robur addit firmum validumque. Hæc præter duo ossicula musculos habet flectentes, extendentes, adducentes, abducentes: flectit unus, & quidem proprius, quo a radii superna prognatus parte, in extremum inseritur articulum. Extendunt duo: primus a carpo ortus unico tendine in articulum implantatur secundum: alter ex eodem enatus principio, bifurcato tendine in varias pollicis partes disseminatur. Adducunt tres: primus originem habet ex osse carpi, quod medio digito substratum est, in latus pollicis, quod indicem versus situm est, inseritur: cum primo alter contiguitatem habet; sed ad secundum os pollicis tendit: ultimus ab osse carpi productus obliquo ductu in secundum pollicis articulum immittitur. His tribus musculis simul contractis, secundus pollicis articulus validissime flectitur: primus si operetur solus, pollicem indici, alter medio, tertius auriculari adducit digito. Abducunt tres innominati, ac præter hos & alii reperiuntur, qui in tres aut quatuor dissecari queunt.

Digiti quatuor ossa habent 12. Musculi flectentes digitos 3. Palmaris. Sublimis. Profundus. Extensio digitorum. Adductio. Ossicula sesamina.

Digiti quatuor duodecim habent ossa: unusquisque tria, quo facilius apprehensio subsequatur. Tres vero musculi flectunt: 1. *Palmaris* ab eminentia interna brachii ortus, super carpum protensus, totam volam manus ambit, ac circa primum articulum digitorum quatuor tendinem tenuem latumque insinuat, tamque ob motum, quam ob sensum fabrefactus videtur acriorem. 2. *Sublimis*, ab eadem productione natus, supra carpum in quatuor finditur tendines, & unicuique digito unus inseritur circa secundam articulationem, ubi ligamento transverso annectitur, valideque alligatur, ac annuli instar perforatur, secundum digitorum flectit articulum. 3. *Profundus* priori substernitur, ab eodem trahens principio originem, totidemque divaricationibus constans, quæ ubi ad secundam perveniunt dearticulationem, annulos a sublimi ortos miro quodam naturæ opere transeunt, ac tertio ipsum flectendo inseruntur articulo. *Extendit* digitos manus musculus unus, a LAURENT. lib. 5. cap. 28. in quatuor partes divisus. *Adducuntur* insuper ope quatuor musculorum exiguorum vermicularium seu lumbricalium, qui oriuntur a tendinibus profundi musculi, in exortu primo carnosi & rotundi, exili postea nerveoque tendine, digitorum lateribus adhærent, ac obliquo tramite ad externam partem tertii articuli feruntur. *Abducunt* interossei sex, non octo, in interstitiis metacarpii latitantes: ut cap. 3. dictum. Quo minus autem horum digitorum articuli possent luxari, natura ipsis præfixit *ossicula sesamina*. Præter enumeratas partes

tes reperiuntur & ungues, extremis digitorum ob apprehensionem faciliorem, meliorem & validiorem adnati, iique ab excrementis tertiæ concoctionis crassioribus orti, &c. Atque hæc de manus compositione, usu actioneque, ac quantum chirurgo pro curatione affectuum ipsius manus convenit, numero dicta sufficiant. *Plura, eaque exquisitiora latioraque si quis scire expetit, consulat Vesal. Laurent. Bauhin. & alios, quos hic in explicatione partium manus sequutus.*

Ungues.

CAPUT V.

Quid sit Paronychia.

MOrbus, nec non morborum symptomata, quicunque ordine ac methodo quadam curare contendunt, his summopere necessarium censeo cum mortuis commercium habere, morborumque sive externorum sive internorum nomina, ut a priscis tradita, & ad nos posteros divulgata, prius nosse: quoniam ex iis morbi idea, fons causaque sæpenumero cognoscitur. Ac quamvis GALENUS asserat, parum interesse, de nominibus morborum contendere, deque eis sollicitum anxiumque esse, modo quis eorum agnoscat causam; tamen, qui nec causam, nec morbi nomen norunt, quique commoditatem haud habuere omnes affectus, vel saltem præcipuos, indies obvios, oculari inspectione perquirendi; sed necesse habuerunt duntaxat vel ex libris, vel præceptorum ore doctrinam excipere: eos maxime morborum nomina, eorundemque descriptiones & definitiones callere, plurimum refert. Quantum etiam autopsia & ipsa ocularis inspectio, nec non quotidiana experientia, adjuvet, hic declarare non modo supervacaneum, verum & hominis otio abutentis esse reor. Mihi itaque cum sit animus paronychiæ curandæ normam tradere, operæ pretium, nec ab instituto meo alienum me facturum arbitror, in gratiam tironum chirurgiæ veræ, puræ, dogmaticæque studiosorum, primo de nomine, (*quod a variis varie acceptum*) pauca quædam eaque selectissima, nec non ex optimis authenticisque authoribus decerpta ac compilata, cui & experientia rerum omnium fida & vera magistra practica accessit, candido sinceroque proferre animo, quo facilius curatio, sævissimique ejus affectus possit subsequi debellatio.

Cognitio nominum morborum plurimum conducit ad curandum.

Autoris intentum.

Atque

Paronychia quid.

Atque ut ab ipſo carcere ipſaque linea incipiam, Paronychia *a* tumor eſt *b* præter naturam *c*, apoſtematoſus *d*, in principio exiguus & vix conſpicuus, *e* extremitatibus digitorum *f*, plerumque *g* omnium, *h* ab inflammatione inſigni, *i* nec non a ſanguine ac humore calidiſſimo, venenoſo, fervido, ardenti, nitroſoque *k* intra os & perioſteum ut plurimum contento, *l* cum levi in primis diebus dolore, *m* qui deinde redditur intolerabilis, pulſatilis, pungens: ex quo, præſertim *(ut fieri ſolet)* in principio neglecto, febres, lypothymiæ, ſyncopæ, vigiliæ continuæ, deliria oboriuntur, nec non oſſis caries & putrefactio cum ſanie fœtida & ulcere eſthiomeno, deperditiones unguium, non raro gangrænæ & ſphaceli, ablationeſque vel unius, vel duorum vel omnium articulorum digiti, quem occupavit, &, quod pejus eſt, totius manus, omniumque peſſimum, mors ipſa inducitur: ut plurimum autem affectum hunc pterygion inſequitur.

CAPUT VI.

Explicatio definiti, ubi de Paronychiæ variis appellationibus.

POſita eſt definitio: cui jam impendendus eſt explicationis labor, qui bipartitus erit. Primo enim enarrabimus id, quod definimus; deinde definitionis, proprie dictæ, partes ſingulas luſtrabimus. Jucunda eſt, & vero ad liberalem eruditionem pertinet nominum declaratio, quæ in re medica multum diſcentes juvare ſolet, & ſæpe memoriæ imbecillitati mederi. Sunt enim pleriſque ſaltem morbis & remediis ſignificandis vocabula, tanquam rerum ſigna, ſapienter impoſita & aſſignata.

Paronychia cur dicatur.

Paronychia autem nomen eſt Græcum παρωνυχία, quia eſt malum παρὰ ταῖς ὄνυξιν, ad ungues, nempe ad earum radicem. Hippocrati eſt παρωνυχίη, more Ionico. Plinius etiam genere neutro dicit *paronychia*, tanquam ex recto caſu *paronychium*, lib. 28. 8. *Ramentis eboris cum melle Attico* (ut ajunt) *nubeculæ* (alias maculæ) *in facie, ſcobe paronychia tolluntur*, lib. 24. cap. 9. de foliis myrti; *purgant & lentigines, pterygia, & paronychia & epinyctidas:* alias tamen *paronychias:* & lib. 23. procemio, de Oenanthe: *cinis ejus ad collyria & ad ulcera purganda, ad paronychia & pterygia probatur.* Dicitur & παρωνυχὶς, ut

ut in hoc loco Suidæ, ubi de *paronychia* herba. Suidas: παρωνυχία πόα· ὠνόμασται δὲ ἐκ τοῦ παρωνυχίδας ἰᾶσθαι· δύναμις δὲ αὐτοῦ λεπτομερής τέ ἐστι καὶ ξηραντικὴ καὶ ἄδηκτος, i. e. *Paronychia herba dicta, quod paronychidas curet. Ejus vero virtus est tenuium partium, & exsiccans, & non mordens.* [Paronychia herba.] Hujus herbæ descriptionem, prout varia a variis assignatur auctoribus, lector reperiet, cap. 27. Quod *paronychiam* vulgo dicimus *panaritium*, est a vulgaribus linguis exoticis. Italis est *panaricio* (quod & *pannaricio* in plurali *panaricci* scribunt) Hispanis *panarizo*, Gallis *panaris*, unde vulgo quoque Latine scribentes *panaricium* appellitant, videtur autem hoc factum, per quandam transpositionem ex *paronychium*, nempe tanquam *panoricium*, neglecta aspiratione, ut cum etiam Itali scribunt *paronica* pro paronychia, si lexicographis fides est habenda, ad molliorem pronunciationem transitu facto: sic solent voces peregrinæ, cum in alias linguas transfunduntur, immutari. [Panaritium. Panaricio. Panarizo. Panaris.] Atque inde etiam videtur esse, quod *pandalitium* pro *pannaricium* aliquando scriptores medici nominant. Latinis est nomen *Reduvia.* De eo Festus ait: *Rediviam quidam, alii reduviam appellant, quia circa ungues cutis se resolvit, quia luere est solvere, aliter legitur duere, sed male.* [Reduvia. Redivia.] Inde ex Lævio allegat, ut Scaliger emendat, hunc versiculum:

Scabra in legendo rediviosave offendens.

Sed *reluvia* & *reduvia* vel *redivia* diversæ voces esse videntur. [Reluvia.] Reluvia quidem sit a reluendo, id est, resolvendo. At *reduvia* [Reduvia unde.] tanquam a reduendo, quod sit exuere: quia vocula *re* in compositione aliquando privationem significat; ut in *revelo*, *resigno*, *retego:* ergo reduere erit exuere, spoliare: & in reduvia digiti cutim exuunt, sicut serpentes sua spolia deponunt. Ita Papias vetus Latinus lexicographus: *Redubiæ, indubiæ, spolia serpentum, reliquiæ escarum.* Solinus, cap. 45. *Trochilos avis parvula est, ea dum reduvias escarum affectat, os belluæ hujus* (crocodili) *scalpit, & sensim scalpurigine blandiente aditum sibi in usque fauces facit.* Hic pro reliquiis usurpat; quæ inter dentes crocodili velut resolutæ exstant. Petrus Pithœus subsecivor, lib. 2. cap. 19. vult *reduviam* dici ab *iduando*, id est, solvendo. Idem, quia apud Q. Serenum in veteri libro legit, *vulneribus et redubiæ curandis*, conjicit scriptum fuisse, *vulneribus & reduviæ.* Eam autem Serenus ulceris *annosi sinum* vocat. Theophrasto [Passa Theophrasto.] paronychia est *passa*, quod exponunt *distentum*, quod digitorum partes in ea distendantur. Hoc sonat ac si a *pateo* vel *pando* dicatur, quod est dilatari: unde *passus.* Theophrastus in libro

C de

de apostematibus, &c. cap. 17. inscribit. De panaritio, pandalitio vel passa, vulgo **der wurm oder ungenant.** Ibi ait: **Ich sage von** paneritio, **das es ein wurm sei, vnd ein natursiker** passa. Ibi in Gloss. Omnia passa, id est, vermes ex putrefactione nascuntur. In Onomastico Theophrastico est *Pandalitium*, *paneritium* vel *passa* apostema in extremitate digitorum: vulgo vermis, **der wurm am finger, ungenant.** Gall. *le ver en doigt.* Belgis reduvia est **niidnagel.** Cornelius Kilianus in Dictionario Teutonico Latino: **Niidnaghel, niid-vel, niid-vleesch, niip-vleesch,** *Reduvia vel redivia, paronychia, cutis circa radices unguium resolutio atque fissura, quasi dicas, unguis invidiosus: vulgi opinio est, ei, cujus cutis extra unguem se solvit, invideri plerumque ab aliquo. Gallo Flandris envies,* q. d. *invidiæ.* **Niipen** autem Belgis est ungue pungere, vellicare, interprimere. Est iisdem Belgis etiam reduvia, **dwangh-naghel,** quasi unguis coactus, id est, pressus apostemate. Est etiam Belgicum **Fiict,** quod ulcus digitale exponunt. Scribunt quoque **viit,** pronunciatione per vulgus, ut fieri solet, corrupta. Ita videtur: nisi sit a **vied,** quod usitatius **veed, fehde,** odium: tanquam odiosam rem dicas. **Fiict** autem est a *fico*, quatenus est tuberculum cum inflammatione: ut Germanis **feigwarke** *marisca* appellatur. Germanis quoque est paronychia **nohtnagel,** eodem sensu, quo ante **dwangnaeghel,** quia scilicet unguem angit & torquet. Est enim proprie **noet** necessitas, quæ obest. Ejus thema Belgis est **nohen,** obesse: **nouwen,** dolere. Præterea & præsenti affectui paronychiæ, hæc vocabula a Germanis accommodantur: **Wurm,** id est, vermis, quia humor acris & nitrosus, qui panaritium gignit, quodam dolore digitum rodit, haud secus atque si vermis quispiam subesset. Est autem ea appellatio generalis, quæ pluribus affectibus, tanquam per rosionem corpori molestis, tribui possit. Est & **mittel,** quasi *mediale* dicas, quo nomine Solinus indigitat id, quod in medio arboris est medullaceum, meditullium arboris. Sed eo quoque nomine solemus ulcus in digitorum interstitiis usitate nuncupare. Plebs autem vicinarum rerum voces per imperitiam crebro confundit. Est & nomen **miete,** quæ vox (ut & *mite*, Gall.) midam & acarum vermiculum significat: sic ob dolorem rodentem, qui in reduvia sentitur, nominari potuit. Insuper **Dattel,** a dactylo, id est, digito, cujus ea labes est. Postremo est etiam inter Germanicas hujus mali nomenclaturas

Niidnagel. Niidnaghel, niid-vleesch, niip-vleesch. Dwangh-naghel. Fiict. Viit. Vied. Fiict unde dicatur. Nohtnagel. Wurm. Mittel. Miete. Dattel.

ras **vugenant**, quasi ἀνώνυμον, innominatum, sive quod illi sic vocarent, quibus nullum ejus affectionis nomen erat cognitum : sive, quod hanc proprio nomine (ut fit interdum) per superstitionem vocitare vererentur. Galli præter exoticum *panaris*, habent etiam suum nomen *onglee*, quasi ungulationem dicas, ab *ongle* unguis. *Reduvia* Bohemis est **odderef**, quando cutis ab unguibus **se oddira**, id est, abstrahit, avellit. Verbum **oddiram** est, avello, abripio, distraho : compositum est verbum ex **od** de & **deru** lacero. Id ex Græco δέρω, unde ἐκδέρω excorio, deripio. M. Daniel Adamus a Weslawina in Nomenclatore exponit illud *Reduvia*, **oddenref**, per German. vocabulum **nagelstro** : quod sonat stramen seu stipulam unguis, quia est tanquam festuca a digito revulsa. Ungaris reduvia est **forommereg**, id est, unguis venenum : quia eo affectu unguis tanquam veneno quodam perditur, & digitus intumescit, ut solent toxico infecti.

Vugenant.

Forommereg.

Hæc quæ attulimus, partim certa sunt, partim conjecturæ solæ; in quibus locum facimus melioribus aliorum judiciis : ubi enim veritatem non licet usquequaque consequi, sive propter obscuritatem, sive saltem propter nostram ignorantiam, verisimilitudinem solemus omnes consectari. Quas appellationes apud alios legimus, eæ sunt potius circumscriptiones pluribus verbis factæ, quam singularia nomina : ut cum Galli dicunt, *une maladie, quand le peau se depart des ongles:* morbus cum pellis discedit ab unguibus: aut, *maladie, qui vient au bout des ongles:* morbus qui oritur in extremitate unguium : aut, *peau creue des ongles.* Itali *crepatura, scoppiatura torno all onghie*, id est, ruptura seu fissura circa ungues. Sic & Latini dicunt fissuram digitorum, ut Græci, ῥαγάδα τῶν δακτύλων. Hispan. *el respigon, repelo, padrasto de la unna*, cum cutis solvitur circa ungues: *padrastra* videntur a πτερὸν sumsisse : & *padrastro del dado* exponitur Italicis verbis *peterigio, pipitula.* Illud vero est a *pterygio :* at pipita est pituita, Hisp. *pepita*, Gall. *pepie*, German. **pips**, Belg. **pippe**, est nitrosa pituita, ejus tumoris causa.

Cæterum tamen, cum proprie & accurate loquimur, differentia merito inter paronychiam & rediviam statuitur. Paronychia, ut cap 5. fusius dictum fuit, tumor est apostematosus præter naturam, &c. Redivia vero cuticulæ duntaxat

Differentia inter paronychiam & rediviam.

taxat circum circa unguem ſeparatio & fiſſura, &c. Et ex dictis apparet, quædam vocabula, quæ explicavimus, magis paronychiæ, alia magis pterygio convenire.

CAPUT VII.

Explicatio definitionis Paronychiæ.

DE nomine ſatis eſt dictum. Nunc ad rem accedamus: quæ ſi nobis liquida ſit, de nominibus ſinemus philologos diſputare. Quantum propoſito noſtro ſufficiebat, vel vere, vel veriſimiliter diximus. Ut a genere exordiamur, paronychiam eſſe [a] *tumorem* PETRUS PIGRAEUS, *merito artis & diligentiæ ſuæ celebrandus chirurgus inter primos, in Epitome præceptorum medicinæ chirurgicæ*, lib. 2. *de tumoribus præter naturam in ſpecie*, cap. 21. *his verbis aſſerit :* Paronychia, vulgo & barbare panaritium, *tumor* eſt ſeu abſceſſus, &c. AMBROSIUS PARAEUS, *lib.* 7. *de tumor. præt. nat. particul.* cap. 19. Paronychia ſeu panaris *tumor* eſt, &c. CHALMETEUS *in ſuo Enchiridio chirurgico*, cap. 36. FELIX PLATERUS *tract.* 2. *de morb. cap.*17. *de ſuperficiei corporis doloribus*, fol. 756. ad tumorem uterque refert. Cum autem tumores inter ſe differant ratione magnitudinis, inter minores tumores paronychia recenſenda eſt, utpote qui non in tantam elevatus eſt altitudinem ac extuberantiam, ut alii majores magiſque conſpicui, quales ſunt *Oedemata*, *Herniæ*, *Bronchocele*, &c. ſed inter inflammatorios a bile ortos, ut eſt *Eryſipelas*, recenſeri poteſt. [b] Inſuper ad *tumorem præter naturam* affectum hunc referendum, quotquot ſunt, qui de tumoribus ſcripſerunt, eadem omnium eſt ſine ulla varietate opinio: ac propterea tractationem curationemque ejus in libris de tumoribus præter naturam tradunt. [c] *Apoſtematoſum* hunc eſſe tumorem, affirmat inſignis GUIDO DE CAULIACO, *tract.* 2. *de apoſtemat. & exitur. memb. org. ſub* cap. 4. *ubi inquit*, Panaritium eſt *apoſtema exiturale*, &c. per apoſtema autem exiturale illud intelligendum, in quo pus generatur & ad exituram ſeu apoſtemationem, ſive eruptionem, nec non abſceſſum tendit. Hinc & PAULUS ÆGINETA, *lib.* 3. *cap.* 81. *de vitiis unguium, & primum de reduviis :* Reduviæ, inquit (Græci paronychiam appellant) *abſceſſus* eſt, quod & loco ſupra citato confirmat PIGRAEUS. Abſceſſus autem vocabulum nunc pro exitura eruptione, nunc pro

Pigræus.

Paræus.

Chalmeteus.

Platerus.

Tumores differunt inter ſe ratione magnitudinis.

Guido.

Ægineta.

Pigræus.

pro ſuppuratione, ſive in fieri, ſive in facto eſſe, accipio: abſceſſus vero dicitur, quia cutis a ſubjecta carne abſcedit. Hic notandum, materiam duplici modo in abſceſſum ſeu exituram degenerare poſſe; vel natura exiſtente robuſta ſatis & valida, quo per ſe queat materiam in pus convertere, & illud deinde tanquam morbificam cauſam per exituram expellere. Sic videmus quamplurima apoſtemata, antequam quicquam applicetur valida exiſtente natura ſuppurari. Vel natura a morbificæ cauſæ vel qualitate vel quantitate, vel his ſimul junctis debellata & ſuperata, ita ut pars affecta in totum langueat, ac in tantum debilitata ſit, quo aliorum (*id eſt, externorum medicamentorum*) expetat auxilia: *de iis poſtea latius.* *d* Præterea, *tumor eſt exiguus in principio vix conſpicuus.* Ut autem tumor efficiatur magnus, duo plerumque concurrere neceſſum. Unum eſt partis affectæ ſeu loci conſtitutio & proprietas. Alterum, materiæ vel affluentis, vel quæ affluxit, vel affluxuræ, vel temporis tractu congeſtæ, copia abundantiaque. Horum neutrum locum habet circa paronychiam; ut initio ingens tumor exiſtere queat. Nam partis affectæ conſtitutio talis haud eſt, ut in notabilem tumorem derepente ob exiguitatem poſſit elevari. Neque ob materiam contingere valet: hæc etenim, quatenus eſt pauciſſima & profunde ſita, idipſum efficere nequit: paulatim autem, præcipue ubi male tractatur apoſtema illud, tumor augetur, quatenus vel fit major ob dolorem attractio, vel quatenus major evadit, ad digitum non ſolum affectum, ſed & vicinos, imo totam manum & brachium humorum partes adimplentium & diſtendentium affluxus, & prout major ineſt corpori cacochymia, pro eo & tumor fit auctior. *e* Dicitur *in extremitatibus digitorum:* quod & confirmat GUIDO DE CAULIACO loco ſupra citato, ubi ait: *circa unguium radices,* id eſt, in extremo articulo digitorum GUILHELMUS PLACENTINUS *chirurgus excellentiſſimus,* lib. 1. cap. 31. *de apoſt. digitor.* Eſt panaritium apoſtema in fine nervorum manus digitorum & ligamentorum unguium, cum extremitatibus digitorum. PAULUS ÆGINETA nec non FELIX PLATERUS citat loc. *ad radices & circa radices unguium coit.* BERNHARDUS GORDONIUS *de ſolutione continui particul.* cap. 1. 28. *in radice unguis:* idem aſſerit ANTONIUS CHALMETEUS *in ſuo enchiridio chirurgico,* cap. 36. ut & JOANNES STOCKERUS *in praxi ſua medica,* cap. 104. PIGRAEUS loco citato, in extrema digiti parte. LEONHARDUS FIO-

Materia dupliciter in abſceſſum degenerat.

Quæ requirantur quo tumor fiat magnus.

Guido.

Placentinus.

Ægineta & Platerus.

Gordonius.

Chalmeteus.

Stockerus.

Pigræus.

Fioravanti. FIORAVANTI in ſua Italico idiomate edita phyſica, *lib.* I. *cap.* 108. *Li panaricci che ſogliono venir alle punta della dita*, id eſt, Panaritia, quæ ſolent accidere punctis (*extremitatibus*) digitorum. Paræus. PARAEUS: Paronychia ſeu panaris in extremis digitis tumor eſt. *f Plerumque*, nam interdum ſecundus, non raro tertius digiti afficitur articulus. *g Omnium digitorum.* Quotquot mihi de panaritio contigit videre authores, eodem concurrunt omnium ſententiæ, vitium illud omnibus accidere poſſe digitis, ſolo excepto LEONHARDO Fioravanti. FIORAVANTI, qui habet: *ſempre viene nel dito, chi e appreſſo il pollice, & non gia mai in altro louco, id eſt*, ſemper accidit digito, qui eſt prope pollicem, *(indici ſcilicet)* & nunquam in alio loco ſeu alio digito. *h Ab inflammatione inſigni*, Placentinus, & Paræus. GUILH. PLACENT. nec non AMBROS. PARAEUS loco citato, eſt *ingentis inflammationis.* Platerus & Chalmeteus. PLATER. & CHALMET. *inflammatus tumor. i Nec non a ſanguine & humore calidiſſimo fervido*, &c. Vigo. JOANNES DE VIGO *chirurgus acutiſſimus, ſumme mihi honorandus, optimeque de chirurgia meritus, libro* 2. *de apoſt. tract.* 8. cap. 5. *ubi definitionem paronychiæ tradit*, ait: Panaritium utique eſt apoſtema *calidiſſimæ naturæ*, venenoſum in tantum, quantum ſua ingenti venenoſitate & caliditate corrumpit nervum & aliquando os, &c. Guido. GUIDO DE CAULIACO, eſt *apoſtema calidum.* Placentinus. GUILH. PLACENT. eſt ex *materia cholerica* acutæ & ingentis caliditatis nec non inflammationis, quæ quidem ſua caliditate & ignitione, &c. Gordonius, Stockerus, & Wirſung. GORDON. STOCKER. ut & CHRISTOPHORUS WIRSUNG, *part* 4. *ſui libri*, cap. I. *parag.* 12. apoſtema *calidum* & acre. Paræus. PARAEUS ab humore maligno & venenato, &c. *k Intra os & perioſteum ut plurimum contento*, ſcilicet ubi a cauſa dependet antecedente, ab humore, qui illuc affluxit, vel ibi collectus, vel ab oſſe male quod complexionatum. Contineri autem eo in loco ut plurimum humorem, poſtea latius, ubi de cauſis, loco affecto, & curatione ſermo erit, demonſtrabo. *l Cum levi in primis diebus dolore*, tunc temporis ob materiæ accidit benignitatem paucitatemque, nec quia tam celeriter in partes ſubjectas robuſtas agere poteſt: in principio namque vix aliquid doloris inſignis percipiunt: hinc fit, ut ab illis in primis diebus non advocetur chirurgus. *m Qui dolor deinde redditur intolerabilis, pulſatilis, pungitivus, ex quo febres*, &c. Vigo. JOAN DE VIGO: ſua ingenti venenoſitate & caliditate corrumpit nervum & aliquando os, dolorem clamoſum atque acutiſſimum

acutiſſimum & validam febrem generando. Et ego (*inquit*) vidi plures ex iſto morbo vitam cum morte commutaſſe. AVICENN. tumor eſt difficilis & vehementis doloris, ita quod aliquando facit febrem, alienationem & ſyncopen, & per conſequens interficit, & quandoque ulceratur & producit ad corroſionem & corruptionem carnis & oſſis, & per conſequens, ad totius digiti eſthiomenationem & perditionem, & ſaniem mittit ſubtilem & fœtidam ut plurimum. PIGRAEUS: cum acutiſſimo & acerbiſſimo doloris ſenſu, iſque multa graviſſima & maligna ſymptomata, ut febrem, ſyncopen, convulſionem, ulcus malignum, cariem, interdum etiam totius partis corruptionem infert. PLACENT. cum dolore eſt fortiſſimo, & quandoque ultimum os digiti interficit. GORDON. apoſtema eſt doloroſum, aliquando cum ulcere, aliquando cum ſanie virulenta: & tunc non caret digitus periculo. STOCKER. apoſtema eſt valde doloroſum, quandoque ulceratur, quandoque membrum corrumpitur. PARAEUS: crudelia ſymptomata conſequuntur, ut dolor pulſatilis, febris, jactatio, ſic ut ægri doloris impatientia extra ſe poſiti varie jactentur, inſtar eorum, qui carbunculis vexantur: *ex quo Guidoni & Johanni de Vigo morbus hic cenſetur funeſtus.* LEONH. FIORAV. *& come l'humore arriva in quelle eſtremita delle dita, che non puo paſſere, avanti da un acutiſſimo & eceſſivo dolore, il qual e intolerabile, & l'humore che arriva in quel louco non potendo paſſare, e tanta la ſua calidita, ch'in pouco ſpatio di tempo putrefa li nervi, moſcoli, & cartilagini, & marciſſe la carne, & l'oſſa,* &c. id eſt, ubi humor digitorum extremitates occupat, nec ipſi datur exitus, primo acutiſſimo & exedente afficit dolore, qui eſt intolerabilis: & humor, qui illum occupat, carens exitu, tantæ eſt caliditatis, ut exiguo temporis ſpatio putredinem inducat nervis, muſculis & cartilaginibus, conſumendo & carnem & oſſa, &c. PLAT. Paronychia invaleſcente ſphacelus ſæpe ſequitur, atque oſſis extremi, nonnunquam & alterius digiti hoc malo affecti corruptio, &c.

Avicenna. Pigræus. Placentinus. Gordonius. Stockerus. Paræus. Fioravanti. Platerus.

CAPUT

CAPUT VIII.

De differentia Paronychiæ a Pterygio.

Differentia paronychiæ a pterygio.
Gorrhæus.
Albucaſis & Aquapendens.

QUid panaritium ſit, ſuperius abunde ſatis traditum eſſe, exiſtimo. Jam videndum, ut paronychia a pterygio differat. GORRHAEUS pterygion & paronychiam unum eundemque affectum eſſe contendit. ALBUCASIS, quem & ſequutus HIERONYMUS FABRICIUS AB AQUAPENDENTE, lumen noſtri temporis chirurgorum, *de operat. chirurg.* part. 1. cap. 103. panaritium cum pterygio confundit, ac pterygion pro paronychia, & vice verſa paronychiam pro pterygio ſumit. Paronychiam namque in unguibus carnis incrementum, partem unguis operiens, eſſe dicit: verum deinde ſubjungit, vitium hoc inter initia, cum ſcilicet incipit digitus dolere, hoc eſt, in prima doloris invaſione, neque adhuc in digito tumor ullus aut rubor apparet, mulierculæ ſtatim curant digiti extremum in ebullientem aquam ter aut quater infundendo, ita tamen, ut vix digitus aquam attingat: eſt enim remedium, quod materiam exiguam fluxam ſtatim diſſipando evacuat. Hic minime author de pterygio, verum de panaricio loqui videtur: quod hinc liquet, quia aſſerit, aquam ebullientem eſſe remedium, quod materiam, quæ effluxit exigua, ſtatim diſſipet & evacuet. Si vero paronychia eſſet excreſcentia carnis, tali remedio debellaretur. Sed hoc idipſum excreſcentiam carnis non aufert: ergo conſequens eſt, hos duos affectus ab ſe invicem diſtare. Præterea pterygion tumor quidem, quatenus eſt hyperſarcoſis ſive excreſcentia carnis, at non per ſe & immediate ungui ſuperveniens dici poteſt. Etenim, niſi præcedat vel excoriatio ob unguis non naturalem figuram, partes comprimentem & lædentem, vel ulcus quoddam ex quo caro, ita ut unguem operiat, excreſcit, pterygion contingere nequit. Neque etiam omne ulcus ſeu tumor apoſtematoſus in extremitatibus digitorum eveniens paronychia dicendus eſt: alioqui tumor ille inflammatorius, qui eſt in extimis digitorum partibus circa ungues, vixque dolorem infert, & a Germanis **ein ſchwerender finger**, id eſt, digitus qui exulceratur,

Pterygion quare dicatur tumor.
Pterygion ut accidat.

exulceratur, appellatur, pro panaritio haberetur. Sed ille, de quo nunc præcipue ſermo eſt, ulceris ſeu tumoris hujus apoſtematoſi, panaritii ſcilicet nomine inſignitur, qui ſupradicta conjuncta habet accidentia, dolorem ſcilicet intolerabilem, febres, vigilias, &c. cui ſuccedere ſolet carnis excreſcentia, non raro oſtracata, quæ hyperſarcoſis in leviori illo tumore inflammatorio, ſed non ita oſtracata, verum mollior, ſimiliter & oboritur, facilius vero altera aufertur.

Pterygion a paronychia differt. Æginetа.

Pterygion autem a paronychia plurimum differre utriuſque definitio allata ab ÆGINETA, *cap.* 81. *lib.* 3. oſtendit: hic namque *Paronychiam* appellat abſceſſum, qui circa radices unguium coit, *id eſt*, cujus ulcus extremum digiti articulum circumcirca ungues ambit. *Pterygion* vero inquit eſſe carnis incrementum, aliquam unguis partem operiens, ex reduvia aut alia hujuſcemodi cauſa eveniens.

Pterygion ſymptoma, paronychia morbus eſt. Champerius. Celſus.

Hinc patet, inter paronychiam & pterygion differentia: *illa* namque videtur eſſe *morbus*, *hoc* autem *ſymptoma*, quod morbum tanquam accidens inſequitur. Aggregator Lugdunenſis SYMPHORIANUS CHAMPERIUS, tract. de morb. nominibus citat CELSUM, qui lib. 6. cap. 19. ait: *in iiſdem* (digitis) *recedere ab ungue caruncula cum magno dolore conſuevit: πτερύγιον Græci appellant.* Eſt autem diminutivum a πτέρυξ, hoc eſt, ala. Pterygion denique (de quo tamen hic non tractatur) ut Celſus habet, in oculis vocatur membrana quædam nervoſa, quæ oriens ab angulo, nonnunquam ad pupillam venit, ei quoque officit, &c. Itaque ex ſupradictis tandem concludendum, paronychiam & pterygion invicem differre, aliudque, quod & curandi methodus patefaciet, eſſe paronychiam, & aliud pterygion.

Pterygion in oculo quid.

Concluſio de paronychia & pterygio.

CAPUT IX.

De partibus in Paronychia affectis, & unde sint dolores.

Paronychia ut plurimum in extremitatibus digitorum oboritur.

IN extremitatibus digitorum paronychiam *ut plurimum* contingere, cap. 5. assertum est: nunc videndum quasnam partes in arce, quam occupavit, tyrannus ille noster afficiat. *Ad cujus faciliorem intelligentiam perpendenda veniunt ea, quæ tradidimus cap.* 4. *ubi digitorum compositio enarrabatur.*

Quænam partes afficiantur in paronychia.

Afficiuntur autem & laborant ossa cum exigua suæ medullæ portione, periosteum, tendines, musculorum extendentium, flectentium, adducentium, abducentium corpora, venæ & arteriæ, pauca carnis quantitas, cutis, cuticula, & ungues.

Hæ partes, quoniam insigni fere omnes sensu præditæ sunt, inflammatæ, a materia illa inquinatæ, fervida, ardenti, tenui, nitrosa, acri & venenata crudeliter afficiuntur, doloremque patiuntur insignem, intolerabilem, pulsatilem, pungitivum, ex quo vigiliæ, inquietudines, febres, lipothymiæ, ulcera maligna, cum carie ossium, affectæque partis deperditiones oboriuntur, &c. Dolor vero hic, quo diutius materia illa ferox & sæva circa partes has sensu præditas continetur ac retinetur, exituque destituitur, eo sævior, vehementior & validior existit, periculique majoris præmonstrator evadit. Nec solum, ut ex observationibus innotescet, anteriores digitorum seu extremæ partes paronychia infestantur, verum & secundus, non raro & tertius dactylorum articulus, tumque a Germanis **acct**, sive **ect**, sive **adelcr** dicitur, præcipue, ubi in interstitiis digiti oboritur, eo afficitur. Anteriorem autem digiti partem hic pro primo, mediam pro secundo, tertiam metacarpio vicinam pro ultimo seu tertio capio articulo.

Dolor in panaritio quando redditur vehementior.

Panaritium non modo in anterioribus, verum & in aliis oboritur articulis.

Germanorum acct quis sit affectus.

CAPUT

CAPUT X.

De ſignis Paronychiæ.

Signorum varia receptio.

SIgnorum varia apud medicos eſt acceptio: alia enim ſunt diagnoſtica, alia prognoſtica, alia anamneſtica, &c. Hoc capite neceſſariorum declarationem & magis ad propoſitum facientium tradam. Pathognomonica itaque & diagnoſtica ſigna, quibus præſens affectus declaratur, nec non quæ una cum morbo incipiunt, & ipſo finiente deſinunt, ſunt calor, rubor, dolor. *Calor:* quoniam ſua natura ſanguis hic eſt calidus, contentus autem extra venas putrefactuſque (ut in hoc affectu plerumque contingit) quia difflari & evacuari nequit, alium præternaturalem calorem, eumque ut loquuntur, putredinalem, id eſt, diſpoſitum ad putredinem, requirit. *Rubor* ob nimium calorem nimiamque ſanguinis efferveſcentiam oboritur. *Dolor* eſt ob intemperiem, eamque inſigniter calidam, & ſolutionem continuitatis a materia vellicante, diſtendente, aggravante, ac nervoſas, membranoſas, tendinoſaſque partes comprimente, dependentem.

Calor unde.

Rubor.

Dolor.

GUILH. PLACENT. Rubedo, ait, adeſt vehemens, acuitas apoſtematis, dolor fortiſſimus cum pulſatione grandi & continuus, & aſcendit talis dolor per brachium totum uſque ad cor & cerebrum, & multoties accedit ſyncope & appetitus proſtratio, &c. PETRUS FORESTUS *obſervat. chirurg. lib.* 5. *obſerv.* 16. Condolet totum brachium ad axillas uſque, cum ejuſdem inflatione ſeu tumefactione haud exigua. PARACELSUS: **So die nagel vnd wurtzel, oder dieſelben gange beſchweren, brennen vnd lauffen auf, brend wie ein feur, vnd nagt gleich einem wurm, alsdan ſag das** Panaricius **ſey**, &c. id eſt, Cum ungues & radices eorum, ſeu viæ vicinæ exulcerantur, inflammantur & intumeſcunt, ardent tanquam ignis, & roſio adeſt tanquam a verme, tunc judica eſſe panaricium. Per inflammationem non modo eam, quæ parti extremæ accidit, intelligo; verum & illam, quæ deinde ſuccedit, vicinaſque una afficit partes: quare pro ſigno ſuccedaneo haberi poteſt. Pulſatio, quæ in paronychia perſentitur, accedit ſecundum GALEN. *cap.* 1. *lib.* 13. *method. med.* ubi materia contenta tumoremque excitans ſuppuratur, & in apoſtema ſeu exituram vergit:

propterea non in principio ſtatim, ſed progreſſu temporis, calore ſcilicet naturali occumbente, ſuperante vero præternaturali, percipitur. Incipientis affectus ſigna ſunt dolor circa extremitates digitorum exiguus, levis, tolerabilis, &c. Prognoſtica ſigna capite 14 tradentur.

CAPUT XI.

De Paronychiæ cauſis, & generationis modo.

QUamplurimæ quidem, cap. 5. aſſignatæ ſunt cauſæ paronychiæ, quas diligentius inveſtigare ac perſcrutari nunc aggredior. Cum vero variæ a variis afferantur, ponderoſiores, frequentiores, magiſque notabiles, quomodo tumorem hunc apoſtematoſum excitare poſſint, proponam.

Diſtinctio cauſarum paronychiæ. Interna cauſa vera.

Inter eas cauſas, aliæ ſunt internæ; & hæ vel vere exiſtentes, vel imaginativæ; aliæ externæ. Interna realis, ipſiſſima vera, humor ſeu ſanguis eſt NITROSUS, acris, bilioſus, venenatus, fervidus, tenuiſſimus, &c. qui parti affectæ non modo influxit, ſed & infixus eſt. Fluxus autem a parte dependet vel mittente vel recipiente: pars mittens, ubi a copia non ſolum iſtius humoris, verum & a qualitate aggravatur, illum per vias ordinarias parti tranſmittit recipienti; hincque quatuor ad tumorem non ſolum hunc, ſed & alios, concurrere videntur, Pars mittens, Quæ mittitur, Per quas vias mittitur, Pars recipiens. Partem internam hujus affectus LEON. FIORAVANT. mittentem conſtituit epatis intemperiem, dum ſanguinem, ſeu humorem talem, *qualem ſuperius deſcripſimus*, generat. Pars quæ mittitur idem eſt humor. Viæ, per quas labitur humor, ſunt venæ & arteriæ. Recipiens in hoc affectu, *utplurimum* eſt extremus digiti articulus. Jecur itaque per venas, & cor per arterias, humorem & ſanguinem illum ad locum dictum relegant, tumoriſque cauſa exiſtunt. Materia autem dependet partim a corpore plethorico, partim a cacochymico: huic vero facilius, illi difficilius ſubvenitur: hoc corpus a MARIANO SANCTO, *in ſuo compendio chirurgiæ*, plenum, illud vacuum appellatur. Humor hic ob qualitates ſuas intenſiſſimorum dolorum fons eſt, partes nervoſas & maxime ſenſiles vellicando, adurendo, corrodendo, accerſitque ingenti ſua caliditate inflammationem; at non ſimplicem, puram, impermiſtam & per ſe exiſtentem, ſed compoſitam

Ad tumorem 4. requiruntur. Pars quæ mittit. Fioravanti. Pars quæ mittitur. Per quas mittitur. Recipiens, ſive ad quam mittitur. Materia excitans Paronychiam: unde dependet. Marianus. Humor ob qualitates ſuas dolorum eſt fons.

tam aliisque humoribus permistam. Simplex namque ea & pura dicitur inflammatio, quæ a bono puroque oritur sanguine: hunc vero tumorem excitans sanguis talis haud est, sed venenatam, corrodentem, acrem ac nitrosam habet naturam.

Inflammatio, quæ dicatur simplex & pura.

Inflammationis autem nomen tripliciter a medicis sumitur: primo, pro qualibet ingenti partis alicujus accensione, quæ alio nomine Phlogosis vocatur, a φλογοῦν inflammare: secundo, pro apostemate orto ex humore calido: tertio, maxime proprie, pro eo tumore qui fit a sanguine puro soloque & impermisto peccante. Verum sanguis ille (ut & superius dictum est) a partibus internis ad expellendum validis, ad venas arteriasque primo majores, deinde ad minores & minimas ex his transmittitur, donec tandem ex vasis quasi expressus (ut ait Fabricius) ad extremitates feratur *digitorum*, tanquam ad partes *solidas*, quibus adhærens *firmatur*, eo vero; qui affluxit, *firmato*, alioque subsequente sanguine fit tumor, qui inflammatorius dici potest, secundum GALEN. *cap.* 95. *art. med. & method. med. cap.* 2. *lib.* 14. Recipiens vero pars in decliviori plerumque posita loco, fluxionem suscipit, partim ob calorem externe vel interne ortum, partim ob dolorem ab intemperie vel solutione continui dependentem attrahentemque. Pars mandans interna sua habet emunctoria: sic post aures *glandulæ* sitæ, *cerebri*, sub *axillis*, *cordis*, in *inguinibus*, *hepatis* materiam excipiunt peccantem, quæ partes dein materiam ad debiliores relegant. GORDON. *in clarificatione*, *cap.* 28. Intelligendum, quod ungues sunt ex superfluitatibus cordis, & ideo ungues sunt quasi emunctoria cordis, &c. *Imaginativa* interna causa excitans hunc tumorem apostematosum, doloremque insignem, creditur esse *vermis*: imaginantur etenim sibi non pauci nugiloquorum hominum verbis superati, vivum quendam, quique movetur vermem ipsi ulceri, seu tumori innatum apostematoso, quia permanente dolore in affecta parte aliquid quasi repere videatur: sed decipiuntur. Placuit hic AUREOLI THEOPHRASTI PARACELSI *apponere e libro de apostematibus, ulceribus, &c. sententiam opinionemque, & quidem propriis verbis, cap.* 17. *de panaritio, pandalitio vel passa*, vulgo **der wurm oder vngenant**, *exprimere*, ubi ait: **Jch sage von** panaricio **den ihr den wurm heissen, das es ein wurm sei, vnd ein naturlicher** passa: *addit nota*, **zwo feulung beschehen im leib**, in humoribus naturalibus, **und** mineralibus: **die in** naturalibus, **diese** generiren æschphares,

Inflammationis nomen tripliciter sumitur.

Phlogosis.

Inflammatio ut fit.

Pars recipiens utplurimum est in decliviori loco.

Pars mandans interna sua habet emunctoria.

Gordonius.

Ungues emunctoria cordis.

Imaginativa causa interna vermis.

Paracelsi de paronychia opinio.

res, **die in** mineralibus **diese** generiren panaricium, **und ligt allein in** radicibus, **an den nageln, aus ursach, das an dem ort ist die** radix salis nitri, **oder an den orten, die dieselbige durchgehet**, id est, Aio de panaritio, quem vos vermem appellatis, quod sit vermis & naturalis passa: post addit. Nota, duæ in corpore accidunt putrefactiones, in humoribus naturalibus & in mineralibus; quæ in naturalibus gignunt escharas, quæ in mineralibus gignunt panaricium: & situm est tantum in radicibus circa ungues, ea de causa, quod ibi est salis nitri radix, aut ibi, quia illa ibi transmeat. *Externam* affectui huic causam præbet contusio, quam insequitur *ecchymosis*, id est, sanguinis subtus cutem, vel intra illam & tendinosas partes, vel intra os & periosteum, prout fuerit profunda, effusio: illi ubi exitus haud datur, putrefacto sanguine, inflammationes doloresque insignes aliaque symptomata oboriuntur: nam sanguis extra venas positus putrescit, nitrosam, corrodentem, venenatam, malignamque, acquirit qualitatem. FELIX PLATERUS, *tract.* 2. *de morb. cap.* 17. *fol.* 788. *de superfic. corpor. dolor. caus. hæc habet:* Sic non minimam inflammationis illius circa unguium radices, paronychiæ dictæ, oboriri solitæ, causam esse observavi, quod ancillæ, quia vasa immunda aqua fervente indies abluere solent, digitos frequenter perurunt, adeo ut ungues illarum, cum hoc sæpe fiat, incurventur: hoc malum sæpiuscule sibi accersant.

Externa causa hujus affectus.

Sanguis extra venas positus statim putrescit.

Plateri observatio pulchra.

Imo ego Coloniæ & aliis in locis, ubi eæ ipsæ aqua, qua immunda vasa purgare necesse habent, cineribus repleta, hunc frequentem reperi magisque contumacem, doloribusque insignioribus præditum affectum: vixque secundo aut tertio a me observatum, quod patientes, a tali causa originem mali habentes, non perpessi fuerint vel ossis totius, vel portiunculæ ipsius deperditionem, vel digiti immobilitatem & rigiditatem. *Festucæ* subtus unguem intrusæ relictæ ecchymosis causa existunt, sanguisque hic extra venas delatus, putredinem acquirit, exituque carens, partes vicinas ac circumstantes afficit, quam panaritii originem esse non raro animadverti: nec non *nentibus*, *candelas* digitis indice ac pollice *emungentibus*, *digitos sugentibus*, *semicincta*, non hic moris est, *plicantibus*, manusque frequenter sapone, cui permistum oleum tartari decoris gratia lavantibus, affectum hunc frequenter accidere cognovi.

Authoris observatio.

CAPUT

CAPUT XII.

De differentiis Paronychiæ.

RAtione loci, partiumque affectarum, in quibus materia paronychiam excitans continetur, nec non respectu doloris, nunc intensioris, nunc remissioris, panaritium duplex existit. Unum quippe ut plurimum in superficie, (*nervosas, tendinosas, osseasque non attingens partes*) duntaxat ad radicem unguis, seu extremitatem digiti nascitur; & quidem a causis, *cap.* 11. recensitis, cum nonnullo & exiguo dolore: facillimeque curatur. Et, si quis hunc affectum velit esse Germanorum **schwerender**, sive **etender finger**, parum interest, modo causam bene dignoscat, curationemque methodicam instituat, ne materia benigna ex propostero, non solum medicamentorum, verum & chirurgicarum operationum usu, reddatur maligna malique moris, & affectus, in principio facile sanabilis periculoque vacans, reddatur (*ut sæpe fit*) periculosus, imo periculosissimus. Altera paronychia profundius, tanquam in antro, latitat, juxta os sub periosteo (*cujus origo dura mater*) acerbissimum acutissimumque doloris conjunctum habet sensum, qui quamplurima, eaque sævissima, gravissima, nec non maligna infert symptomata, *febres, vigilias, lipothymias*, &c. superius fuse declarata, afficitque partes non modo cutaneas, verum etiam nervosas, tendinosas, membranosas, ipsumque os, & hoc propterea, quia materia excitans, nitrosa, aeris, venenata, maligna, partesque solidiores sunt, & impediunt, quo minus transpiratio, alioquin salutifera & conveniens, subsequi possit.

Differentia panaritii unde sumatur.

Paronychia in superficie.

Germanorum **schwerender** sive **etender finger**, sub paronychia comprehendi potest.

Paronychia vera ut ab alia dignoscatur.

Periosteum a duramatre oritur.

Differt etiam paronychia ratione situs, alia namque in anteriori, alia in medio, alia in tertio digitorum consistit articulo. Ea autem, quæ extremitates occupat, paronychia est antiquorum vera, legitima, strictoque modo accepta: altera, quæ medium & tertium articulum digitorumque interstitia non raro occupat, spuria, illegitima, & lato modo sumta dicitur, & vera dici potest. Paronychia etenim, ut cap. 12. adnotatur, est affectus prope unguem. Hæc differentia animadvertenda est, ubi in definitione, cap. 5. habetur, *in extremitatibus digitorum* plerumque, & cap. 9. *Nec solum, ut ex observationibus innotescet, anteriores digitorum seu extremæ*

extremæ partes paronychia afficiuntur, &c. De ſpuria quoque & illegitima latoque modo ſumta paronychia, intelligenda eſt obſervatio 2. ut & 6.

CAPUT XIII.

Refutatio opinionum & objectionum Theophraſti de Panaritio.

Theophraſti de panaritio contra medicos opiniones.

THeophraſti de panaritio ſequentes hæ ſunt opiniones objectioneſque. 1. Veteres dicunt fieri ex cholera, admixta melancholia aduſta, ſed nihil eſt. 2. Quomodo poteſt cholera hoc in loco eſſe, 3. & in radice unguis creſcere? ſed reſpondes: ſi nutrimentum illuc venit, etiam cholera; &, quia omnia a centro corporis veniunt ad membra, ideo & cholera, 4. ſed, quomodo poſſet cholera hic coagulari, cum tot habeat obſtacula? 5. etiamſi deſcenderet, remoraretur, donec ad radicem unguis veniret. 6. Et cura indicat, non eſſe choleram, quia putrefactio curatur. 7. Ego dico, quod panaritius ex putrefactione venit: 8. & eſt vermis: 9. quia rodit & corrodit: 10. ſed quomodo hic creſcat & non alibi, **und friſt die gleich hinweg, nagel hinweg**, ideo, propter curam, cauſam debemus ſcire: 11. ipſi digerunt, purgant, quid hoc ad panaritium? 12. alii ſunt, **die da e=ſſen**, & male: 13. præterea illi, qui vermem habent, non debent eſſe, **wo ein muhle iſt, oder waſſer, oder gedohn**, & quando pluit. **dann wie mehr es dohnet**, vermis ſentit, & audit, & magis ſævit, &c.

Objectionum ſolutio & opinionum deſtructio.

Sequuntur nunc objectionum ſolutiones, & opinionum deſtructiones, ex quibus, an Theophraſtus authentica proponat, eluceſcet.

1. Veteres dicunt, fieri ex cholera admixta melancholia aduſta.

1. Ubi medici habent, ex cholera admixta melancholia aduſta panaritium originem trahere, intelligendum eſt, hos humores non eſſe ab ſe invicem diſcretos, ſed tali modo permiſtos, ut choleræ copia ſuperet melancholiæ aduſtæ quantitatem, choleraque ſit tanquam vehiculum ipſius melancholiæ; quæ alioquin fluxioni minus eſt apta; ac ex cholera, ſanguine ſcilicet ardentiſſimo, præter auctorum loca citata, ipſa curatio indicat, paronychiam oriri.

2 Cholera

2. Cholera autem quo minus eo in loco esse possit, nil impedit: quoniam humor calidus, amarus, acredine permistus, facillimæque penetrationis, nec non viæ ad extremitates digitorum, cum & oscula vasorum eo tendant, sint satis patentes. Ipse præterea Theophrastus sibi ipsi objicit hoc, cujus solutionem non subjungit: *si nutrimentum illuc venit, etiam cholera: &, quia omnia a centro corporis veniunt ad membra, ideo & cholera.* Hac vero objectione, proprio se jugulat gladio: quippe concedere illam cogitur, nec, quid ad eam responsi dare possit, habet. Addo ego, humor hic, quamdiu alimentum sibi habet conjunctum, fluere non desinit: sed ad radicem unguium usque alimentum defertur, ergo & ibidem, quoniam ulterius non producitur, permanet. Verum hic alius quispiam hanc in medium proferre posset quæstionem: cur, cum tam ad alias, quam ad extremas digitorum partes oscula vasorum deferantur, non & in iis, oboriatur paronychia. *Respondeo ego*, verissimum certissimumque esse, vasorum extremitates non modo in fines digitorum, verum & innumeras partes corporis, quo vitales spiritus ad conservationem, sanguisque ad nutritionem deferri possit, terminari. Præ reliquis autem has magis affectas esse illis, ratio est; quoniam incarnes, calore præditæ debiliori, frigidioresque ob distantiam a partibus principibus, minusque robustæ sunt ad expellendum materiam, quæ influxit: cutis præterea in digitorum extremitatibus crassior, duriorque est multo reliqua: situs insuper addi posset declivis: ad partes namque inferiores facilior est fluxio: ac, cum materia paronychiam excitans sit acris nec non maligna, usquequo retardetur, pervadit: sic videmus erysipelas excitantem humorem carnosas, ut laxiores permeare partes, cuti autem præsertim cuticulæ ob substantiam spissiorem sese insinuare. Quare in partibus etiam carnosioribus paronychia excitari nequit: quoniam talis earum non est dispositio: ea autem ut exsurgat, præter materiæ qualitatem assignatam, partes tendinosæ, frigidæ, spissiores extremæque requiruntur, quales in digitorum extremitatibus occurrunt; ac, quamvis & alia sint loca excarnia nervosaque; motus tamen, quo gaudent, insignis impedit, quo minus paronychia, quia facilius ejus ope expellitur & absumitur, afficiuntur. Venæ etiam & arteriæ in aliis partibus in musculorum substantiam inseruntur; hic intra tendines potius implantantur. Ubi autem talis humor biliosus sive cholericus decumbit ad articulationes sive coccygis, sive scapulæ,

Marginalia:

2. Quomodo potest cholera hoc in loco esse.

Quæstio cur non in omnibus partibus oboriatur paronychia. Solutio.

Cutis in digitorum extremitatibus crassior, quam in aliis partibus.

Erysipelas est affectus cuticulæ.

Paronychia in carnosioribus generari nequit partibus.

ſcapulæ, arthritim non paronychiam excitat; ac, uti materia fomeſque arthritidis non ſemper eſt frigida, ita nec origo panaritii ſemper dependet, *præſertim in principio*, a caliditate, verum doloribus invaleſcentibus, ſolutioneque continui, ſuperveniente nec non inflammatione, caliditas per accidens, frigiditatem humoris ſuperans, inducitur: æque enim ab humore ſeroſo & acri nec non ſalſo & bilioſo & panaritium, ac podagra oriuntur. Videmus, multos a paronychia adhibitis medicamentis calidis liberari, & a frigidis lædi. In podagra raro, niſi inveterata & nodoſa materia ſuppuratur, quoniam nimis profunde in acetabulis ſita, & ut plurimum pauca, eaque frigida; ita ut ex hominibus centum, vix decem reperiantur, qui a cauſa calida, ea laborent. In paronychia vero ſemper fere materia ad ſuppurationem tendit, quia minus profunda eſt, puriſque generationi facilius obnoxia.

3. Et in radice unguis creſcere. Bilis ſive cholera duplex.

3. Quod ſi ſtricte verbum creſcere a Theophraſto accipiatur, intelligatque per illud, originem habere, nullo modo choleram nec naturalem nec non naturalem ibi creſcere ſive generari poſſe aſſero: nam in ſolo epate naturalis procreatur, & ab eo mediantibus venis per univerſum corpus diſtribuitur: non naturalis vero, cujus quatuor ſunt ſpecies, vitellina videlicet, porracea, æruginoſa, & iſatis, in ventriculo gignuntur; a naturali a ſymmetro regreſſa ſuo, paronychia, a non naturali alii oriuntur morbi. Lato vero modo ſi creſcere vel originem habere ſumatur, & in digito ſeu parte affecta generationem ejus humoris eſſe, dici poteſt, quatenus materia, quæ ibidem continetur, affectus hujus fons & cauſa exiſtit.

4. Sed quomodo poſſit hic coagulari, cum tot habeat obſtacula.

4. Miratur, quomodo poſſit cholera hic coagulari, cum tot habeat obſtacula. Quid vero per verbum coagulari intelligat, non ſatis video; & an velit coagulationem pro exſiccatione & aduſtione materiæ accipere, haud liquet: ſi pro coagulatione, non ſecus ut in lacte, quo minus hac in parte, quam alibi oriatur, quid impedit? nam, ut ſanguis ille cholericus extra venas, qui panaritium gignat, poſitus ſit, neceſſitas exigit, quid prohibet, quo minus coaguletur? cum ea ſit natura ſanguinis, ut extra venas prolapſus, ſtatim concreſcat & coaguletur, utpote venarum calore deſtitutus. Facilius autem humor hic ob qualitatem, acredinem ſcilicet, partiumque, circa quas poſitus, frigiditatem coagulatur. Si vero pro exſiccatione & aduſtione coagulationis ſumat nomen, omnino eam in panaritio fieri, nego: ex aduſtione

one enim ſcirrhus, ex ſuperaſſato cancer oritur: tandem nihil impedit, nec ullum, quamvis ille (abſque probatione tamen) tot habere obſtacula afferat, quo minus hac in parte æque ac in aliis, cholericus ille ſanguis poſſit coagulari, cum ubique extra venarum tunicas poſitus concreſcat & putreſcat ſtatim, video obſtaculum. Interim nec nego & ſanguinem ibidem aduſtum & ſuperaſſatum poſſe contineri & relegari: quoniam & cancri & ſcirrhi eo in loco oriuntur, paronychia autem ut plurimum ex bilioſo ſive cholerico exſurgit ſanguine, eoque calidiſſimo, non ex aduſto neque aſſato: imo affectus orti ex aduſtione & aſſatione minus paronychia dolent: cholera namque tyrannus eſt naturæ, omniumque humorum ſæviſſimos excitat dolores, affectuſque.

Paronychia ex calidiſſimo non ex aduſto oritur ſanguine.

Cholera tyrannus naturæ.

5. Cur vero remoraretur, antequam ad radicem unguis veniret, cum humor hic bilioſus ſive cholericus, calidus, acris, ſummeque fluxilis, imo tantæ ad fluendum ſit aptitudinis, ut deſcendat, quouſque ulterius ſeſe diffundere nequeat, viaque, ita ut latius nec fluere nec evacuari poſſit, ob cutem ea in parte admodum denſam, occludatur: aliæ inſuper partes hunc humorem etiamſi imbibunt, tamen quia robuſtæ, ad imbecilliores tranſmittunt.

5. Etiamſi deſcenderet remoraretur, donec ad radicem unguis veniret.

6. Ridiculum eſt dicere, putrefactionem curari, ideoque non eſſe choleram: cum tamen paronychia in principio minime curetur, ut putrefactio, ſed ut cholera. Sic ipſe Theophraſtus frigida & narcotica in hujus affectus adhibet principio, nec ſolum ille, verum & omnes dogmatici medici chirurgi. Si autem, ſecundum Paracelſum, curari deberet, ut *putrefactio*, ipſam arcentia paronychiam curarent, at ab iis non curatur: melius vero aptiuſque dixiſſet, curari per putrefacientia. Nam, ubi in principio repellentia reſpuit, feliciter putrefacientia adhibentur.

6. Et cura indicat, non eſſe choleram, quia putrefactio curatur.

7. Ex ſuperioribus primariam panaritii cauſam putrefactionem exiſtere, falſum eſſe intelligitur; verum meram inflammationem & cholericum humorem, quoniam in principio nec putrefactio ulla obſervatur, nec ut putrefactio, ſed ut inflammatio: frigidis namque ac iis vel anodynis vel narcoticis, curatur.

7. Ego dico quod panaritius ex putrefactione venit.

Paronychia non oritur ex putrefactione, ſed ex inflammatione.

8. Nec *vermem* eſſe, ſed mera nugiloquorum hominum ſomnia & figmenta, demonſtravi: neque veriſimile eſt ex tali humore, potius vermem, qui necaret, eundem generari poſſe, cum ſit acris, ſalſus & amarus: de ſui ſalis putrefactione,

8. Et eſt vermis.

one, ex qua vermem nafci opinatur, dicat quicquid velit Theophraftus.

9. Quia rodit & corrodit.

9. Ratio autem, qua probat effe vermem, quia rodit & corrodit, nullius eft momenti. Rofio namque & corrofio omni acri humori, e quo & panaritium oritur, competit.

10. Sed quomodo hic crefcat & non alibi, &c.

10. Quomodo autem hic crefcat, & non alibi, miratur: mirari vero definat, & prædicta melius perpendat.

11. Ipfi digerunt, purgant: quid hoc ad panaritium?

11. Digeftionem vero, ut & purgationem, ad panaritium nihil conferre afferit, cum tamen, quantum humorum, qui affluxerunt, & eorum, qui deinceps affluxuri funt, digeftio & purgatio conferat, abunde experientia teftetur: iis namque neglectis, fæviora oboriuntur fymptomata.

12. alii funt, die da eken.

12. Præterea ait, male eos agere, qui utuntur corrofivis, **die da eken**, cujus opinionis fum & ego, qui fectionem corrofivis præfero.

13. Præterea illi, qui vermem habent, non debent effe, wo ein muhle ift, &c.

Strepitus & tumultus paronychia laborantibus eft noxius.

13. Anilia demum hic proponit, dum, qui vermem habent, non vult, ut fint prope molas, aut aquas aut ftrepitus: quod vermis fentiat & audiat & magis fæviat: fequentia autem propria ipfius funt verba. Præterea illi, qui vermem habent, non debent effe, **wo ein muhle ift, oder waffer, oder gedohn**, & quando pluit: **denn, wie mehr es dohnet**, vermis fentit & audit, & magis fævit. Ratio autem, cur non debeant nec poffint effe prope molas, aquas, ftrepitufque, non eft, quod vermis ftrepitum illum audiat, & fentiat, indeque, quo ftrepitus major fit, fæviat; fed quod præter externam interturbationem & ftrepitum, fpiritus menfque hominis fatis interturbati ex illo tumultu magis interturbentur.

CAPUT XIV.

De Prognofi.

GUIDONI & JOHANNI DE VIGO hic morbus cenfetur funeftus.

Panaricii vehementia nifi cito coerceatur, periculum eft, ne totum digitum cum dolore maximo tandem corrumpat ac fideret.

Non raro interficit, quia nervofas occupat partes.

Sæpius gangræna fubfequitur, & articulus digitorum unus vel duo, vel totus amittitur.

Extremum

Extremum digitorum articulum occupans panaritium periculosius est, quam quod secundum vel tertium invadit.

A causa externa orta paronychia *(ut a contusione)* facilioris existit curationis, quam quæ causam habet internam, præsertim, ubi una cum contusione adest ulcus seu vulnus: tum enim materiæ exitus haud præcluditur.

Plethorico accidens corpori vehementiores & breviores, cacochymico vero diuturniores, nec adeo, nisi per accidens, vehementes excitat dolores.

Cum ulceribus cacoethicis, esthiomenis & malignis, cariem ossiumque putrefactionem inducere solet.

Quo materia cuti est proximior, eo minor adest dolor, minusque minatur periculi: quo autem profundiores materia egit radices, eo sæviores existunt dolores, majusque metuendum est periculum.

Quo dolor vehementior, eo funestior & calamitosior exitus.

Pus in paronychia, quo diutius conclusum detinetur, eo sæviora symptomata subsequuntur.

CAPUT XV.

De Indicationibus.

Indicationes in paronychia unde sumantur.

UT tempora hujus affectus a sanguine sive materia dependent, ita & indicationes curandique scopi ab eodem sanguine, quatenus affluxit, vel affluit, vel affluxurus est, desumuntur: & nunc revulsoriis, nunc intercipientibus, nunc repellentibus, nunc evacuantibus medicamentis utendum esse indicant. Quo minus affluere possit sanguis ille *nitrosus*, *malignus*, &c. generatio ipsius impedienda, ne affluat, intercipiendum revellendumque, qui affluxit partim repercussivis repellentibus, partim suppurantibus debellandus venit. Insuper, quatenus huic tumori adest inflammatio, nec non dolor intolerabilis, his frigidis, anodynis, tamen &, si necessitas urget, narcoticis subveniendum erit, si caries carnisque accidat excrescentia, unguiumque deperditio, nec non motus diminutio & ablatio, ad ea refugiendum erit, quæ in propriis capitibus traduntur, inque hujus affectus observationibus describuntur.

Indicationibus ut satisfaciendum.

CAPUT

CAPUT XVI.

De Medicinis revulſoriis.

Revulſoria quænam & quomodo adhibenda.

REvulſoria medicamenta ea ſunt, quæ parti oppoſitæ adhibentur, calidaque attrahentia exiſtunt; inter quæ etiam recenſetur *venæ ſectio* dextri, ubi ſiniſtrum, & ſiniſtri, vice verſa, ubi dextrum latus, ſeu quædam in eo pars affecta eſt, *ſcarificatio*, *frictio*, *cucurbitula cum & ſine ſcarificatione*, *maximaque flamma appoſita*, *dropax*, *ſinapiſmus*, *veſicatorium*, *inunctio*, &c.

Veſicantia.

VESICANTIA.

Aconitum.
Adarces.
Aron.
Cantharides.
Dracontium.
Euphorbium.
Fimus { Caprinus.
Fimus { Columbinus.
Flammula Jovis.
Lac { Ficulneum.
Lac { Tithymalli.
Lepidium.
Naſturtium.
Pyrethrum.
Pulegium.
Radicis juglandis cortex.
Ruta.
Scilla.
Sinapi.
Sulphur vivum.
Thapſia.
Veratrum album, &c.

Dropax.

DROPAX.

℞. Ol. communis ℥i. Picis liquid. ℥ii. Pulv. piper. Pyrethri an. ʒiſs. Euphorbii ℈i. Miſceantur ſimul.
Hujus medicamenti vis eſt attrahere.

Si-

SINAPISMUS.

Sinapismus.

ORIBASIUS & AETIUS tali modo sinapismum conficiunt. Caricas in aqua tepida pridie macerare oportet, postridie vehementer expressas contundere, deinde acerrimum sinapi per se terere, caricarum cremorem inter terendum paulatim affundendo, quo facilius teri possit, ut non tamen fiat aquosum, tunc in massas leves redigere, alteram ex caricis, ex sinapi alteram. Et, cum vehementem sinapismum volueris, duas sinapi partes uni caricarum addito, si mediocrem, utriusque partes æquas; si imbecillem, tertiam tantum sinapi partem duabus caricarum. *Hæc* RENODAEUS *instit. Pharmaceut. cap.* 16. *lib.* 5.

VESICATORIUM.

Vesicatorium.

℞. Cantharid. integrar. ʒiß. Sem. sinap. ℈i. Euphorb. rad. aron. crud. an. ℈ß. Ferment. recent. ʒiii. Aceti squillit. q. s. fiat pasta.

CAPUT XVII.

De Intercipientibus.

Intercipientia & defensiva qualia.

INtercipientia, quæ vulgo defensiva dicuntur, frigidam, astringentem stypticamque habent naturam, vasorum oscula, poros & humores sua frigiditate & stypticitate inspissant, coagulant, & condensant, ac quo minus sanguis affluere possit, caliditatem attrahentem refrenando, impediunt, lateri seu parti adhibentur, ad quam fit fluxio, non autem ipsi, sed supra ipsam, *ubi minus existit carnis*, *vasaque magis sunt conspicua*. Huc referri possunt *cucurbitulæ*, *scarificationes*, *venarum sectiones*, *vesicatoria*, quatenus materiæ aditum intercludunt, &, antequam ad partem pervenire queat affectam, evacuatur, *nec non frictiones*, *ligaturæ*, *sinapismi*, *dropaces*, &c.

Ubi adhibenda defensiva.

INTERCIPIENTIA SIMPLICIA.

Intercipientia.

Acacia.
Acetum.
Asphaltus.
Atramentum sutorium.
Balaustium.

Bolus

Bolus Armena.
Cornus.
Cupressus.
Equisetum.
Fæx vini.
Gallæ.
Glandes.
Gnaphalium.
Gypsum.
Hypocisthis.
Juglans.
Labrusca.
Malum Punicum.
Malum cotoneum.
Malum silvestre.
Muscus terrestris.
Myrtus.
Oleum omphacinum.
Paliurus.
Plantago.
Rubus Idæus.
Sedum majus.
Sedum minus.
Solanum.
Terra Lemnia, &c.

Astringens compositum.

ASTRINGENS valentissimum compositum.

℞. Boli Armen. ʒiſs. Sanguin. Dracon. Pulv. malicorii, an. ʒi. Myrtillor. Balaust. an. ℈ii. Excipiantur pulv. album. ovi conquassat. add. olei rosat. ʒii.

Defensivum Wilhelmi Fabricii Hildani tract. method. de gangræna & spacelo descriptum sequens est convenientissimum.

℞. Farinæ hordei ℥iiii. Boli Armen. ℥ii. Pulv. gallar. virid. Nucum cupress. Cortic. granat. an. ʒiſs. Caphuræ ℥i. Cum oxymel. fiat catapl.

Chalmeteus, lib. 1. *cap.* 4. *de anthrace & carbunculo hoc utitur defensivo.*

℞. Boli

℞. Boli Armen. ℥iiii. Terræ ſigillat. ℥ii. Cornu cervi uſt. Raſuræ eboris, an. ʒii. Caphuræ ʒiii. Ceræ ℥iii. Ol. roſat. ℔i. Aceti ℥iiii. Aquæ roſar. ℥ii. Album. ovor. n. ii. Miſce, fiat unguent. quod diu ſervari poteſt.

AQUAPENDENS *de tumoribus præter naturam, part.* 2. *cap.* 5. *lib.* 1. *inquit:*

Aquapendens.

Ego tamen intercipientia ſine *oleis* & *cera* componi malo: nam licet oleum roſatum omphacinum & myrtinum, aliaque refrigerent & aſtringant, *pingui* tamen & unctuoſa ſua natura, partem quoque ipſam remolliunt, &, ſi diutius adhæreant, etiam calefaciunt, &c. Quare melius erit defenſiva abſque oleis conficere, plethoricis & raris præſertim ubi applicantur, & cum *ovi candido*, addita *exigua aceti roſati quantitate*, pro meliori penetratione excipere.

Olea intercipientibus non admiſcenda.

CAPUT XVIII.

De Repellentibus.

REpellentia, quæ & repercuſſiva dicuntur, frigida ſunt, humida & aſtringentia, ſanguinem aliò repellendo influentem, ne ad affectam deferatur partem, prohibent. His in omnibus affectibus haud utendum: nam, ubi apparent *parotides* poſt aures, *inflammationes* ſub axillis, *bubones* in inguinibus, ab iis abſtinendum eſt, quoniam partes principes, ut *cerebrum, cor & epar*, tanquam ad deſtinata a natura emunctoria, humores vel qualitate vel quantitate ſibi noxios, eo relegant. Deinde cavendum eſt, ne in corpore cacochymico repercutientia adhibeantur, ne pars mandans, quæ recipiente ut plurimum nobilior eſſe ſolet, aggravetur, pejorque inſequatur morbus, graviuſque oboriatur periculum. Sed conducibilius eſt, eo, quo natura vergit, ducere, ſecundum *Hipp.* 1. *Aphor.* 21. *Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit, per loca conferentia, eo ducere convenit:* in illis autem corporibus natura materiam morbificam a centro ad circumferentiam protrudere aſſolet. Repercuſſiva porro in principio & augmento, in eo, in quo conveniunt caſu, applicare conducibile eſſe aſſerit MARIANUS SANCTUS *in ſuo compendio*

Repellentia & repercuſſiva qualia.

Quando & ubi his utendum.

Repercutientia cacochymicis non adhibenda.

In principio & augmento repercutientia conveniunt.

dio chirurgiæ, quia materiæ his temporibus maxime *fluunt & refluunt*, & impeditur, quo minus materia poſſit *affluere:* & *affluxa*, ut loquuntur, *refluere:* affluxa vero vel reſolvenda, vel in pus vertenda.

Repercuſſiva Gordonius approbat.

In panaritio, ſecundum GORDON. *repercuſſiva*, ſicut in aliis apoſtematibus, & plus, quia ſunt in loco multum ſenſibili, & ideo eſt magnus dolor; *quare etiam non ſolum frigida competunt, ſed & narcotica.* Quantum eſt igitur de natura panaritii, materia non eſt ita *aduſta*, quin repercuſſiva poſſint competere: nec quia *emunctorium*; quoniam tanta eſt *diſtantia* uſque ad cor; quia materia poſſet eſſe conſumta, evaporata, expulſa, ita ut nocumentum non veniat ad cor. Repellentibus vero dum utitur chirurgus, admiſcenda ea, quæ una membrum *confortant*, quæque tonum ac robur partibus indere poſſunt: repellentia autem cum intercipientibus fere conveniunt.

Repellentibus membra confortantia adhibenda.

Repellentia.

REPELLENTIA SIMPLICIA.

Acacia.
Acetum.
Aqua.
Auricula muris.
Balauſtiæ.
Bolus Armena.
Cucurbitæ ſuccus.
Cupreſſus.
Hyoſcyamus.
Hypocyſthis.
Intubus.
Lactuca.
Lenticula paluſtris.
Mandragora.
Meſpila.
Nix.
Ovi albumen.
Papaver.
Plantago.
Polygonum.
Portulaca.
Pſyllium.
Quercus.
Rhus.

Sem-

Sempervivum.
Solanum.
Trifolium.
Umbilicus Veneris, &c.

Repercussivum refrigerans.

℞. Succi portulac. Semperviv. an. ℥i. Lactuc. Solani. an. ℥ß. Farin. hordei q. s. ad cons. catapl.

Repercussivum refrigerans.

Repercussivum refrigerans & astringens.

℞. Boli Armen. ʒii. Terræ sigill. ʒi. Pulv. balaustiæ. Gallar. an. ʒß. Aceti rosat. ℥ß. Farin. hordei ʒiii. Succi sempervivi. Endiv. an. q. s. Misce.

Repercussivum refrigerans & astringens.

Repercussivum refrigerans astringens ac partem roborans.

℞. Succi hypocysth. Acaciæ. an. ℈ii. Bol. Armen. ʒiß. Pulv. rosar. rub. ʒi. Lumbric. terr. ʒß. Succi umbilic. vener. Semperv. min. an. ʒiii. Acet. rosat. ℥ß. Cortic. thur. ℈i. Album. ov. q. s. fiat mist.

Repercussivum refrigerans, astringens ac partem roborans.

Valet & unguentum infrigidans Galeni, nutritum, album camphoratum, populeon, &c.

CAPUT XIX.

De Suppurantibus.

Ubi materia neque revelli neque intercipi potest, quid faciendum.

UBI autem materia hæc, quæ influxit, neque repelli, neque revelli, neque intercipi potest, sed continuus affluxus insequitur, sanguis in parte contentus stypticis frigidis & calidis humectantibus simul mixtis tractandus: *styptica*, namque, secundum Maria. Sanct. humorem, ne refluat, sua frigiditate, continent: calida poros aperiunt, duplexque commodum præstant. Primo, secundum Hipp. 5. Aphor. 22. *Calidum sive extrinsecum sive intrinsecum, modo terminos suos non egrediatur, in quo ulcere pus movet, magnum securitatis præstat indicium, cutim mollit, extenuat, dolorem sedat*, &c. Cutim extenuat calor emollitque, ac, quo facilius materia concoqui, & vel discuti, vel in pus converti, faciliusque abscedere queat, efficit. Secundo, calor in causa est, quo melius medicamenta penetrent; semper autem attendendum, ne

ſtyptica nimium refrigerent, *calidaque* ſupra naturæ modum, ne calefaciant: alioqui ſcirrhoſi, & qui hos ſequuntur affectus, oboriri ſolent ſæviſſimi.

Qualia debeant eſſe calida.

Inſuper *calida humectantia* eſſe debent, & temperamento humano corpori correſpondentia; *emplaſtica* quoque vi prædita, quo obliniantur pori, ne naturalis diſſipetur calor, puſque generetur fœtidum, cujus cauſam præternaturalem & extraneum ſeu adventitium calorem eſſe, antea aſſertum: hicque in præſcribendo ſervetur ordo, *major* ſit copia humectantium, *minor* calidorum, quoniam materia paronychiam excitans per ſe ſolet eſſe *fervidiſſima, calidiſſima, imo tantæ caliditatis*, ut non ſolum nervoſas, verum & tendinoſas in tantum *exſiccet* partes, ut videantur fumo quaſi induratæ, *quemadmodum in obſervat. latius dicetur*; omnium *minima* portio medicamentorum eſſe debet ſtypticorum frigidorum: propterea, ne caliditati, quæ alioquin ſit temperata oportet, quicquam in operando, naturamque ad conficiendum pus adjuvando, detrahatur, vireſque ob inſignem refrenentur frigiditatem.

Ordo in adhibitione medicamentorum qualis obſervandus.

Quamdiu autem ſpes aliqua ſupereſt, humorem repelli poſſe, libere iſti intentioni incumbendum eſt: attendendum autem, ut ſemper admiſta ſint confortantia membrum. Ubi vero ſpes illa receſſit, ſuppuratio tuto molienda.

Suppurantia.

SUPPURANTIA Emplaſtica ſimplicia.

Adeps { Anſerinus. Caprinus. Gallinaceus. Porcinus. Suillus. Taurinus. Vitulinus. }

Althæa.
Amylum.
Bdellium.
Bryoniæ radix.
Butyrum.
Caſeoſum lactis.
Ceruſſa.
Crocus.

Farina

Farina { Hordei. Lolii. Tritici. }

Fermentum.
Ficus.
Fœnugræcum.
Gummi.
Gypſum.
Iris.
Liliorum alborum capita.
Lini ſemen.
Lupini.
Malva.
Maſtix.
Medulla.
Mel.
Mucago omnis.
Oeſypus.
Oleum.
Ovi album.
Terra fullonum.
Tragacanthum.
Triticeus panis.
Uva paſſa, &c.

MEDICAMENTUM Suppurativum emplaſticum.

Medicamentum ſuppurativum emplaſticum.

℞. Herbar. malvæ. Althææ. Violar. an. m. s. Rad. conſol. major. Althææ, an. ℥iii. Semin. lini. Pſyllii. Fœnugræc. an. ℥ii. Caricar. pinguium, n. iiii. Capit. lilior. alb. ℥i.

Bull. in ſ. q. aq. comm. deind. piſt. & per crib. trajic. coquant. poſt ad cataplaſ. conſiſt. cum aqua decoct. in fine add.

Far. tritic. ℥ii. Olei lilior. albor. ℥i. Chamæmel. ʒvi. Adipis porcin. Vitulin. an. ℥ß. Croci ℈ß. Miſce, fiat catap.

MEDICAMENTUM ſuppurativum, cum ſtypticis.

Medicamentum ſuppurativum cum ſtypticis.

℞. Pulv. rad. Biſmalv. Conſol. major. an. ℥ß. Semin. lini. Fœnugræc. an. ʒiii. Herb. malv. c. t. Alceæ, an. m. i. Sedi major. Plantag. Hyoſcyam. an. m. s. Unguium

guium ros. rub. m. i. Farin. hordei. Lolii, an. ℥iſs. Flor. chamæmel. Melilot. an. p. ii. Cæpar. ſub cinerib. coct. Rad. narciſs. an. ℥ſs. Pulv. Gallar. Malicor. an. ʒii.

Bull. ſimul pulv. ſubtiliſſ. cum ſ. q. aquæ comm. (vel ſi in promtu ſit cum q. ſ. lactis vaccini) ad cataplaſ. conſiſt. in fine add.

Ol. roſat. omphac. Myrtin. an. ℥ſs. Lilior. albor. chamæmel. an. ℥i. Vitel. ov. n. i. Croci ℈ſs. *Miſce pro catap.*

Ubi adhibentur ſuppurantia, nihilominus & conveniunt intercipientia.

Interim, dum ſuppurantia hæc adminiſtrantur medicamenta, ab *intercipientibus* non eſt ſecundum GUIDONEM deſiſtendum, ne materia, quæ parata, prompta, ac prona eſt affluere, parti accedat, novæque fluxionis, doloriſque majoris cauſa ſit: ubi vero nihil præter ſuppurationem futuram conſpicitur, omni in id ſtudio, & quo citius eo melius, incumbendum.

CAPUT XX.

De temporibus Paronychiæ.

UT medici phyſici ſuis tempora tribuunt morbis, ita & chirurgi ſuis affectibus certa aſcribunt tempora, quæ, quid in illis faciendum ſit moliendumque, ſuadent. *Quatuor* autem plerumque unicuique affectui, quæ tamen haud omnia patientes attingunt omnes, aſſignantur, *principium* ſcilicet, *augmentum*, *ſtatus*, *& declinatio:* & horum unumquodque quatuor ſimiliter complectitur; ſic, *exempli gratia*, augmentum ſuum habet principium, proprium augmentum, ſtatum, ſuamque declinationem: *& ſic de reliquis.* *Principium* autem panaritii, ubi fit, vel contuſio, vel punctura, vel ictus, vel ſanguinis affluxio, dicitur. Hic ſanguis extra venas poſitus dum putrefit, calorem acquirit præternaturalem, partem inflammantem, diſtendentem, ac in tumorem elevantem, vocaturque *augmentum.* *Status* eſt, ubi materia, ſeu ſanguis ille, a calore ſupradicto in ſaniem & pus vertitur, ſolviturque continuum: hinc maximi, ſecundum HIPP. 2. *Aphor.* 47. oriuntur

Quatuor ſunt morborum tempora.

Principium.

Augmentum.

Status.

Hippocrates.

untur dolores. *Nam, dum pus fit, dolores ac febres magis accidunt, quam confecto.*

Puris autem generatio haud dicenda eſt *putrefactio*, neque etiam *concoctio*; ſed medium quiddam inter hæc duo exiſtit: materia namque ſeu humores ſuppurantur, carnes vero contuſæ, ſecundum Hipp. *lib. de vulnerib. capitis*, neceſſe eſt ut putrefiant, antequam in pus converti poſſint. Actio autem naturæ, ſecundum FRANCISCUM VALLESIUM, *lib. 5. cap. 4.* triplex eſt in materiam: fitque vel *natura vincente*, ubi naturalis præternaturalem vincit calorem, tuncque materia reſolvitur, & per inſenſilem tranſpirationem evacuatur, quæ dicitur *coctio*; vel *natura victa*, ubi præternaturalis calorem naturalem ſuperat, eaque appellatur *corruptio ſeu putrefactio:* vel *medio modo ſe habente*, ubi nec putredinalis naturalem, nec naturalis putredinalem vincit, ita ut nativus calor non poſſit materiam in vaporem & halitum digerere, nec præternaturalis corrumpere ſeu putrefacere, neuterque victor exiſtit, miſta tamen fit actio, quæ eſt materiæ in *pus* converſio. Pure tali modo confecto, ubi uterque calor ſuorum extremorum non eſt particeps, quo materia a nativo calore non poſſit digeri, nec a putredinali, etiamſi pus adſit, ad ſuppurationem perduci, ſed *(ut ita loquar)* conſiſtunt ac permanent in æquilibrio, ac media agina feruntur, tum tunica quadam materia obducitur, ut quam optime in ſuis prælectionibus Patavii dum eſſem, *Excellent.* ADRIANUS SPIGELIUS *anatomes & chirurgiæ profeſſor ordinarius in primo loco, præceptor meus ſemper colendus, de tumoribus præter naturam declaravit*, efficitur genus illud tumorum, tunicatum appellatum, ut eſt *atheroma, ſteatoma & meliceris.* Eſt autem pus illud optimum, quod album eſt, leve & æquale, minime fœtidum, coquitur a naturali, fœtorem ob putrefactionem non ſolum humoris ſed carnoſarum imprimis partium a præternaturali adipiſcitur; ac quo plus carnis putreſcit, eo major eſt fœtor. Sic inciduntur maximi abſceſſus intra cutim & muſculos ſiti, ab humoribus ſuppuratis dependentes, quorum pus vix olet: e contrario minimi & exigui ſecantur, quæ muſculorum occuparunt ſubſtantiam, & ex contuſione originem habuerunt, referti & infarcti fœtidiſſimo pure. Tum dicitur adeſſe *declinatio*, ubi materia concocta, & in pus converſa, digeſtioni, reſolutioni, ac imminutioni tumoris eſt idonea, ſævioraque ſymptomata profligata. *Tot autem*

Puris generatio non eſt putrefactio.

Actio naturæ triplex in materiam.

Quomodo generetur atheroma, ſteatoma, & meliceris.

Spigelius.

Pus quodnam optimum.

Fœtor in pure unde.

Declinatio.

Gordonius.

autem paronychiæ inesse tempora, *confirmat* GORDON. *de solutione continui*, *part.* 1. *cap.* 28.

CAPUT XXI.

Quæ molienda sint in principio Paronychiæ.

Chirurgo quæ facienda.

CHirurgus accersitus sedulum se in affectus hujus curatione præbere debet, ac prognostico rigoroso affectus hujus malitiam & contumaciam detegere, si non patienti, saltem astantibus. Laborandum quoque ipsi erit, quo medicus quidam, qui internis remediis plethoræ vel cacochymiæ subveniat, quæque necessaria videbuntur, præscribat, advocetur. At, quoniam omnibus in locis chirurgus medici præsentia gaudere nequit, ea propter statui pauca quædam, eaque chirurgo utilia, ad medicum tamen pertinentia, hic proponere. Diligentem imprimis habeat rationem temporis. Æstivo namque frigidiora & humidiora, hyemali autem talia non conveniunt. Et, cum affectus hic per se & natura sua sit inflammatorius & calidissimus; aer, nec non cibus & potus, imperandus est frigidus, humectans; somnus vigiliis, quies motui præferenda; animi perturbationes, ut & venus, fugienda; alvus sit lubrica, idque si non sponte, medicamentorum tum fiat ope.

Si paronychia accidat plethorico ut tractanda.

Ubi jam corpus occurrit plethoricum, diæta instituta convenienti, vena secari potest; evacuanda autem tanta est sanguinis copia, quantam robur virium, temperamentum, ætas, anni tempus, inflammatio & dolor suadet consulitque: imo, si inflammatio insignis, ad animi usque deliquium, secundum GALEN. com. aphor. 26. sect. 1. vena autem illa tundenda, quæ opposita est. Sic ubi digitus manus dextræ laborat, in sinistro; ubi sinistræ, in dextro brachio aperienda. Si affectus hic accidat virginibus & mulieribus, quibus menses suppressi sunt, tali venæ incidendæ, ut &, si comitetur hæmorrhoidum obstructio aperienda, seu, ut barbare loquuntur, deobstruenda, talique modo venæ sectio præcavet, ne sanguis genitus, nec non præter naturam retentus, possit causa hujus affectus esse. Sanguis vero educendus in principio statim, ut & purgationes exhibendæ, ne materiam assuescat natura mandare parti affectæ: hoc tempus si neglectum sit, vix ulla dein commoda occurrit occasio: *principio*

Venæ sectio adhibenda, ejusque utilitas.

Venæ sectio quando adhibenda.

cipio etenim obſtandum, ſero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras. Hinc recte Hipp. 1. *Aphor.* 1. *Vita brevis, ars longa, occaſio præceps, &c.* at ubi vires & ætas, temperamentum, annique conſtitutio, venæ diſſuadent ſectionem, nil refert cucurbitulas revulſorias ſcarificatas cum maxima flamma adhibere.

Hippocrates.

Venæ ſectioni ſi non detur locus quid faciendum.

Si corpus fuerit cacochymicum, neutiquam, niſi maximus & intenſiſſimus adſit dolor & inflammatio, vena ſecanda, ſed ſtatim vel clyſteres, vel purgantia per os exhibenda, antequam digito quicquam adhibeatur, ſecundum *Gal. lib.* 14. *cap.* 3. *method. med.* quæ ſaburram materiæque in corpore contentæ & ad fluxum promptæ colluviem expurgent. Hoc in caſu VIGO, præmiſſa phlebotomia baſilicæ, in plethorico ſcilicet, præſcribit *electuarium ex ſucco roſarum, confectionem Hamech, caſſiam vel diacatholicon.*

Corpori cacochymico ut ſuccurrendum.

Corpore itaque exiſtente bilioſo, abſente medico, chirurgus ſequentem exhibere poterit potionem, doſin, pro patientis conſtitutione, nunc augendo nunc imminuendo.

℞. Radic. Bugloſſ. Chichorei Scorzoner. an. ʒii. Epatic. veræ. Auriculæ muris. Cichorei. Agrimon. an. p. ii. Sebeſten. n. iiii. Prunor. Damaſc. enuc. n. vii. Liquirit. ʒſs.

Medicamentum Cholagogum.

Bull in ſ. q. ſeri. lact. colat. infund. per noct.

Rhabarb. ab omnibus mendis purgat. ℈iiii. Fol. ſenæ. ʒiii. Spicæ. Squinant. an. g. vii. ſem. anis. ℈iſs.

Mane fact. una aut alter. ebul. colat. ℥iiſs. add.

Syr. ex cichor. cum rhab. ℥i. Elect. roſat. Mes. ʒii. Cremor. Tartari ℈i. Miſce pro hauſtu.

SI vero corpus fuerit pituitoſum:

℞. Agarici trochiſcat. ʒii. Turbith. alb. gumm. ʒi. Hermodact. ℈ii. Zingib. ℈i. Cinnamomi ℈ii.

Medicamentum phlegmagogum.

Irrorent. vino Rhenan. inf. dein per noct. in ſ. q. aq. Ivæ arthæt. mane facta una aut altera ebul. Colat. ℥ii. *add.*

Extract. diacarth. ℈ii. Syr. ex multip. infuſ. roſ. ʒiiii. Aq cinnamom. ʒii. Miſce pro potu.

At, ſi peccet melancholicus humor.

Medicamentum melanagogum.

℞. Epithymi p. ii. Fol. Senæ. Alex. ſ. ſt. ʒiii. Folliculor. ejuſd. ʒiſs. Rad. elleb. nig. præp. ℈iſs. Spicæ Zingiber. ℈ſs. Sem. cartham. conq. ʒiſs.

Stent in macerat. per noct. in ſ. q. aq. fumiterr. poſt. ebull. colat. ℥iiſs. add.

Confect. hamech. ʒiii. Syr. ex polypod. Aug. ℥i. Miſce pro hauſtu.

Si vero patientes optent, *bolos*, ſeu *pulveres*, ex prædictis confici queunt. *Pilulas* minus utiles, quoniam calidiores cæteris ſunt medicamentis, eſſe judico, ſuaderemque, purgatione univerſali præmiſſa, ægrum nodulo aliquo, per aliquot dies, ſeu apozemate laxante & alterante frui, quo cacochymia ex toto evacuetur, ac ne ad affectum locum ulterius corruat impediatur. *Interim & doſes medicamentorum, ſive in ſubſtantia ſive in infuſione propinentur, nunc augendæ nunc minuendæ, pro patientis robore & complexione.*

CAPUT XXII.

Uti his præmiſſis tractanda Paronychia.

CORpore purgato per venæ ſectionem & purgationem, ad topica deveniendum eſt. Nec ſolum hic, ſecundum *Hipp.* I. *Aphor.* I. *præſtare oportet oportuna ſe ipſum facientem, ſed & ægrum, & aſſidentes, & exteriora.*

Vigo ſtyptica adhibet.

JOANN. DE VIGO, iis præmiſſis, ſtypticis medicaminibus utendum cenſet, quorum prima forma talis.

℞. Duo poma granatorum integrorum decoctorum in decocto hordei, roſarum, balauſtiarum: deinde omnibus piſtatis & cribellatis cum farina lentium, hordei & fabarum, parumque decoctionis prædictæ cum hujuſmodi

cribratura

cribratura ad ignem fiat emplaſtrum ſolidum. add. ol. roſat. omphac. myrtin. an. ℥iß. Croci ℈i.

Ultimam facies ſic:

℞. Farin. lentium. Hordei. Fabarum. an. ℥i. Myrobal. citrin. ʒi. Gallar. tinctor. ℥ß.

Bull. omnia cum vino granat. & pauc. acet. roſat. uſque ad ſpiſſitudinem ſolidam, add.

Ol. roſat. omphac. ℥ii.

Et nota, Quod ſi iſta auxilia viderentur conferre huic morbo, ita quod præſtent ſedationem doloris, tunc cum eis tranſeundum eſt: *hæc ille.*

Guido. GUIDONIS DE CAULIACO cura non variatur a cura communi, niſi in majori infrigidatione & refrenatione circa principium, & majori ſedatione doloris: facta igitur phlebotomia, evacuatione & diverſione, diætatione calidarum, juvetur in principio *cum aceto puro, aut cum ſemine pſyllii mucilaginato, aut cum gallis & corticibus granatorum miſto:* unde HALYABBAS dicit, quod ſapiens HIPP. in 4. *Epid. cum galla viridi & aceto dolorem curabat. Camphora etiam ab* AVICENNA *in hoc affectu multum laudatur*, in augmento & ſtatu *acetum cum farina hordei aut cum furfure apponatur, & in fine competit oleum cum thure & nigella* ad reſolvendum.

Halyabbas.

Avicenna.

Paracelſus. PARACELSUS, **der heylung seyn dreyerley** characteriſtica, ſuperſtitionalis, & naturalis. GLOSSA. *Character* eſt ABBRACULAUS, quod nomen ſcribunt in papyro, & circumligant digito, & per tres horas ſinunt durare, poſtea curatus eſt: ſic utuntur *campiſatores. Superſtitionalis, i.* benedictionalis, **mit segenen**: ſicut ſerpentes adjurantur. Aqua benedicta ſumitur, & miſcetur cum ſale benedicto, & mixtum rurſus benedicitur, & poſtea digitus baptizatur in nomine P. F. & S. S. & tamdiu habetur in mixtura, donec vermis moritur. *Alius* ruſticus eſt, qui ſpuit tribus vicibus ſuper digitum languentem, & ſemper dicit, PONA. Tales ſuperſtitiones apud Paracelſum & alios aliquando invenies. Sed religionis rectæ lex tum in veteri, tum in N. Teſtamento hujuſmodi impias nugas, in quibus ſacroſanctum Dei nomen per diabolicas impoſturas contemeratur, vitare jubet.

Cura characteriſtica.

Cura ſuperſtitionalis.

Nam hoc eſt tentare Deum, humana curioſitate fictis ritibus Dei operationem alligare velle. Neque enim ipſi viſum eſt agere per alia media, quam quæ in natura & verbo ſuo ordinavit. *Naturalis* cura eſt per anodyna, *ſperma ranarum*, *narcotica*, *mandragoram*, & per putrefacientia, *ſtercus porcinum*, *&c.*

Cura naturalis.

Gordonius.

GORDONIUS: corpore igitur mundificato, a principio fiat emplaſtrum *cum mucilagine pſyllii facta in aqua roſarum, & opio, & camphora, & farina hordei, & aceto*, in augmento autem illinatur locus *cum ſorditie auris*, & in ſtatu *cum mucilagine pſyllii, facta cum lacte*, & in fine ſtatus perforetur cum acu, & in declinatione medicetur cum *farina lupinorum & melle*, &, ſi ibi eſſet ulcus, curetur cum *aloe*, *thure & arſenico*.

Valeſcus.

VALESCUS DE TARANTA laborans paronychia in principio ſeipſum hoc modo cura vit: cum maxime inquietus eſſet, appoſuit *lenticulam aquatritam, & incorporatam cum aceto, & albumine ovi*, ſtatim a dolore fuit liberatus; &, cum vidiſſet aliquid ſaniei ſub cute, in latere unguis aperuit cum acu, & emiſit duas treſve guttas ſaniei, & curatus fuit.

Pigræus.

PIGRAEUS: In paronychiæ initio refrigerantibus utendum pharmacis, & iis, quæ cenſentur eſſe magis anodyna, doloriſque ſedandi vim habentia. Cataplaſmata *oxalidis coctæ & recenti butyro aut axungiæ porci admixta*, *optima* ſunt & appoſitiſſima. Quod ſi inflammatio magna fuerit, utiliter addentur *hyoſquiami folia, aut malum granatum in cineribus coctum, una cum axungia, ut dictum eſt, mucilagines pſyllii, ſeminis lini, fœnugræci & althææ ad id etiam valde conferunt: unguentum populeum cum melle æquali portione mixtum, & croci aliquantulum, efficax eſt remedium.*

Inflammatio ſi adſit magna quæ adhibenda.

Ægineta.

ÆGINETA: cum parva adhuc eſt reduvia, & prima habet rudimenta, *galla cum melle eam reprimit, vel Muſæ paſtillus, vel Neræ ex aqua.*

Platerus.

PLATERUS nobili puellæ applicavit ab initio *emplaſtrum ex melle cum farina ſubactum, addito pauco ſalis*, unde dolor mitigatus eſt.

Chalmeteus.

CHALMETEUS, in topicis, initio repellentia cum anodynis miſcenda aſſerit, hancque formulam præſcribet.

℞. Succi

Succi Portulac. Solani. Plantagin. Aut craſſul. & umb. ven. an. ℥ii. Muccag. ſemin. pſyllii cum ſuccis extract. ℥ii. Boli Armen. ʒii. Gallar. ʒß. Camphor. ℈i. Ol. roſat. ℥iii. Miſceantur & frequenter applic.

Dein inquit idem, *Ego expertus ſum ovi albumen cum oleo violato magis dolorem arcere, quam narcoticum.*

Rhasis: In panaritiis confert, ut igniatur oleum, ne aduratur taliter, & imprimatur in ipſo. Si ergo ſedatur pulſatio, & ſanatur, tunc illud ſufficit. Quandoque confert ei in principio, ut liniatur cum *ærugine ferri & aceto, & ponatur in nive, uſquequo obſtupeſcat.* — Rhaſis.

Stockerus: A principio fiat repercuſſio cum *ſucco ſolatri, aut vermicularis, aut ejus aqua.* Ponatur etiam digitus primo in *acetum calidum cum furfure & farina hordei, confert albumen ovi, mucilago pſyllii, pulvis gallarum.* — Stockerus.

Paraeus: ad doloris ſedationem eadem remedia parti laboranti imponenda ſunt, quæ carbunculis imponi ſolent, *ut folia oxalidis, hyoſcyami, cicutæ, mandragoræ, ſub cineribus calidis cocta, & cum unguento populeo recenti, vel oleo roſaceo, butyrove recenti & ſalis experti in mortario contrita.* — Paræus.

Guilhelmus Fabricius Hildanus, chirurgus per univerſam Germaniam famatiſſimus, obſervat. & curat. chirurg. centur. 1. obſerv. 97. hæc habet: Curationem ſic inſtitui, primo quidem digitum *lacte vaccino, in quo flores chamæmel. melilot. ſemen fœnugræc. & cydonior. incocta erant,* aliquantulum fomentavi: Deinde ſuperficiem cutis paulatim abſecui, abraſa cute maculæ quædam rubicundæ apparebant: quibus acie cultelli inciſis, guttulam unam aut alteram aquæ rufæ ſub cute inveni. Illa evacuata, linteum madefactum *aqua vitæ* ubi non nihil *theriacæ* diſſoluta erat, applicui. His ſtatim ſedatus eſt dolor: atque hoc unico remedio altero die ſanatus fuit digitus. Reliqua quoque ſymptomata, purgato leviter corpore, ſopita fuerunt. — Fabricius.

Ego, præmiſſa phlebotomia, corporeque convenienter expurgato, ſtatim, ſi modo conſenſus ſit patientis, ad ſectionem confugio, præſertim ubi animadverto, repellentibus me nihil præſtare poſſe. Hocque affirmo audacter, me omnibus, quos hucuſque ſub cura habui, nullum ſolis repercuſſivis ex toto curaſſe, leviora vero ex illorum uſu oborta ſymptomata. Ubi itaque mihi denegatur ſectio, nec repellentia ſatis faciunt, — Auctoris ſententia. — Repercuſſiva dolores allevi-ant.

ciunt, cauftica fugiendo ac evitando, (*utpote meo judicio inconvenientia*) ad fuppurationem curationis fcopum & quidem dirigo feliciter meum, *ut ex obfervat. latius patebit.*

CAPUT XXIII.

Quid faciendum poft repellentia.

Quid faciendum, ubi materia quæ affluxit, in principio refpuit Repellentia.

Vigo maturantia adhibet.

QUod fi materia, quæ affluxit, & in parte contenta eft, repellentibus profligari nequit, fecundum JOANNEM DE VIGO, fi dolor indies augeri videtur, tunc ftatim ad maturativum *de malvis & violis, farinaque hordei*, omnibus fecundum artem in hujufmodi decoctione decoctis, cum *butyro & vitello ovorum* emplaftrum faciendo, recurrendum eft, quod per duos dies fuper loco applicetur. Deinde nulla medicina melior eft, quam protinus *candenti ferro* locum aperire fecundum longitudinem, in fummitate digiti : ifta enim cauterifatio, licet non fit fequuta loci completa maturatio, plerumque digitum confervat, ne fiat corruptio in nervo & offe, & cum hoc dolorem fedat : &, quod aliquando funt nonnulli, qui hujufmodi cauterifationem repudiant, & ipfam pati nolunt, ideo in iftis neceffarium eft, utique ad ulteriorem maturationem procedere. Quare, maturatione celebrata, locus *ferro bene incidenti*, *aut ruptorio de capitello* materia exiftente ad fummitatem cutis, aperiendus eft.

Aduftio ferro candenti utilis.

Guido.

GUIDO DE CAULIACO: fi vero materia refolvi nequit, verum collectionem facit, juvetur ad maturandum *cum mucilagine pfyllii cum aqua adipe mixta*, aut cum illo emplaftro, & eft Guilhelmi.

Emplaftrum Guilhelm.

℞. Vitel. 3. aut 4. ovor. coct. Farin. fœnigræc. Semin. lini. Mucilag. malv. vifc. an. ℥i. *Butyri recent. quantm. f. Incorporentur omnia fimul, & fiat emplaft.*

Et, cum eft maturatum, perforetur perforatione fubtili & parva, & evacuetur, quod in ipfo eft.

Ægineta.

ÆGINETA. Suppuratas autem reduvias acu adacta humorem emittere, *fpongiamque aqua imbutam* imponere oportet, vel *lenticulam* applicare ex aqua tritam, aut *palmularum* cum vino,

vino, vel *rosas virides, vel siccas, aqua maceratas, tritasque vel polentam cum aqua:* efficax est reduviis etiam *lupinorum farina, melle vel mulso macerata.*

Rhasis. Rhasis. si vero non sedatur pulsatio, tunc ponatur super ipsum, quod saniei faciat collectionem: cum ergo colligitur sanies, & maturatur, perforetur foramine parvo, & exprimatur.

Pigraeus. Pigræus. si vero his omnibus adhibitis remediis, malum tarde suppurat, quippe ejusmodi tumor valde *contumax & suppuratu difficilis est*, & is maxime, qui os attingit, ille profecto etiam *ante perfectam maturationem aperiendus erit.* Illud vero tutum unicumque remedium est, & ad sedandum dolorem, & ad supradicta symptomata impedienda commodissimum: *ut vero facienda sectio, ejusdem authoris, cap.* 21. *de tumorib. præternat. lib.* 2. *consule.*

Sectio facienda ante perfectam maturationem.

Paracelsus. Paracelsus. **demnach so es gebohren ist, so muss das** ventiel **eroffnet werden: das machetet jhm selbst, auss ursachen der thierischen art, er suedt und nehret sich in seiner statt,** &c. Hic loquitur de panaricio ut verme. Postquam igitur, inquit, natus est, oportet aperiri ventile, quod ipse sibi facit, ex causa naturæ animalis, alit, & nutrit se in loco suo.

Fabricius Hildanus, Fabricius, obs. 97. sed necesse est, statim ut ab initio fiat incisio hæc: alioquin ex doloris vehementia cito concurrunt humores, qui inflammationem ac tumorem excitant, atque subjectam carnem, imo etiam ossa erodunt: est enim cutis admodum ea in parte densa, ita ut materia paronychiæ (*quæ per se maligna est*) cum nullo modo exhalari possit, majorem acrimoniam & venenositatem acquirat: digitus quoque, imo tota manus, propter doloris vehementiam inflatur, parumque prodest incisio hæc, *nisi prius cocta, & in pus conversa fuerit. Contrarium sentit* Vigo & Pigraeus, qui etiam ante perfectam maturationem sectionem administrant.

Vigo & Pigræus a Fabricio dissentiunt.

Auctoris sententia.

Ego, si materia non sit nimis profunda, vix suppurantibus per duos utor dies, statimque ipsis etiam patientibus insciis novacula superiorem illam partem amputo. Si vero profunde sita sit materia, & sectio negetur, dum suppurantia adhibeo, indies aliquid cutis novacula aufero, ac quinto vel sexto ad summum (*quod rarum*) septimo, incisionem non exiguam, sed magnam satis & profundam, per rectum (*quæ tamen Hildano valde periculosa est, quoniam nervos*

vos lædit & tendines : unde dolor acerbissimus, inflammatio, febris aliaque gravissima symptomata oriuntur) sine ullo incommodo, secundum Gal. lib. art. parvæ. cap. 92. molior, quo eschara (**peddig**) quæ tendinibus, musculis & membranis solet adhærere, facilius possit evacuari, materiaque melius penetrare. Obcœcato namque cutis vulnere, cum nihil expirat, sæpe oritur convulsio. Hinc PETRUS FORESTUS, lib. 5. observ. chirurgicarum, observ. 16. statim ad sectionem confugit. Semper autem mihi antiquorum subtilis perforatio fuit & est suspecta. Levissimo enim negotio foramen illud exiguum occluditur, pusque subtus collectum, ac quodammodo incarceratum irritatumque pejoratur: sique sectio hæc administratur ante perfectam maturationem, hanc promovet.

Subtilis perforatio auctori suspecta.

CAPUT XXIV.

Post sectionem ut tractanda Paronychia.

Vigo sectione facta adhibet mundificantia.

SEctione administrata mundificetur locus *unguento Ægyptiaco*, secundum VIGONEM, misto cum *unguento apostolorum, aut cum pulvere suo corrosivo, vel cum trochisco de minio*, si opus est, ultimo purificetur locus post administrationem corrodentium cum *melle rosato vel cum abstersivo de apio*; incarnetur deinde locus seu ulcus *pulvere incarnativo*, demum sigilletur *pulvere sigillativo cum lotione aquæ aluminosæ & unguento de minio.*

Guido.

Aloe optimum incarnativum.

GUIDO: Facta sectione evacuetur, quod in ipso est, & mundificetur *cum melle & farina lentium, & lupinorum, & aloe est de melioribus rebus ad incarnandum:* omnia autem auxilia suavi panno & indolorose apponantur: *quia hoc accidens superat causam suam:* intelligit lenem, non asperum pannum, & vult molliter imponi.

Platerus.

PLATERUS metuens, ne tendines circa radices unguium putrescant, ubi profundum videbatur ulcus, *unguentum detersivum, emplastrumque ex laricea subacta cum vitello ovi & melle, addito succo plantaginis, apponere jussit.*

Forestus.

FORESTUS ait : Chirurgus, apparente foramine, cum materia virulenta non exiret, amota pelle *pulverem præcipitatum* imposuit, & demum amota eschara & crusta impositum est *digestivum*, quod habebat paratum *ex una parte mellis, dimidia vero terebinthinæ, cui vitellum ovi, & pauca*

farina

farina hordei, tum myrrhæ adjecta erant, exteriorem partem unguento *nutrito inunxit,* brachium vero ad axillas usque *oleo liliaceo & lumbricorum terrestrium: postea adhibuit unguentum apii, seu hyperici,* PHILIPPI HARMANNI, quod convenit, ut ipse ait, panaritio, ulceribus malignis & inveteratis, &c.

Unguentum ex apio seu hyperico Harmanni.

PARAEUS: vulnere inflicto, id est, facta sectione, sanguis multus effluere debet; mox immergendus digitus *in forti & calenti aceto, in quo dissoluta theriaca venenositatem attrahat.*

Paræus.

CHALMETEUS: cum aperta erit vomica, detergendum *melle, terebinthina & hordei farina, & unguento apostolorum, aut pulvere mercurii,* si opus fuerit postea *sarcoticum* proderit Vigonis.

Chalmeteus.

Ego, facta sectione copiosoque effluxo sanguine, a medicamentis plane abstineo acrioribus, ne dolorem inflammatio sequatur insignior; suspectaque mihi sunt corrodentia, ob nervosas nec non tendinosas partes; utor autem anodynis mundificantibus benignis, nec non virulentiæ & venenatæ materiæ qualitati repellentibus, *ut est balsamum meum hyperici, quo cum & brevissimo temporis spatio vulnus carnosum sine deperditione substantiæ nec non ulcera cancrosa non raro curo* curavique. Hoc namque materiam impactam concoquit, mundificat, dolores lenit, abstergit incarnatque. Et, ut non dissimulem, quod me experientia docuit, observavi, me nunquam facta sectione usum pyroticis cum successu. Supervenerunt namque ac insequuti sunt ex horum usu, etiamsi dexterrime imposita, defensivaque adhibita excellentissima, ingentes & novæ inflammationes: sed tuto, leniter, etsi tardius, aliquando cum felici successu medicamento superiori affectum hunc debellavi. Ubi vero ob ulceris naturam rebellem pyroticis uti summa me coegit necessitas, caute, blandioribusque remediis quoad fieri potuit, idipsum aggressus aqua divina, qualis est FERNELII; raro etiam mundificantibus abstergentibusque, catheretica, nisi vi impulsus maxima, in pauca tamen, imo paucissima quantitate immiscui, hæcque potius ubi nervosæ partes tectæ nec non tendinosæ, adhibui.

Auctoris sententia.

Balsami hyperici præstantia.

INCARNATIVUM Vigonis.

℞. Aloes epatic. ℥iii. Myrrhæ. Thuris. Sarcocoll. an. ℥i.

Incarnativum Vigonis.

Misce.

Et si adderentur terebintinæ claræ. ℥ v. *mellis rosat. colat.* ʒii. *utilissimum erit.*

Trochisci ex minio Vigonis.

TROCHISCI EX MINIO VIGONIS, cap. 13. lib. 8. antid.

℞. Sublimat. bene triturat. ʒiii. Medull. panis crud. & bene Ferment. ℥iiii. Minii. ʒii.

Omnia pistentur in mortario, & incorporentur cum aqua rosata, deinde formentur trochisci ad instar punctarum clavorum, & super tegula ponantur in furno ad coquendum, ut coquitur panis, & utere. *Quod ad interficiendum fistulas solemnis & mira est medicina, & insuper ad exstirpandas tuberositates morbi Gallici radiconatas, inter cæteras medicinas principatum obtinet medela ista.*

Pulvis sigillativus Vigonis.

PULVIS SIGILLATIVUS Ejusdem, lib. 8. Antid. cap. 11.

℞. Alumin. Rocch. comb. Corall. albi. Rub. an. ℥ß. Terræ sigill. Boli Armen. an. ʒii. Balaust. Myrobal. citrin. an. ʒiiß. Tutiæ ʒi.

Misce, & utere, quod in cicatrisatione magna est medicina.

Pulvis sigillativus alius.

ALIUS sigillativus pulvis ejusdem.

℞. Calcis lotæ. Alumin. rocch. comb. an. ʒii. Myrobal. citrin. Terræ sigill. an. ʒi.

Misce & fiat pulvis, & utere in vulneribus & ulceribus, quod mirabiliter cicatrisationem procurat.

Trochisci affodillorum Vigonis.

TROCHISCI affodillorum ejusdem.

℞. Sublimat. fortiss. & elect. ℥ß. Argent. pulv. ʒiß. Cerufs. Amyd. an. ʒiiiß. Succi affodill. ℥ x. Aceti ℥ v.

Bul. omnia simul usque ad consumt. succ. & acet. dein pistent. subss. & incorp. cum ℥ii. *medull. panis crudi, adde*

Auripigment. calcin. ℥ß. ʒß. *& de omnibus cum modico aquæ fiant trochisci in furno.*

PULVIS

PULVIS corrosivus ejusdem.

Pulvis corrosivus Vigonis.

Pulvis nobilissimæ operationis ex inventione JOANNIS DE VIGO descriptus, lib. 8. antid. cap. 13. corrosivus, remotivus malignitatem ulcerum, & carnis malæ superfluæ absque dolore. ℞. *Aquam, cum qua aurum ab argento dividitur, quæ sic fit.* ℞. *Vitrioli Romani, Alumni. roch. an.* ℔ii. *Salis nitri,* ℔iß. & in vase vitreo elambicetur, & quanto fortior, tanto melior, ℔iß. *Argenti vivi,* ℔iß. ponatur aqua in buccia vitrea bene inlutata, deinde ponatur ad furnellum, cum capello & recipienti, omnibus simul inlutatis, ne aer valeat exire, & elambicetur, imprimis lento igne, deinde cum incipit elambicare, ignis fortificetur usque ad rubedinem recipientis bocciæ, deinde successive ignis aliquantulum augmentetur, donec aqua in totum sit elambicata, postmodum frange bocciam, & extrahe argentum vivum calcinatum, quod apud alchymistam præcipitatum nuncupatur, & trituretur super lapide marmoreo, deinde iterum ponatur in boccia, modo, quo supradictum fuit, inlutata, & iterum cum suo recipiente, ut dictum, elambicetur, donec tota aqua sit elambicata: quo facto frange bocciam iterum & extrahe, quod intus est, & super lapide marmoreo cum alio lapide pulverisetur: quo facto ponatur pulvis in cacciola ænea ad ignem satis fortem, semper baculo agitando per horam cum dimidia, quia isto modo melioratur pulvis, & ad perfectionem reducitur, & signum perfectionis est, quando cognoveris ipsum colorem minii aut aliquantulum clariorem acquisivisse, &c.

Aquæ fortis descriptio.

UNGUENTUM Apii seu HYPERICI PHILIPPI HARMANNI.

Unguentum Apii seu Hyperici Philippi Harmanni.

℞. Succor. Hypericon. Apii, an. ℔ii. Senet. seu cruciat. Succi mille fol. Absynthii, an. ℔i. Succi chelidon. Persicar. an. ℔ß. Mellis despumat. ℔ v. Ol. hypericon. ℔ii. Terebinth. ℔i. Farin. triticeæ q. s. Alumin. usti. ʒiß.

Succi coquantur secundum artem, & reliqua addantur, & coquantur, ut a. e. ad spissitudinem linimenti seu unguenti mollioris, & usui reservetur.

CAPUT XXV.

Quæ facienda circa offis cariem, & partium exulcerationem.

Caries non raro panaritium infequitur.

AFFectum hunc non raro offis caries, corruptio, corrofio, exulceratioque infequitur. Putrefit os, vel corroditur, putrefactio ipfi, non fecus ac ligno humiditati continuæ incumbente fubftantiamque penetrante nec non vaftante, accidit. At ubi hæc acris erodens falfa, imprimis vero nitrofa redditur, corrofio ac caries offis ligni inftar, quod a xylophagis corroditur & exeditur, oboritur: putridum os nigrum, corrofum vero a colore naturali parum variat, ac inftar fpongiæ durioris exiftit: fed major, at brevior offis corrofionem, minor putrefactionem, at diuturnior comitatur dolor; hæc vi ac violentia quadam, illa tempore fuccedit. Benedictus Bologninus, lib. 2. cap. 7. de cura ulcerum, fequentes offium corruptionum ftatuit differentias. Vel corruptio eft de proximo futura, aut jam facta eft, & eft in offe magis & minus profunda, aut magis & minus fuperficialis: alia præterea eft vel in capite, dorfo, coxendicibus, juncturis, & confimilibus, &c. Petrus Paw in comment. fuis in lib. 8. de re medica Cornelii Celfi, cariei duas ftatuit caufas, vel obfcuram, vel apertam. Ego in panaritio agnofco vel internam, humorem fcilicet malignum, venenatum, acrem, copiofum ac in parte ultra debitum permanentem occlufum; vel externam, ut aerem, oleum feu pinguedinem, quæ fua dyfpatheia offis fubftantiam humectando, nativum ipfius humorem extinguunt, nigredinem nec non cariem inducunt. Accidere vero poteft caries offibus, non fecus, ut ferrugo ferro. Quemadmodum autem a ferrugine Mars confervatur oleo, fic e contra, os ejus admotione ferruginem feu cariem contrahit, oleoginofis ferrum, ficcis os delectatur, &, quatenus os eft ficciffimæ naturæ, eatenus & conveniunt ficciffimá medicamenta, nec non calida, quæ humorem affluentem abfumendo, abforbendoque, offis fubftantiam in eodem fymmetro confervant.

Ferrum oleo delectatur.

OSSIBUS

Oſſibus denudatis & carioſis conventientia.

Ossibus denudatis & carioſis ſimplicia convenientia.

Agaricus.
Aloe.
Anthos.
Centaur. min.
Cortex { Panacis. Pini. Thuris. }
Euphorbium.
Hypericon.
Ireos.
Lumbrici terreſt.
Opopanax.
Pes columbinus.
Peucedanum.
Radix { Ariſtol. rot. Arundinis. Aſphodillorum. Dragonteæ. Symphyti. Viticis. }
Roſæ rubræ.
Sublimatum.
Sulphur.
Tartarum.
Vitriolum Romanum, &c.

Signa oſſis corrupti.

Ulcus in panaricio ubi fit chironium, eſthiomenum, præſupponit non cariem modo & corroſionem oſſis, verum & putrefactionem. Os autem corruptum carieque infectum eſſe deſignat doloris pungitivi perſeverantia & contumacia, *hyperſarcoſis*, ſeu carnis excreſcentia, cernitur nunc fungoſa, mollis, ſpongioſa, rara, laxa, mydoſa, interdum dolens ac ſanguinem effundens, nunc oſtracata, non raro pus cum ſanguinis effuſione fœtidum, aquoſum, tenue, inſtar ſaniei iſtius, quæ inepto vocabulo a tonſoribus Gliedwaſſer (quaſi aqua artuum: id autem eſt humor ex nervoſis articulorum partibus læſis emanans) vocatur, punctiones ac ſinus modo magni modo exigui, pro diverſo partium reſpectu & magnitudine, ulceraque difficillime ad cicatriſationem, niſi evacuato oſſe carioſo, perducuntur. *In caſu vero*, (inquit Guido) *in*

In oſſe carioſo Guido commendat ferrum candidum.

in quo est corruptum os, discooperiatur, & os cum ferro calido cauterisetur: cauterium enim in hoc est juvamentum valde. Quod si contingat os carne obductum, auferenda, portioque cariosa removenda: remotio autem illa fit dupliciter secundum FALLOPIUM, *tract. de ulcerib. cap.* 22. altera fit *manu*, altera fit a *natura*, quæ expellit id, quod noxium est. Hoc in affectu scalpris aliisque instrumentis haud datur locus, ob fragilitatem, ossis mollitiem, ac insignem dolorem; tutiusque est naturæ opus illud committere, eique auxiliari medicamentis valde siccis & tenuium partium: illa namque os siccant, partem integram siccam conservant, & calefaciunt, aut saltem calorem custodiunt, vocanturque talia medicamenta a FALLOP. *squamas auferentia.*

Os cariosum dupliciter abscedit.

Si vero adsit ulcus, secundum GUID. cum *trochiscis affodillorum, aut calidico, seu arsenico desiccetur:* si etiam esthiomenatur, scarificetur, & cura illius procuretur, &, si ambularet corruptio ad digitum, ita quod de ipso timeatur, incidatur & cauterisetur.

Exulceratis reduviis quæ opitulentur.

Exulceratis reduviis, ex sententia PAULI, opitulatur hoc medicamentum. ℞. *Æruginis, Argenti spumæ, sing.* ʒiiii. *sarcocollæ tantundem*, super linamentum ex vino & spongia imponitur.

GORDON. Et, si ibi esset ulcus, curetur *cum aloe, thure, & arsenico.*

FALLOP. hoc utitur in carie ossium medicamento.

Fallopii medicamentum in carie ossium.

℞. Pulv. rad. peuced. Iridis, an. ℥i. Euphorb. ℈i.

Tere opt. & misce, deinde
excipe cum medulla molli panis frumenti, & fac emplastrum durum; cujus portio ponatur supra os, stipata prius carne. Vel (*inquit idem*) ceroto utemini tantum supra *pulv. peuced. aristot. rot. Opopanac. Euphorb. an.* ʒß. *Terebinthi.* ʒiß. *Ceræ* ℥ß. *Aceti* ʒß. Misce & coque ad cerati durioris consistentiam. Euphorbii vero in ossium carie quanta sit præstantia, his verbis aperte declarat chirurgus ille præstantissimus GUILHELMUS FABRIC. HILDAN. lib. de gangræna & sphacelo, cap. 19. Euphorbium (etsi, ut verisimile est, genuino & legitimo Dioscoridis caremus) separat & deturbat ossium cariosorum fragmenta: quemadmodum observat. 92. centur. 2. fusissime demonstravimus. Ac idem author dubitat, num Dioscorid.

Euphorbii præstantia.

rid. & Avicennæ euphorbium, cujus beneficio offis caries una die abfcedere folet, ad nos apportetur: quod Diofcorid. lib. 3. cap. 94. & Avicenn. lib. 2. tract. 2. cap. 136. defcribit, cum hoc noftrum vix fpatio quadraginta dierum idipfum præftet.

Unguentum ex agarico.

Præterea commendatur in hoc affectu, *carie fcilicet offium*, a BENEDICTO BOLOGNINO unguentum ex agarico, cujus hæc fertur effe defcriptio. ℞. Salis, Agarici, Tartari, ana p. æ. fiat pulvis, & cum melle unguentum. Si his medicamentis os non poffit defquamari, cariefque tolli, calculus a linea movendus, ferrumque candens *(quod quamvis ipfa bile amarius videtur medicamentum, ipfo tamen fanguine dulcius commodum, quod infequitur, exiftit)* fine cunctatione adhibendum. *Extremis namque morbis extrema, fecundum Hipp. 1. Aphor. 6. appropriata conveniunt remedia.* Quod fi accidat carunculam quandam luxuriantem ipfi ulceri innafci, ea fecundum PIGRAEUM validis remediis deterenda abfumendaque non erit, fed detergentibus lenibus ac benignis, ne quid irritetur ac acerbetur, cum præfertim per fe ipfa corrigatur, ubi primum materia evacuata fuerit. Contrarium fentire videtur PARAEUS, *ubi inquit:* fed & in hoc affectu præter naturam fæpe putredinofi caloris aduftione efchara fit, & caro fuperflua fenfu exquifititiffimo prædita, fuccrefcit, quæ pariter volfellis refcindenda eft, ut a fanguinis copiofo effluxu, dolori fedatio, parti veniat folatium.

Caruncula luxurians ut tractanda.

Paræus ut tractat carnis excrefcentiam.

Ego hac in parte PIGRAEO potius quam PARAEO, fi modo ille cum efchara velit & refcindere carnis excrefcentias, adftipulor, ac idipfum expertus loquor. Non paucis namque carneam eam excrefcentiam feu carunculam refcindens, plus incommodi quam commodi, plus detrimenti quam emolumenti præftiti, ita ut ab eo tempore carnem hanc, donec os abceffurum, effet evacuatum & defquamatum, femper reliquerim, & detergentibus lenibus ac benignis eo ufque, dum res in vado erat, tractarim.

Auctoris opinio.

Interea, ubi infignis carnis iftius fuerit moles, vel fcarificationes, quo fanguis effluat, vel emplaftrum diapompholygos, cui permifta pauca aluminis ufti quantitas, ad paulatinam abfumtionem, adhibeo.

Auctor ut tractet hyperfarçofin.

Notandum, quo fortiora ac potentiora adhibentur medicamenta, carnem quæ poffint abfumere, eo magis magifque ipfam accrefcere, doloremque fupervenire vehementiorem.

CAPUT

CAPUT XXVI.

Ut tractanda Paronychia ex contusione.

Contusio quid.

Contusio est vel cum vel absque vulnere.

Ecchymosis ut fit.

CONtusio in carne non raro & in osse, solutio seu continui est divortium, a re gravi & obtusa ortum, cujus gratia carnes vel ossa contunduntur & conquassantur: eaque contusio fit *cum* vel *absque* vulnere. Insequitur autem morbum hunc symptoma, quod *sugillatum*, *Peliosin & Melasma*, *Nausiosin*, alii *Ecchymosin* seu sanguinis sub cute effusionem, quæ fit vel per anastomosin, vel diapedesin, vel anabrosin, nominant.

Paronychiæ ex contusione curatio.

Ego ubi panaritium ex contusione ortum, statim, an adsit insignis contusio seu ecchymosis, & an sit vel cum vel absque vulnere, perpendo. Dein venam secari curo, supra partem affectam astringentia, & intercipientia, ne major fiat sanguinis affluxio & sparsio adhibeo; &, si materiam discutientibus resolvere nequeo, ad malactica & suppurantia, quæ hoc in casu iis tutiora, nec non scarificationes, præsertim ubi contusio est absque vulnere, si vero cum illo, digestiva statim, quibus & permista habentia facultatem carnem contusam & sanguinem thrombosum in pus vertendi, administro; digesta vero putrefactaque materia, mundificantia, abstergentia, incarnantia, ultimo cicatricem inducentia impono.

Materia quo citius suppuratur, eo minus periclitatur pars.

Quo citius autem contusæ carnes suppurationi redduntur obedientes, eo minus periclitatur pars affecta: nec ultra debitum pus generatum, retinendum, ne sua maligna qualitate & acrimonia, quam ex putrefactione nancifcitur, partes magis lædat afficiatque vicinas. Suppurantium vero usus nimius ulcus inducit phlegmonosum, sordidum, fœtidum, sed & ante perfectam maturationem secandum.

Dolor comes contusioni nervosarum partium.

Si vero notabilis oboriatur dolor, qui comes contusioni nervosarum partium existit, huic anodynis succurrendum, diligensque ratio habenda, ne ad gangrænam, quæ ut plurimum iis partibus læsis accidit, tendat. Ad doloris autem mitigationem Guilhelmus hoc præscribit unguentum: in quo & Halyabbas consentit.

℞. Olei

℞. Olei rosat. ℥i. Apii. Jusquiami, ana. ℥ß. Semin. apii ℥ß. Aceti ʒii.
Pistando fiat unguentum.

CAPUT XXVII.

De variis variorum authorum, nec non a vulgo usitatis remediis.

AVICENNA summopere laudat camphoram; acetum cum farina hordei, aut cum furfure appositum, aut oleum cum thure & nigella. Avicen. camphora.

ÆGINETA: Galla cum melle paronychiam reprimit, vel Musæ pastillus, vel Neræ ex aqua. Æginet. galla.

CROLLIUS in sua Basilica chymica, pag. 276. *de sperniola*. Si panaritio per duas imponatur horas, necat illum, vel imponatur digitale e corio multoties prius intus madefacto & exsiccato. Crollius sperniola.

CHALMETEUS inquit: Ego expertus sum ovi albumen cum oleo violato magis dolorem arcere, quam narcoticum. Chalmet. ovi alb.

DIOSCORIDES, lib. 1. cap. 70. Thus paronychiis cum melle medetur. Dioscorid. Thus.

Idem, lib. 4. cap. 176. Bryoniæ radix in oleo decocta, usque dum liquescat, reduvias committit. Bryon. rad.

Idem, lib. 5. cap. 53. Rubigo ferri perquam utilis est ad reduvias. Rubigo ferri.

Idem eboris quoque scobem in paronychia probat. Scobs eboris.

FORESTUS, lib. 5. observat. chirurg. 16. ait, post phlebotomiam & universalia remedia ponendus digitus per longum tempus in ovo putrido. Forest.

Idem, Alii eum in musculis putribus tenuere optimo cum successu, & magna cum laude, *ut audio*.

FIORAVANTI in sua physica, lib. 1. cap. 108. substantiam sulphuris in hoc affectu his verbis extollit. *Bisogna adunque il solfaro pigliare, & la sostanza d' esso cavare, & con esso il dito lavare, & poi infasciare, & con pezza bagnata del medesimo liquore sopra la piaga bisogna lasciar, &c.* id est. Oportet itaque accipere sulphur, ex eo substantiam elicere, digitumque eo lavare; deinde fasciis involvere, ac linteum in liquore madefactum vulneri adhibere, &c. Fiorav. substantia sulphuris.

Guido. Acetum.

GUIDO commendat acetum purum, aut cum femine pfyllii mucilaginato, aut cum gallis & corticibus granatorum miftum.

Hipp. Galla.

HIPPOCRATES in 4. Epidem. cum galla viridi & aceto dolorem curat.

Cuba. Fel taurin.

JOHANNES CUBA ait: Fel taurinum, **Rinds gall**, feu aqua ejus ftillatitia panaritio admota, medetur. *Confentit Wirfung.*

Multipes.

Idem, Multipes feu onifcus, **efel**, vivus impofitus, interficit.

Gladiol. purp.

Idem, Gladioli purpurei radix, **fchwertel**, cocta cum vino albo & olibano, digito in quo vermis eft, admota, dolorem aufert, eumque fine noxa extrahit. *Confirmat. Lonic. cap.* 378. *de gladiolo.*

Pulegium.

Idem, Pulegium, **poleh**, contufum croco permiftum depellit ulcera corporis, præfertim circa radices unguium, vermem puta. *Aftipulatur Lonicer. cap.* 103.

Rafura eboris.

Idem, Rafura eboris permifta oleo rofato, & unguento populeonis, addita pauca quantitate ceræ, quo inde maffa emplaftica efformari poffit, fanat apoftema circa, five in radice unguis, five manus, five pedis, vocatum vermis.

Buphthalmum.

Idem, Buphthalmum, **Rindsaug**, contufum & appofitum excellens eft remedium.

Vinca pervinca.

Idem, Vinca pervinca, **Magdepalm**, contufa, panaritio appofita, fecretum eft.

Barbæ Jovis.

Idem, Aqua ftillatitia Barbæ Jovis, feu fempervivi, **hauswurk**, five **wunderbahr**, paronychiæ adhibita, ipfum vermem necat, ac dolores fopit.

Lonicer. Sambucis Ebulis.

LONICERUS, cap. 66. de fambuco, **holder**, & ebulo, **hehland**, folia contufa, apoftemati calido, quod digitis accidere folet, *vermifque* nominatur, appofita, e veftigio curat. Id ipfum confirmat Tabern. fol. 733.

Urtica.

Idem, cap. 97. de urtica. Urtica fœtida feu labeo, **neffel**, quæ galiopfis dicitur, quæque retro fepes, hortofque provenit antiquos, ac a Germanis **oder glak** vocatur, contufa, emplaftrique vice *vermi* digitorum appofita, ipfum enecat. *Cui aftipulatur Brunfels.*

Lilium.

Idem, cap. 377. de lilio, **lilie**, laborans apoftemate five ulcere calido, ut **miette**, aut perinde vocetur affectus, contundat hanc radicem cum mentha Romana acuminata, **balfamkraut**, & farina hordei, indeque conficiat emplaftrum.

MAT-

MATTHIOLUS, compag. pag. 748. Herba Paris, wolfcbar, recenter tusa, & illita paronychiis medetur. Matthiol. Herba paris.

Idem, Compag. pag. 704. de paronychia. Illita paronychiis atque favis remedio est. Paronychia.

PLINIUS, lib. 21. cap. 20. de radice Ireos, violwurck. Iris rufa melior, quam candida, ad paronychias farina ejus utuntur, cum vino ad olavos & verrucas, triduoque non solvitur. Plinius Iris.

Idem, lib. 22. cap. 25. de medicamentis ex frugibus. Avenacea farina illinitur & paronychiis & callo pedum in aceto. Avenacea farina.

Idem, lib. 23. in procemio. Cinis ex vite alba ad collyria & ad ulcera purganda & paronychia & pterygia probatur. Cinis ex vite alba.

Idem, lib. eodem, cap. 4. de foliis oleastri, imponuntur folia & paronychiis & carbunculis, & contra omnem collectionem cum vino, iis vero, quæ purganda sunt, cum melle. Folia oleastri.

Idem, lib. eodem, cap. 9. de myrto folia siccantur in farinam, quæ inspergitur hulceribus aut hæmorrhagiæ. Purgant & lentigines, pterygia, & paronychia, & epinyctidas, condylomata, testes, tetra hulcera, item ambusta cum cerato. Myrtus.

Idem, lib. 24. cap. 4. de Galla: paronychiis ex melle & unguibus scabris, pterygiis, hulceribus manantibus, condylomatis, vulneribus, quæ phagedænica vocantur. Galla.

Idem, lib. eodem, cap. 19. de gramine altero, quod æizoo simile: Ad paronychia & pterygia unguium, & cum caro unguibus increvit, utuntur cum axungia, ideo dactylon appellantes, quia digitis medeatur. Gramen.

Idem, lib. 28. cap. 8. Ramentis eboris cum melle Attico (ut ajunt) nubeculæ in facie, & scobe paronychia tolluntur. Ebur.

Idem, lib. 29. cap. 2. de medicinis lanarum; Succida lana reduvias sanat ex aqua frigida. Lana succida.

PARACELSUS: Sumatur corium, quod sæpe humectetur in spermate ranarum, & exsiccetur, ex quo postea efformetur digitale, digito applicetur, & morietur. Paracelsus.

PLATERUS: In paronychia etiam immersionem digiti in principio statim in aquam frigidam aliqui laudant. Plater. aqua frigida.

Balneum. *Idem*, Balneum digito in decocto pentaphylli, absynthii, agrimoniæ, fragariæ, myrti granorum facto in vino, in paronychia privatim convenit.

Mica panis. *Idem*, In paronychia hoc est peculiare. Panis mica cocta in lacte cum ovi albumine & terebinthinæ pauco miscetur, quod dolorem compescit, maxime si mucago psyllii addatur: quæ mucago in eodem affectu & cum aliis farinis, ut hordei, apponi potest, quibus urgente dolore *apium* permiscetur, & *camphora*, postea ad sanationem pulvis gallarum.

Paronychia. *Idem*, Paronychia herba, quæ inflammationibus circa radices unguium genitis, quas paronychias vocant, medetur, nomen inde accepit. Cui malo etiam *pentaphyllum* adhibitum, & *dentis leonis* herbæ caulis lacteus inversus, digitoque obvolutus, uti & *membrana ovi testam succingens* singularia sunt remedia: idem præstat *succus cicutæ* in panno applicatus, nec non *cancri crudi* contusi.

Galenus. GALENUS, lib. 8. simpl. med. Paronychia ab affectu nominata est: sanat enim paronychias &, ut refert Dioscorid. favos quoque.

Tabern. Paronychia herba, qua ego in panaritio utor, TABERN. lib. 2. sect. 11. cap. 16. fol. 382. lit. F. quinta est species Alsines, **kleinste vogelkraut.** MATT. DE LOBEL. fol. 249. observ. stirp. est paronychia alsines folio. Brunfels. BRUNFELS vocitat **Gensblum**, quia anseres ea delectantur herba, asseritque quale nomen, qualesque virtutes apud Dioscorid. habuerit, se ignorare. Bauhinus. C. BAUHINUS, in lib. 3. sui prodromi, cap. 13. mentionem facit cujusdam herbæ, quam & describit, quæ meæ paronychiæ, seu bursæ pastoris loculis oblongis haud dissimilis, quæque ab eodem *bursa pastoris Alpina hirsuta* dicitur. TABERNAEM. lib. 2. sect. 11. cap. 78. lit. F. tres habet paronychiæ species, Matthiol. MATTHIOL. compag. pag. 704. 705. duas. Cuba. JOHANN. CUBA aliam habet paronychiæ speciem, quam & vocat *Lunariam Italicam*, Lunaria Italica. **Nagelkraut**, sive **welsch mohnkraut**, quia de nocte folia ejus splendent; hæc tusa & imposita dura, *ut ait*, digitorum curat apostemata. Hanc describit LONICER. part. 2. cap. 297.

Ego aliis authoribus suam relinquo paronychiam; hanc Lobelii meam & esse volo, quoniam in hoc affectu feliciter ea usus fui: cujus iconem pagina præfationis declarabit ultima.

PA-

PARONYCHIAE Authoris descriptio.

Paronychia ex radice tenui, fibrosa, capillari ac alba, foliola quam plurima pallide virentia, in orbem humi strata, incana, lenticulæ magnitudine, nunc unam, nunc duas utrinque crenas habentia, nunc integra profert, e quorum foliorum medio enascuntur cauliculi tenuissimi, non nihil hirsuti, subrufi, floribus quatuor foliis stipatis, ac corculi instar incisis, in circumferentia albicantibus, circa ungues vero subviridibus, habentibus in centro filamenta albida, quorum apicibus lutei quiddam adhæret. Flos ubi evanuit, ejus loco loculi oboriuntur primo subvirides, qui deinde flavescunt, in quibus semen exiguum continetur. Apud nos Paronychia hæc in agris ac locis incultis humidioribusque ad Junium usque copiosissime viget ac floret: Imo & in Septembre ac octobre cœlo clementiori, repullulascit. *Hæc de paronychia herba.*

RHASIS: ponatur digitus in principio in nive, usquequo obstupescat. TABERNAE MONTANUS, lib. 2. sect. 7. cap. 1. fol. 724. lit. D. ℞. Farinæ siliginis ℥iß. Vitrioli Romani ʒvi. Albuminis unius ovi, Aquæ rosar. q. s. misceantur invicem, & redigantur in formam emplastri, distendatur deinde super lintea, & affectui apponatur. Rhasis nix. Tabern.

Idem, eodem loco. Membranam interiorem ovi admove digito dolenti; deinde ℞. Farinam siliginis, tempera cum spiritu vini, conficeque emplastrum, extende super linteo, ac superimpone membranulæ, quo una cum affecta parte regatur: vermem trium horarum spatio enecat.

Idem, lib. 1. sect. 4. cap. 31. fol. 498. lit. F. Ruta contusa theriaca permista, & saliva jejuna vice emplastri apposita curat hunc affectum. Ruta.

Idem, lib. eod. sect. 4. cap. 31. fol. 413. lit. G. Saccharum Canarium, sive Maderiense in pollinem redactum curat ulcera a paronychia orta, secundo de die inspersum. Saccharum.

Idem, lib. eod. sect. 7. cap. 2. fol. 732. lit. A. medulla panis siliginei permista aqua & oleo rosato, emplastri vice digito dolenti apposita a paronychia seu verme ipsum liberat.

Idem, eundem effectum habet panis siligineus, masticatus jejuno ore.

Idem,

Idem, lib. 1. sect. 7. cap. 3. fol. 741. lit. H. ℞. Partes duas farinæ triticeæ, Vitri Veneti subtilissime pulverisati partem unam, lactis muliebris puellam lactantis q. s. fiat emplastrum, quod curat paronychiam.

Valescus Lenticula.

VALESCUS seipsum curavit lenticula aqua trita, & incorporata cum aceto & albumine ovi.

Wirsung.

WIRSUNG, part 4. sui operis, cap. 1. paragrapho 12. Digitus affectus pani triticeo immittatur calido: & dolor mitigabitur.

Fructus cynosbati.

Idem, Sunt quidam in ea opinione in fructu *Cynosbati* Theophrasti, sive *oxyacanthæ* Dioscoridis, vermem latere, fructumque hunc digito apponendum, quod si contingat, vermem in digito contentum mori, & latitantem necessario emori.

Stercus hominis.

Idem, Stercus hominis sani appositum, eundum præstat usum.

Manus hominis.

Idem, Indatur digitus laborans manui hominis sani, & morietur vermis.

Ova ranarum.

Idem, Lavetur primo manus ovis ranarum (**froschleich**) deinde apprehendatur digitus: & statim necabitur.

Idem, Pannum sume cæruleum, immerge ovis ranarum, ut eorum humiditate madefiat, siccetur deinde in umbra, appone digito: & sanabitur.

Marcellus.

MARCELLUS, lib. de med. Ad paronychiam digito parietem continges, & rursum digitum ducens, dices ter Pu, Pu, Pu. NUNQUAM EGO TE VIDEAM, PER PARIETEM REPERE.

Quomodo per verba curetur.

Quod si medicamento illo affectus hic debellatur, reor non ratione verborum contingere, sed frigiditatem parietis in causa esse, repellendo materiam affluxam: in initio namque statim repellentia competunt. Sed interest pietatis, has superstitiones aniles & improbas minuere, adeoque tollere, & in remediis, quæ in natura a Deo opifice condita, fundantur, acquiescere.

Sic medicastrices nonnullæ *(ut vocant ineptas inepto vocabulo)* stercora vaccina aut alia inter duarum viduarum ædes colligunt, & parti affectæ adhibent, aliaque aliis in locis collecta haud opitulari perhibent.

Vetularum alia cohors, anseres nunc huc, nunc illuc pellit, tandem quod excernunt, digito laboranti paronychia calidissime apponunt. Quicquid & hic superstitionem olet,

cum

cum cæteris ante dictis ex usu & opinione hominum est pellendum.

Ego vero omnis generis stercora, vaccina, caprina, ovina, &c. ubique locorum, modo nihil a substantia sit ablatum, congesta laudo. Sic non raro felicissimo cum successu stercore vaccino vel fimo equino calido usus sum: stercus etenim ob putredinem, quatenus calidum, attrahit, dolores mitigat, suppurationemque accelerat.

Nonnulli lumbricos terrestres recentes contundunt, succum exprimunt, ac ad hauriendum propinant. Cujus succi præstantiam GUILH. FABRIC. HILDAN. tract. method. de gangræn. & sphacel. cap. 13. his verbis extollit: Succus lumbricorum propria & peculiari vi penetrat illico, permeatque ad nervos, & nervosa omnia, ipsasque adeo venas & arterias, quarum tunicæ nervosa constant substantia, & eas quidem partes succus ille roborat & calefacit mediocriter, tollendo, quæ in iis sunt obstructiones, &c. JOANN. WEJERUS in tract. de scorbuto, lumbricos cœmeteriorum, utpote pinguiores cæteris, aliis præfert. Alii lumbricos in pulverem redigunt, & applicant. Alii eosdem recentes contundunt, & parti affectæ apponunt.

CAPUT XXVIII.

De curatione Pterygii.

PTerygion itaque & paronychia, ut supra dictum, cum plurimum invicem distent, curationis propterea alios & habent scopos.

Pterygion & paronychia differunt.

Quum vero nil aliud sit PAULO ÆGINETAE, lib. 3. cap. 81. pterygion, quam Hypersarcosis, seu excrescentia quædam carnis unguis aliquam partem operiens, ex reduvia aut alia hujusmodi causa proveniens: & ut idem, lib. 6. cap. 85. addit: fit autem in pedis manusque potissimum pollicibus: in pedibus quidem ex offensione plerumque, in manibus autem ex neglecta reduvia, inflammata & in pus mutata, &c. eo, secundum eundem, dirigenda est curatio, quo caro superflua per medicamenta rodentia auferatur; in quo casu idem laudat *auripigmentum & mannam pari pondere inspersam*, super autem linamentum ex vino & spongia imponitur. Aliud. *Chalcitidis squamæ, malicorii, an. p. æ.*

Pterygion quid.

Authoris medicinæ.

excipiuntur

excipiuntur fico toſta, & melle, parte affecta ſpiſſamentorum decocto prius dilibuta: quod autem ſiccum eſt in ungue, circumcidito. Ad digitorum pterygia putrida, item ad pudendorum ulcera. ℞. *Lachrimæ thuris, ſquamæ æris, an.* ʒi. *Ærugin. ras.* ʒiiii. *mellis cyathus,* terantur in ſole, donec ſubflaveſcant, & loco vino prius irrorato per ſplenium inducuntur. Sequens pterygia ſubito exſiccat perſanatque. *Soreos combuſtos* ʒii. *thuris tantundem, æruginis raſæ,* ʒi. cum melle contrita ipſi pterygio inducuntur. Aliud *ſquamæ æris palmularum carne exceptæ aut ficorum utitor.* Aliud. *Columbæ ſtercus cum polentæ polline ex paſſo* coctum pertritumque imponitur. Item *æris ſquama* per ſe inſperſa, pterygia deſiccat. Oportet autem crebro angulum unguis pungentem, ne increſcat, ſcalpello ſuperimmiſſo adimere. *Contuſi, ſcabri & cruenti ungues, ut abſcedant, vide* Paul. *locis citatis.*

Ego aliis unguentum Ægyptiacum, aliis *alumen uſtum pulveriſatum* adhibeo, aliis *præcipitatum* inſpergo, vel ſequens compoſitum. ℞. *Unguenti populei* ʒiſs. *Aluminis uſti pulveriſati* ℈iiſs. Miſce vel, ℞. *Emplaſt. diapomphol.* ʒiſs. *Aluminis uſti* ʒi. Miſce: vel ℞. *Unguenti roſat.* ʒii. *præcipitat.* ℈ii. *ol. tartari. g.* vii. Miſce.

DECAS
OBSERVATIONUM
PARONYCHIÆ
PROFLIGATÆ.

OBSERVATIO I.

Paronychia quatuordecim dierum ſpatio curatur.

H*ONESTÆ cuidam matronæ, triduo antequam advocarer, dolores pungentes, ingentes, atrociſſimique circa radicem unguis oborti ſunt cum inflammatione fere ad cubitum uſque tendente: præſcribo, ut apponat ſtatim* ſtercus vaccinum calidum, *metacarpium necnon carpum unguento* albo camphorato *inungo, adhibitis & linteolis in vino rubro Francico, in quo cortices granatorum & roſæ rubræ coctæ erant, madefactis. Repercutientia, quoniam materia jam ad ſuppurationem vergebat, adhibere nolui, interim ſequens præparari jubeo cataplaſma.*

℞. Paronychiæ recent. p. iii. Flor. verbaſci. Unguium ros. rub. an. p. ii. Farin. rad. altheæ Conſol. maj. an. ʒiii. Sem. lini ʒii. Farin. tritic. ℥ii.

Bull. in ſ. q. aq. comm. ad catap. conſiſt. In fine add.

Vitell. ov. n. i. Croci g. vii. Camphoræ g. viii. Ol. roſati lumbricat. Lilior. albor. an. ʒvi. Miſce.

Circa veſperam cum dolores parum aut nihil remitterent, hoc circumcirca pollicem adhibeo tepide cataplaſma, & ut de nocte reiteraret, præſcribo; mane, cum viderem cutem attenuatam, materiamque ſubtus collectam, ſectionem ſuperficialem molior, ac exitum puri præbeo, digeſtivo ſequenti tepido illita filamenta impono.

℞. Terebinth. lotæ in aqua Ivæ arthet. ℥iſs. Mellis roſat. col. ʒvi. Vitell. ov. n. i. Myrrhæ. Cortic. thuris. Maſtic. an. ℈iſs. Pulv. lumbricor. terreſt. ℈iiii. Ol. roſat. lumbricat. ℥ſs. Balſami mei hyperic. ʒvi. Croci g. viii. Camphoræ. ℈ſs. Miſce pro digeſt. quod uſui ſervetur.

Occludo emplaſtro Baſilic. *tecto ſuperiori cataplaſmate, meridie & veſperi, necnon ſimili modo per triduum procedo, dolores mitigantur, pus optimum evacuatur, quod unguis vicinas comprimeret partes, animadverto. Quare, ne oboriretur pterygion a compreſſione, ſcalpello unguis eam partem aufero, pro exſiccatione cornu cervi uſti & præparati, nec non aluminis uſti pulveriſati ana partes æquales permiſtas, inſpergo. Cum jam pus eſſet ſatis concoctum, ulcus mundificatum, doloreſque mitigati, quo vomica carne repleretur, linimento per duos dies meo ſarcotico filamenta carpta inungo, emplaſtrumque Diapalm. appono, ubi carne infarctum, epuloticum meum pulverem, adhibito emplaſtro diapompholygos inſpergo, cicatricemque ſine unguis deperditione induco.*

Verum, quia pollex aliqualiter ad movendum redditus erat ineptus, balneum ex floribus chamomillæ & foliis violarum coctis in cerevifia, necnon oleum chamomillæ & amygdalarum dulcium permiſtum, præſcribo: taliterque quatuordecim dierum

ſpatio

ſpatio matrona hæc feliciter, cum divino auxilio, ab affectu illo ſæviſſimo liberata eſt & curata.

OBSERVATIO II.

Paronychia ſpuria in tertio medii digiti articulo conſiſtens, ipſius rigiditatem, quæ tamen curatur, inducit.

MAtrona quædam, quæ ante aliquot menſes nupſerat viro, incidit in dolores tertii articuli medii ipſius digiti intenſiſſimos intolerabileſque: advocatus chirurgus, emplaſtrum ſtatim, neſcio quale, nigrum adhibuit, hinc malum exacerbatum, majorque accita inflammatio: accerſitus ego, paronychiam, & quidem ſpuriam, quæ **ceet** *a noſtratibus dicitur, ex ſignis eſſe collegi, emplaſtrumque abjeci: repellentia apponere, quoniam materiæ perſentiebatur pulſatio, haud tutum eſſe judicavi. Decoctum malvarum cum paronychia herba pro fomentatione, uſquequo cataplaſma, quale obſervatione* 1. *præſcriptum, confectum, quod digito applico, manumque unguento albo duplicata camphora inungo, ac ſupra carpum acetum roſatum ſucco ſedi majoris permiſtum linteis madefactis appono: alia die dolores intenſiores redduntur, in adhibitione eorum tamen remediorum perſiſto, quoniam intentioni, ſuppurationi quippe, ſatisfaciebant: quarta, ut ante meum adventum, manum prædicto decocto, cui additi flores chamomill. fomentet præcipio, ſectionemque eadem die ipſa conſentiente adminiſtro. Phlebotomiam, purgationemque ob ingravidationis metum imperare, quamvis utiliſſima fuiſſent medicamenta, nolui: effluit pus ſatis bene concoctum: quare ab ulteriori uſu cataplaſmatis abſtineo, digeſtivum obſervat.* 1. *præſcriptum cum emplaſtro diachylo appono. Interim metacarpium ob materiæ copioſam affluxionem non modo intumeſcit, verum & inſigniter inflammatur: admoveo medullam panis ſpongioſi in aqua roſarum maceratam, inflammatio ceſſavit, copioſum evacuatur pus, & quidem non abſque dolore ad decimum uſque diem, ubi, adhibitis mundificantibus, abſtergentibus, incarnantibus, epuloticiſque prædictis, viginti dierum ſpatio curatur. Verum digitus permanſit rigidus: ea propter ſequentia præſcribo.*

℞. Radic. Althææ. ℥ß. Confol. major. ʒvi. Semin. lini. Fœnigræc. an. ʒiii. Herbar. Malvæ. Althææ, an. m. i. Flor. chamom. Melilot. an. m. ß.

Incif. & contuf. bull. in f. q. cerev. præmiffo balneo, fequenti utebatur linimento.

℞. Unguent. dialth. Aragon. Martiat. an. ʒiß. Ol. Reodini, Lumbricor. an. ʒiß. Axung. human. ʒi. Mifce pro linim.

Quibus adhibitis intra menfem a paronychia curata eft & a rigiditate liberata.

OBSERVATIO III.

Ancilla refpuens in Paronychia fectionem mifere affligitur.

A*Ncilla quædam circa extremitatem medii digiti paronychia vexata, ipfum aquæ ebullienti impofuit, unde inflammatio, attractio, infigniorque dolor infequutus: deinde vetulam quandam medicaftricem, quæ acu tumorem perforat, medicamentumque ex aqua & pane triticeo applicare jubet, confulit: dolores nihilominus augentur, inquietudines vigiliæque continuæ, nec non totius brachii oboritur inflammatio: me tandem accedit, meamque operam expetit. Ego invitus illam curandam fufcipio, qualifque metuendus effet eventus, patefacio, fuadeoque, pauca quoniam puris quantitas per exiguam illam puncturam effluebat, ut digito fimum vaccinum applicet: repercutientia adminiftrare, quoniam ex punctura facta materia tendebat ad fuppurationem, nolui, ac a carpo ad cubitum ufque lintea vino tepido imbuta, apponere jubeo, unguentoque nutrito totam manum inungo. Dolores fecundum mentem ejus nihil remittebant: quare cum importunitate* (præ doloribus tamen) *me circa vefperam compellat, ut fæviffimos illos cruciatus e veftigio auferrem, poftulat: Ego in mea haud effe poteftate tam brevi tempore affectum illum contumaciffimum curare, doloresque atrociffimos fopire affirmo, ac ut craftinum ex-*

expectaret diem, in quo vena secanda, peto, sequentiaque applicanda ordino.

℞. Flor. chamomill. Melilot. an. p. ii. Summit. hyperic. Ivæ arthet. an. m. ß. Violar. Hyosquiam. an. m. i.

Incis. bull. in s. q. cerevis.

℞. Pulv. radic. althææ. Consol. major. an. ʒiiß. Farin. Semin. lini. Fœnigræci, an. ʒiii. Herbar. Malvæ. Hyosquiam. an. m. i. Florum Chamom. Melilot. Ivæ arthet. an. p. ii. Paronychiæ, m. i. Farin. triticeæ, ℥iß. Hordei. ℥i.

Incis. & cont. bull. in s. q. aq. comm. ad catapl. consist. In fine add.

Boli Armenæ, ʒiii. Ol. rosat. lumbricat. ℥iß. Lilior. albor. ʒvi. Vitell. ov. n. i. Misce pro cataplas.

Dolor his adhibitis nihilominus augetur ob collectionem affluxionemque materiæ, quæ jam in pus vertebatur. Dum pus enim fit, secundum Hipp. 2. Aphor. 47. dolores fiunt ac febres, magis confecto. *Mane me accedens, se totam noctem insomnem duxisse cum maximis asserebat cruciatibus, instanterque, ut dolorem abigerem, petebat. Propono itaque phlebotomiam, quam respuebat, offero sectionem, ejusque commodum extollo, nullo modo se illam admissuram constanter affirmabat. Quid agendum esset, haud videbam: ad narcotica confugere, non fuit mihi ob periculum, animus: interea mulierem quandam auxilium præstantissimum ad affectus tales curandos habere, referebat. Lætus ego, ut illius ope uteretur, meaque auxilia intentata relinqueret, suadeo, mihique excellentius remedium nullum præter sectionem esse, affirmo; quam tamen (quamvis panacea unicumque asylum chirurgorum in hoc est affectu, amara namque bilis amaris est pharmacis proluenda) præ mollitie plerumque nostri, nostri inquam Germani, ut & ustiones rejiciunt, sicque propriæ salutis desertores existunt; dum scilicet in principio omnem medendi procrastinant occasionem, nec, priusquam morbus in medullam obriguerit, succurrunt, unde ex parva sæpe scintilla neglecta, magnum non raro, imo maximum, accersunt incendium. Tali*

modo

modo ego a patiente illa liberatus, illa vero intensissimis affecta per multas septimanas cruciatibus: quarto namque mense digitum infasciatum gestare eam vidi, nec remedium antea prædicatum præstantissimum, tunc temporis quicquam præstare potuit.

Sic & inveniuntur non pauci, qui medicamenta saluberrima, & ut verius dicam, divina, a clarissimis celeberrimisque tum chirurgis usu, exercitatione & experientia longa comprobata, & in magno ac vasto medendi pelago a Galeno, Hippocrate, aliisque promulgata contemnunt, sua autem contrario, si quæ habeant medicamenta, tanquam fœtum admirandum, evehunt, extollunt, prædicant, ac nescio quo nominis adornant titulo, vulgoque mendaciis suis splendidis egregieque comptis, & adornatis imponunt: qualia autem illorum sint remedia, eventus non raro in eheu *conversus patefacit.*

OBSERVATIO IV.

Ancilla in Paronychia sectionem admittens, breviter & feliciter curatur.

ANcilla quædam in extremitate annularis per aliquot dies de doloribus lamentata intolerabilibus, me accessit: paronychiam esse, meque nullum excellentius, præter sectionem, scire remedium prædixi. Ancillas namque paronychia affectas suscipere omnium in chirurgia curationum fere est difficillima, periculosissimaque, quoniam a dominis ad labores instigantur, quos si perficere nequeunt, torvo vultu ab iis aspiciuntur, &, quamvis chirurgus omnem suam operam impedit, in fine tamen ingratitudo vituperiumque pro honorario persolvitur. *Assensum præter exspectationem præbet: quare sectionem ad os usque secundum longitudinem molior, sanguineque effluxo copioso digestivum, observat.* I. *traditum, cum emplastro diachylo ad decem usque dies adhibeo, totamque manum & carpum unguento populeonis & infrigidantis Gal. permisto bolo inungo; tum mundificantia, deinde sarcotica, ultimoque epulotica impono. Nam, ubi sectio adhibetur, ipsius cura vix a vulneris, nisi in majori digestione, mundificatione absterſioneque consistit. Carnem vero illam, quæ excreverat, partemque unguis occuparat, alumine usto pulverisato inſperſo, emplastroque dia-*

pompholygos

pompholygos admoto eradicavi. Atque taliter ancilla hæc, in omnibus morem gerens, breviter abſque oſſis deperditione digitique rigiditate convaluit.

OBSERVATIO V.

Paronychiam exorciſta morte curat.

R*Uſticus obeſo cacochymicoque corpore, cum paronychia in medii digiti apice afficeretur, exorciſtam adiit: hic conjurare incipit, chartamque; cui ſequentia inſcripta erant, vinculo firmiter circumligat:* X UT X CREDIS X ITA X TIBI X EVENIAT X: *ac trium dierum ſpatio, ne diſligaret, præcipit, vermemque tum ſub charta conſpicuum futurum aſſerit. Ruſticus, quamvis maximis obruitur interea doloribus, vigiliis continuis, inquietudinibuſque, non tamen ſchedulam aufert, verum ea, qua poteſt animi conſtantia perfert; tertia die faſciis ſepoſitis, apex digiti nigricans, omni privatus ſenſu conſpicitur, nec non digitus ex toto inflammatus cum dolore ad axillas uſque protenſo: ad vicinam tandem confugit civitatem, chirurgumque conſulit, qui gangrænam animadvertens inflammationemque inſignem, appropriatiſſima quidem, ſed fruſtra, adhibet remedia: circa veſperam totam manum gangræna invaſerat, quæ alterius diei mane ad cubitum uſque extendebatur; quarta die ſub noctem, ſupervenientibus convulſionibus, exſtinguitur.*

OBSERVATIO VI.

Ex Paronychia, indicis articulum medium occupante, ſæviſſima ſymptomata.

A*Nus quædam lotrix, cum circa medium indicis articulum dolores rodentes ac quodammodo repentes perſentiret, vermem ineſſe vivum opinabatur. Vetularum more varia tentavit remedia, ad ſignaturas tandem & benedictiones* (**ſegnen** ut vocant) *devenit. Hæc cum non prodeſſent, ab aliis,*

is, quoniam paupercula erat, doloresque indies majores, vigiliæ continuæ necnon febris deliquiaque evadebant vehementiora, ut curam ejus susciperem, rogatus, misericordia commotus, sequens prognostico præmisso rigoroso, cataplasma ipsi digito, extremitate excepta, adhibeo.

℞. Galiopsis, quæ & urtica mortua & fœtida, ab aliis lamium appellatur. m. i. Paronychiæ recent. Fol. sambuc. recent. an. m. i. Rutæ. m. ß. Radic. lil. alb. recent. ℥iß. Bryoniæ ℥i. Flor. violar. Verbasci. an. p. ii. Farin. semin. lini. ℥ß. Tritic. ℥i.

Incis. & cont. bull. in s. q. aq. comm. ad catapl. consist. add.

Ol. chamomill. Lilior. alb. an. ℥i. Rosat. cum succo solan. ℥vi. Vitell. ov. n. i. Misce.

Manum totam, ad cubitum fere usque sequenti linimento, ob insignem affluxum materiæ inflammationemque, inungo.

℞. Unguent. Populei. Infrigid. gal. an. ʒiii. Succi sedi major. ℥ß. Boli Armen. ʒii. Acet. rosat. ʒii. Misce.

apici vero appono repercussivum ex aceto rosato succo hypocist. permisto, dolor non mitigatur, tumor augetur, necdum sectionem admittit, duodecima die erumpit vomica, pus fœtidissimum excernitur, ulcusque evadit esthiomenum, sequens adhibeo.

℞. Terebint. lotæ. ʒii. Mellis. rosat. Syr. ex rosis sic. an. ʒii. Unguent. Ægyptiac. ʒi. Camphor. g. iiii. Succi Scordii. ʒiß. vel ejus loco pulv. ℈iß. Misce.

Hoc medicamento ulceris malignitatem domui, dolores in profundo nihilominus permanserunt, insignisque carnis excrescentia oborta, dolorosa, spongiosa, ac laxa cum sanie graveolenta & aquosa; hinc conjeci, ossis infectam substantiam, quare totus, quo leniter hypersarcosis ista, caroque os tegens, ne novum inducerem dolorem, inflammationemque, admiretur, in id incubui, ossiculoque nigricante conspicuo hunc pulverem admovi.

℞. Radic.

℞. Radic. Peucedan. Jreos. an. ℈iß. Pulv. lumbricor. terr. ℈i. Cortic. thuris ℈ß. Euphorbii. g. vi. Misce, fiat pulv. subtiliss.

Ulcus nullo modo ad cicatrisationem, antequam os desquamatum, perducere potui. Septuagesimo tandem die natura ossis portiunculam protrusit, qua emissa digitus intumefactus, inflammatus, doloresque denuo a secundo articulo, anteriore digiti intentato relicto, carpum versus & ultra in interiori duntaxat oboriuntur parte, filamentum quoddam crassum ipsi ulceri nigricans inesse conspicio, volsella arripio, tendinisque exsiccati & quasi in fumo arefacti septem digitorum transversorum latitudine extraho partem. Ipsa ea re visa, vermem illum tot dolorum fontem fuisse, exclamat. His excretis sigillatur ulcus, motus vero ob tendonem deperditum flexivus toti digito adimitur, nihilominus tamen, adducebatur, abducebatur & extendebatur, sive elevabatur: ac, quamvis varia post curationem pro recuperatione motus flexivi adhibuerit medicamenta, frustra fuit. De privatione enim ad habitum (ut loquuntur Physici) *non datur regressus.*

OBSERVATIO VII.

Adolescens a Paronychia decem dierum spatio liberatur.

ADolescens corporis habitu sanguineo de doloribus auricularis digiti circa ejus extremitatem conquerebatur: prima invasionis die mane, ubi titillationem & levem quendam pruritum persentit, me accedit: paronychiæ principium animadverti, statim venæ sectionem, & quidem in opposito latere basilicæ præscripsi, sequensque repercussivum digito, ac supra cubitum intercipiens adhibui.

℞. Succi Portulac. Sedi major. an. ℥iii. Lactuc. Solani. an. ℥ii. Succi acaciæ inspissat. & in s. q. acet. rosat. dissol. ℈iiii. Sperniol. Croll. ℈ß. Opii g. vi. Farin. hordei. q. s. ad cataplasm. consist.

℞. Boli Armenæ. ʒii. Pulv. fol. myrti. Malicorii. Balauſt. an. ℈iiii. Farin. molend. ʒiiii. Acet. roſat. ʒiii. Alb. ov. conq. ℥ß. vel q. ſ. ad catapl. conſiſt.

Secunda die eadem appoſui, purganſque propinavi, dolores paulatim remiſerunt, attamen ſub cute exiguum quoddam tuberculum, quod quinta inciſum, obortum; convenientia deinde adhibendo, abſque ullo incommodo decima die priſtinam ſanitatem eſt adeptus.

OBSERVATIO VIII.

Paronychiam in principio neglectam inſequitur oſſis caries, necnon deſquamatio.

MAtrona quædam honeſtiſſima in manus tam dextræ, quam ſiniſtræ pollicis extremitate, cruciatus perſentit: dexter tendit ad ſuppurationem, facillimeque curatur; in ſiniſtro vero pollice fixiores validioreſque excitantur dolores: quapropter medicaſtricem quandam conſulit: hæc acu perforat, unde cruciatus exacerbantur, deliquia, vigiliæ oboriuntur continuæ; per tres namque ſeptimanas ſingulas ferme noctes traduxerat inſomnes: tandem ego accerſitus, paronychiam eſſe, doloreſque ob neglectum principium indies evaſuros intenſiores, aſſerui; exiguum vero illud ulcus acu factum, aliquid emittebat ſaniei, inſuper caruncula excreverat; ſectionem forꝛ·iniſque amplificationem ſumme neceſſariam, & ad minimum vel os, vel una cum ipſo extremitatem ſeu extremam articulationem periculum minari, pronunciavi, & ut, ſi tale quid contingeret, id mea culpa haud evenire agnoſcerent, ea die ſectionem admittere noluit: quare ſequens præſcribo.

℞. Terebint. Venet. lotæ in aqua malv. ʒvi. Vitel. ov. n. i. Ol. roſat. lumb. ℥ß. Pulv. ſemin. lini. ʒiiiß. Myrrhæ. Thuris, an. ℈iß. Boli armen. ʒiß. Redigant. & incorp. ſimul, fiatque unguentum.

Quod

Quod linteis illitis toti pollici, quo materia redderetur ſuppurationi obedientior, adhibeo, interea & aliquid foramini inſtillo: altera die ſectionem, quam ad os uſque ſcalpello inſtituo, admittit, deinde balſamo meo hyperici tepido, quo quam plurimos ab eo feliciter curavi tempore, filamenta inungo, effluxo prius ſanguine & pure emplaſtrum ex curcuma appono, totamque manum unguento nutrito inungo, linteoliſque vino madefactis carpum cubito tenus tego: dolores nunc remittunt, nunc augentur, interea annularis apex ſæviſſimis cruciatibus afficitur; illum ovo putrido ut immittat, ſuadeo, & depellitur. Eſchara vulneri aut potius ulceri inhæret tenaciſſima, quare unguentum dialthææ impono, quam decimo octavo aufero: ablata illa, fovea cavitaſque conſpicitur inſignis, e qua pus fœtidum evacuabatur: conjecturavi, os affectum, balſamum denuo Hyperici cum emplaſtro diapalmæ adhibeo, pollicemque ſpleniis albo cocto emplaſtro illitis infaſcio, manumque unguento albo camphorato illino, ac, ut a frigore perquam bene ipſum muniat, hortor. Frigidum namque, ſecundum Hipp. 5. Aphor. 20. ulceribus, &c. inimicum. *Dolores de die in diem aliquantulum mitigantur, cavitas carne, attamen non ſuperflua, impletur, ſanies nihilominus ichoroſa, tenuis, aquoſa, a carie oſſis profecta effluit, nil præter emplaſtrum diapompholygos adhibeo, fomentationem ex malva & floribus camomillæ ordino: trigeſima die circa unguis partem ſinus quidam, quo compreſſo, materia manabat, percipitur: metui ibidem oſſiculi portionem latere, ſectionem, at fruſtra, urgebam: tandem trigeſima ſeptimana die oſſis pars excreta, ulcuſque adhibito emplaſtro albo cocto abſque pterygio & abſceſſu unguis conſolidatum. Rigiditas relicta balneo ex ſalvia, roſmarino, amaraco, malva, floribus chamomillæ & meliloti facto, & inunctione balſami Hyperici curata, ſtrictiſſimiſque nec non arctiſſimis faſciis anterior pollicis articulus alioquin tumidus, ſatis ſuperque coarctatus.*

OBSERVATIO IX.

Paronychia in medii digiti apice feliciter curata.

F*Rater meus Guilhelmus Glandorp, cum Galliam peragraret, chirurgumque Monſ. du Champlain Capitaneum Pariſienſem ageret, famulum ipſius, anno* 1620. 26 *Julii, paronychia laborantem ſub cura habuit. Hic ubi forte cum ſuo domino ſilvas, turtures & columbas capiendi gratia ingreſſus, domum poſtea reverſus, dolor ſtatim in extremo digiti, qui ab eo neglectus, obortus, ſequenti intenſior redditus eſt. Frater tum temporis ejus loci chirurgus, curationem ſequenti modo inſtituit. Primo quidem ſecundum methodum clariſſ. Fabric. Hildani obſ. cent.* 1. *obſ.* 37. *digitum lacte vaccino, in quo flores meliloti, chamomeli, ſemen lini, fœnigræci & cydoniorum cum radicibus althææ incocti erant, aliquoties fomentavit, deinde ſuperficiem cutis paulatim diſſecuit, qua ablata, rubicundæ nonnullæ conſpectæ maculæ, quibus inciſis una aut altera guttula aquæ emanavit citrinæ: cum vero materia copioſior profundius & altius poſita, ad os uſque cultello vulnus incidit, maximaque copia puris altera die bene cocti effluxit, ſtatim linteum in aqua vitæ theriaca permiſta, madefactum applicuit, deinde folia braſſicæ* (quæ Galli vocant de chous) *ſequenti decocto imbuta, & ex illis tentas factas vulneri immiſit, ſuperimpoſuit.*

℞. Rad. apii. ℥ß. Mellis optim. ℥i. Vini alb. generoſ. ℔ß.

Coquantur ſimul, donec mel ſit deſpumatum, ac tertia pars conſumta, poſtea ſumantur folia braſſicæ, ac carbonibus ſuperimponantur, ſtatimque, ne comburantur, amoveantur: inde enim molliores & humidiores quodammodo, & quo decocto facilius & commodius immergi poſſint, redduntur. Hocque medicamentum (ut frater refert) *chirurgorum in Galliis primariorum ſecretorum omnium eſt ſecretiſſimum. Manui vero & carpo defenſivum ex oleo roſato, bolo Armena, & albumine ovi, cum ſtupa cannabina appoſuit, digitumque affectum oleo roſato indies inunxit:*

unxit: paulatim vulnus, adhibitis sarcoticis, incarnari cœpit: ad inducendam cicatricem, unguentum aureum imposuit, & diapompholygos applicuit: atque ita, divina favente gratia, quam brevissime feliciterque curam absolvit.

Alium, cum in Americæ regionibus chirurgiam exerceret, paronychia affectum sub cura habuit, quem eodem modo, quo Hildanus loco supra citato, nobilissimam dominam de monte, matronam honestissimam curavit, ad dolorum vero sedationem sequens adhibuit.

℞. Fol. Hyosquiam. Cicutæ. Mandrag. sub cinerib. cal. coct. an. m. i. Ol. rosat. Butyr. recent. & sal. expert. an. q. s. Ex his omnibus contritis fiat linimentum.

Atque tali modo septem dierum spatio curæ finem imposuit.

OBSERVATIO X.

Paronychiam surca aliaque sævissima tubercula & symptomata insequuntur.

ADolescens corporis habitu cacochymico XXV. annorum circiter, dolore circa apicem pollicis vexabatur acutissimo; per aliquot dies, nescio quibus usus medicamentis, medicastricem tandem accedit, quæ novacula callosam cutis aufert partem, & interim ut applicet micam panis triticeam in aqua fluviali maceratam & lacte deinde coctam ad pulticulæ consistentiam, suadet; at frustra: meæ tandem se curæ subjicit, verum quamvis illubenter illum ob affectus hujus atrocitatem periculumque, principium quoniam neglectum, suscipiebam, tamen ob familiaritatem, quæ mihi cum ipsius erat domino, intermittere haud potui: præscribo itaque sequens cataplasma, quia inflammatio insignis, dolores & inquietudines aderant intolerabiles, ita ut nec noctu nec diu somnium caperet.

℞. Paronychiæ recent. m. i. Pulveris radic. althææ. Consol. major. an. ℥iii. Semin. lini. Fœnigræc. an. ℥ii. Flor.

Flor. chamomill. Unguium rosar. rub. an. p. i. Solani. Sedi majoris, an. p. iii. Farin. triti. ℥iß.

Bull. simul. l. a. in s. q. aq. comm. ad catap. consist. In fine add.

Ol. rosat. lumbricat. ℥i. Lilior. albor. Unguent. dialth. an. ℥ß. Vitell. ov. n. i. Camphoræ ℈ß. Misce.

Hoc idipsum tepide toti pollici applico, & per biduum: tertio, quoniam insignis, quæ comitabatur inflammatio, diesque caniculares, cataplasma exsiccabat, renovo. Die tertio, materiam sub cute pulsantem percipio: quare ipso haud animadvertente & ex improviso sectionem ad os usque, quoniam materia profunda, instituo: sanguinis aliquot guttulæ cum puris exigua quantitate evacuantur, filamentis digestivum, observ. 1. præscriptum, cum emplastro ex curcuma in speculo meo chirurgorum observat. 19. propositum, *impono, ac supra carpum ad cubitum usque, quod sequitur, adhibeo defensivum.*

℞. Boli Armenæ. ʒii. Succi plantag. Sedi major. an. ℥ß. Pulv. Balaust. ʒiß. Gallarum. ℈iii. Rosat. ℈ii. Farin. volatil. ʒvi. Pulv. rad. ireos, Sandal. rub. an. ℈ii. Acet. rosat. opt. ℥ß. Album. ov. conq. q. s. fiat massa.

Tumor fit auctior, materiæque ob insignem cacochymiam major affluxio, intra pollicem & indicem furca oboritur, idem admoveo cataplasma. Illam ei quinto die aperio, dolor indies augmentum capit, totaque manus ad cubitum fere usque livescit, gangrænamque minatur. E vestigio itaque sequens pro corroboratione, partiumque confortatione, cataplasma ordino.

℞. Unguium rosat. rub. Paronych. recent. an. m. i. Pollin. flor. chamomill. Melilot. Summ. hyperic. an. p. ii. Salviæ. Menthæ. Absynt. Abroton. an. p. i. Scordii. nost. Ivæ arthet. an. p. ii. Alliariæ. Plantag. sicc. an. m. ß. Pulv. radic. ireos. ʒii. Farin. amygd. dul. non ranc. ℥ii. Lupinor. Lolii an. ʒvi.

Incis. contus. & cribell. quam subtil. bull. l. a. in s. q. aq. comm. ad catap. consist. In fine add.

Ol.

Ol. rosati lumbricat. ℥iss. Amygd. dulc. ℥i. Vitel. ov. n. ii. Misce pro catapl.

Quod circa vesperam diei sextæ admoveo, septima quoniam lipothymiæ oboriebantur frequentes rigoresque, in principio venæ sectio neglecta, sudoriferum, quo venenosa materia a centro ad circumferentiam corporis depelleretur, propino.

℞. Diascord. Fracast. absque Galban. ʒi. Syr. ex Galega compositi ʒiii. Extract. ligni sanct. g. xv. Spiritus vini ex infus. ligni sancti ʒii. Aq. cardui bened. ℥iss. Spir. Vitriol. g. iiii. Misce.

Sudor evocatus copiosissimus, octava eisdem topicis utor medicamentis, nona in parte pollicis musculosa tuberculum enatum, quo secto, pus evacuatum copiosum fœtidissimum, nec non decima in metacarpii superiori parte circa os, quod medio digito substernitur, similis oboritur tumor, quo aperto, & copiosissima similiter purulenta evacuatur materia. Sectio vero administrata in pollicis apice perquam bene sese gerebat, optimeque mundificabatur plaga illa: cum vero materiam maligniorem contumacioremque, quam in aliis inesse tumoribus animadverterem, ipsi mundificativum digestivumque hoc tentis illitis impono.

℞. Terebin. lot. in aqua scord. ʒvi. Syr. ex succo Nicotian. Ex apio, an. ʒiii. Pulv. scordii. ʒi. Unguent. dialth. ʒiii. Ægyptiac. ʒi. Balsami mei Hyperic. ʒii. Croci. g. vi. Misce.

Duodecima purgans exhibeo.

℞. Extract. Diacarth. ℈iii. Pulv. Mechoac. Cremor. tartari, an. ℈i. Syr. rosat. sol. ℥ss. Spiritus vitriol. g. iiii. Aquæ veronic. ℥iss. Misce.

Ex cujus usu septies alvum deposuit, ac manui a carpo ad cubitum usque vino rubro Gallico, in quo flores chamomill. melilot. & rosæ rubræ coctæ, lintea imbuta applico. Interea nunc mitiores, nunc graviores existunt dolores, ac in ipso carpo decima sexta die tria alia exsurgunt tubercula, quæ & sectione per longum, ne tendones læderentur, facta, aperio, tentamque suprascripto digestivo,

vo, cum emplastro ex curcuma, pollicis vero apici, quoniam mundificata plaga incarnativum cum emplastro diapalmæ adhibeo. Magna interea ex tribus illis in carpo & uno ex metacarpio ulcere effluit materiæ purulentæ copia quotidie: præscriptis ad vigesimum quartum usque diem insisto medicinis, fasciamque circa cubitum incipientem, ad rasceta vergentem, quo melius materia posset evacuari, administro: vigesima quinta brachium a cubito ad brachiale usque intumescit indurescitque, ac quamplurimis in locis suppurationem de die in diem notabiliorem minatur: succurro, sequensque emplastrum appono.

℞. Empl. Diachyl. cum gumm. vigo. De melilot. an. ℥i. Gummi ammon. dissol. ʒii. Cum s. q. ceræ & ol. lilior. alb. exig. q. fiat massa.

Vigesima octava sectionem prope cubitum fere molior, ubi supra modum tumor erat auctus, incredibilis materiæ purulentæ statim & per viginti dies continuos evacuatur, non modo ex illo, verum & circa carpum existentibus apostematibus, copia: quæ aliis eadem & huic appono: interim & duæ aliæ in metacarpii externa parte oriuntur eminentiæ, quæ & incisæ. In summa incredibile est dictu, quanta materiæ effluxerit copia.

Spes hæc sola, solusque metus hic erat: aut totum brachium, aut carpum solum, aut pollicem immobilem permansurum, aut ad minimum extremi pollicis articuli os, aut articulum ipsum abscessurum. Ubi jam materia evacuata, mundificantia, dein detergentia, ultimo incarnantia, tandem & epulotica adhibeo, cicatricemque induco. Curatis & consolidatis apostematibus, cubitus immobilis, carpusque cum pollice inflexibilis, perstitit; sequens propterea ad id balneum, methodumque, quoniam peregre mihi erat abeundum, utendi præscribo.

℞. Radic. Althææ. Consolid. maj. an. ʒvi. Bryoniæ ℥ß. Herbar. Malvæ. Althææ. Violar. Mercurial. rec. an. m. i. Summit. Hyperici. Ivæ arthet. an. m. ß. Sabinæ. p. ii. Flor. chamomill. Melilot. an. m. i. Semin. lini. Fœnigræc. an. ʒvi.

Bull. incis. & contus. in s. q. aq. comm.

Brachio prius evaporationem excipiat, ubi refrixerit fere in totum, brachium una cum manu imponat: hocque per hebdoma-

dam

dam continuet, vel prout neceſſitas exigit, ſemelque inſtituatur de die, deinde ſequenti inungat linimento.

℞. Unguent. Aragon. Martiat. an. ʒii. Axungiæ gallin. ʒiiſs. Gumm. ammon. diſſol. ℈iiii. Unguent. dialth. Ol. roſat. lumbricat. an. ʒiii. Ceræ q. ſ. fiat linim.

Inunctione facta, adhibeat emplaſtrum ex ſuperiori maſſa confectum, & ſuper aluta diſtentum, poſt decem circiter dies domum reverſus ipſum fere omnia munia ſua obire poſſe cum admiratione ſumma conſpexi; & quamvis magnus aderat metus, ne ad minimum os, vel extremus abſcederet articulus, tamen nec os, nec articulum imo nec unguem quidem ille ſuum perdidit.

Pro tua vero, Triune DEUS, *omnium rerum fabrefactor unice admirande, ineffabili clementia, qua mihi non modo in his, verum & in aliis meis curis omnibus in hunc uſque diem adfuiſti, proque eo, quod ex terra ad hominum utilitatem creaviſti medicinam, qua ſanitas ob peccata noſtra deperdita reſtituatur, eamque quamplurimis revelaviſti, laus tua ſemper erit in ore meo, & lingua mea favorem tuum ſingularem, quo me in & extra uterum maternum proſequutus es, quamdiu vixero, deprædicabo.*

INDEX

AUTHORUM qui in hoc TRACTATU citantur.

Adamus Lonicerus.
Adrianus Spigelius.
Aetius.
Albucaſis.
Ambroſius Paræus.
Andreas Laurentius.
Anthonius Chalmeteus.
Avicenna.
Aureolus.
Theophraſtus Paracelſus.
Benedictus Bologninus.
Bernhardus Gordonius.
C. Plinius Secundus.
Caſparus Bauhinus.
Chriſtophorus Wirſung.
Claudius Galenus Pergamenus.
Cornelius Celſus.
Cornelius Kilianus.
Daniel Adamus a Weſlawina.
Dioſcorides.
Felix Platerus.
Feſtus.
Franciſcus Valleſius.
Gabriel Fallopius.

Gor-

Gorrhæus.
Guido de Cauliaco.
Guilhelmus Placentinus.
Guilhelmus Fabricius Hildanus.
Halyabbas.
Hieronymus Fabricius ab Aquap.
Hippocrates Cous.
Jacobus Tabernæmontanus.
Johannes de Vigo.
Johannes Cuba.
Johannes Fernelius.
Johannes Wejerus.
Johannes Renodæus.
Johannes Stockerus.
Leonhardus Fioravanti.
Lævius.
Marcellus.
Marianus Sanctus.
Matthias de Lobel.
Oribasius.
Oswaldus Crollius.
Ottho Brunfels.
Papias.
Paulus Ægineta.
Petrus Andreas Matthiolus.
Petrus Forestus.
Petrus Paw.
Petrus Pigræus.
Petrus Pithæus.
Philippus Harmanni.
Q. Serenus.
Rhasis.
Scaliger.
Solinus.
Suidas.
Symphorianus Champerius.
Valescus de Taranta.

INDEX CAPITUM.

CAP. I. DE Paronychiæ ſubjecto, manu, quæ deſcribitur & dividitur in partes. pag. 1
II. De Carpo, prima manus parte. 3
III. De Metacarpio, altera manus parte. 4
IV. De Digitis, ultima manus parte. 5
V. Quid ſit Paronychia. 7
VI. Explicatio definiti, ubi de Paronychiæ variis appellationibus. 8
VII. Explicatio definitionis Paronychiæ. 12
VIII. De differentia Paronychiæ a Pterygio. 16
IX. De partibus in Paronychia affectis, & unde ſint dolores. 18
X. De ſignis Paronychiæ. 19
XI. De Paronychiæ cauſis, & generationis modo. 20
XII. De differentiis Paronychiæ. 23
XIII. Refutatio opinionum & objectionum Theophraſti de Panaritio. 24
XIV. De Prognoſi. 28
XV. De Indicationibus. 29
XVI. De Medicinis revulſoriis. 30
XVII. De Intercipientibus. 31
XVIII. De Repellentibus. 33
XIX. De Suppurantibus. 35
XX. De temporibus Paronychiæ. 38
XXI. Quæ molienda ſint in principio Paronychiæ. 40
XXII. Uti his præmiſſis tractanda Paronychia. 42
XXIII. Quid faciendum, ubi materia quæ affluxit in principio reſpuit Repellentia. 46
XXIV. Poſt ſectionem ut tractanda Paronychia. 48
XXV. Quæ facienda circa oſſis cariem, & partium exulcerationem. 52
XXVI. Ut tractanda Paronychia ex contuſione. 56
XXVII. De variis variorum authorum, nec non a vulgo uſitatis remediis. 57
XXVIII. De curatione Pterygii. 63

INDEX OBSERVATIONUM.

OBSERV. I. PAronychia quatuordecim dierum ſpatio curatur. pag. 65

II. Paronychia ſpuria in tertio medii digiti articulo conſiſtens, ipſius rigiditatem, quæ tamen curatur, inducit. 67

III. Ancilla reſpuens in Paronychia ſectionem miſere affligitur. 68

IV. Ancilla in Paronychia ſectionem admittens, breviter & feliciter curatur. 70

V. Paronychiam exorciſta morte curat. 71

VI. Ex Paronychia, indicis articulum medium occupante, ſæviſſima ſymptomata. ibid.

VII. Adoleſcens a Paronychia decem dierum ſpatio liberatur. 73

VIII. Paronychiam in principio neglectam inſequitur oſſis caries, nec non deſquamatio. 74

IX. Paronychia in medii digiti apice feliciter curata. 76

X. Paronychiam furca aliaque ſæviſſima inſequuntur tubercula & ſymptomata. 77

INDEX

Præcipuarum Notatuque magis dignarum rerum.

A.

Actio naturæ triplex in materiam pag. 37
Adeler Germanorum, qualis ſit affectus 18
Aduſtio ferro candenti utilis 46
Aect qualis ſit affectus Germanis 18
Aloe optimum medicamentum ad incarnandum 48
Anatomia chirurgo utiliſſima 3
Anatomia cum chirurgia & medicina utiliter conjungitur 5
Apprehenſio quomodo fiat 2
Aquæ fortis deſcriptio 51
Aſtringens valentiſſimum compoſitum 32
Auctoris intentio 7
Auctoris de cauſis paronychiæ obſervatio 22
Auctori ſubtilis perforatio ſuſpecta 48
Auctoris paronychiæ deſcriptio 61

B.

Balſamum ſeu oleum nervos amputatos, ſeu tendones agglutinans non datur 5
Balſami Hyperici auctoris præſtantia 49
Bilis ſive cholera duplex 26

C.

Cacochymico corpori ut ſuccurrendum 41
Calor in paronychia unde 19
Calidi commodum 35
Calida qualia debeant eſſe 36

Caries

Caries non raro panaritium insequitur pag. 52
Cariei causa duplex ibid.
Carnis excrescentiam ut tractet Paræus 55
Caruncula luxurians ut tractanda ibid.
Carpi motus qualis 3
Causa paronychiæ interna vera 20
Causa interna imaginativa vermis 21
Causa paronychiæ externa 22
Chirurgo ad laborantem paronychia accersito quæ facienda 40
Chirurgus quando tutius medicamenta & operationes possit adhibere 5
Cognitio nominum morborum plurimum conducit ad curandum 7
Cholagogum 41
Cholera tyrannus naturæ 27
Conclusio de paronychia & pterygio 17
Contusio quid 56
Contusio vel est cum vel absque vulnere ibid.
Cutis in digitorum extremitatibus crassior, quam in aliis partibus 25

D.

Dattel 10
Defensiva intercipientia qualia 31
Defensiva ubi adhibenda ibid.
Defensivum Wilh. Fab. Hildani 32
Defensivum Chalmetei ibid.
Differentia inter paronychiam & rediviam 11
Differentia paronychiæ a pterygio 16
Digitorum numerus 5
Digiti duodecim habent ossa 6
Distinctio causarum paronychiæ 20
Dolor in paronychia quando redditur vehementior 18
Dolor in paronychia unde 19
Dolorum fons est humoris qualitas 20
Dolor comes contusioni nervosarum partium 56
Dropax 30
Dwangnagel 10

E.

Ecchymosis ut fit 56
Emplastrum Guilhelmi 46
Erysipelas affectus est cuticulæ 25
Euphorbii præstantia 54

Fallopii

F.

FAllopii medicamentum in carie offium 54
Fefjde 10
Feigwars ibid.
Ferrum oleo delectatur 52
Ferrum candens in offe cariofo commendat Guido 53
Fiict 10
Fœtor in pure unde 39

G.

GErmanorum fchwerender five etender finger fub paronychia comprehendi poteft 23

H.

HUmor ob qualitates fuas dolorum fons eft 20
Hyperfarcofin ut tractet auctor 55

I.

INcarnativum Vigonis 49
Indicationes in paronychia unde fumantur 29
Indicationibus ut fatisfaciendum ibid.
Inflammatio in paronychia qualis 21
Inflammationis nomen tripliciter fumitur a medicis ibid.
Inflammatio ut fit ibid.
Inflammatio fi adfit magna, quæ adhibenda 44
Intercipientia & defenfiva qualia 31
Intercipientia fimplicia ibid.

K.

KOrom mereg 11

L.

LUmbrici quinam præftantiores 63

M.

MAnus conftat ex carpo, metacarpio & digitis 2
Manus figura ibid.
Manus creatæ funt duæ ibid.
Manus partes habent continentes & contentas ibid.
Manus continentes partes & contentæ ad genera reducuntur quatuor 3
Manus ufus ibid.
Materia dupliciter in abfceffum degenerat 13
Materia excitans paronychiam unde dependeat 20
Materia in paronychia ubi neque revelli neque intercipi poteft, quid faciendum 35
Materia in paronychia quo citius fuppuratur, eo minus periclitatur pars 56
Maturantia adhibet Vigo 47

Mediale

Mediale pag. 10
Melanagogum 42
Miete 10
Mittel ibid.
Motus carpi qualis 3

N.

NAgelstro 11
Niidnagel 10
Niidvel ibid.
Niidvlesch ibid.
Niipvlesch ibid.
Noetnagl ibid.

O.

OBjectionum & opinionum Theophrasti solutio & destructio 24
Observatio notatu digna de motu digitorum 4
Odderet 11
Olea intercipientibus non admiscenda 33
Onglee 11
Ordo in adhibitione medicamentorum qualis observandus 36
Os cariosum dupliciter abscedit 54
Ossicula sesamina 6
Ossis corrupti signa 53
Ossibus denudatis cariosis convenientia ibid.

P.

PAracelsi de paronychia opinio 21
Παρωνυχία cur dicatur 8
Paronychia quid ibid.
Paronychia morbus est 17
Paronychia ut plurimum in digitorum extremitatibus oboritur 18
Paronychia quas partes afficiat ibid.
Paronychia non modo in anterioribus, verum & in aliis oboritur digitorum articulis ibid.
Paronychiæ differentia unde sumatur 23
Paronychia in superficie ibid.
Paronychia vera ut ab alia dignoscatur ibid.
Paronychia in carnosioribus generari nequit partibus 25
Paronychia ex calidissimo non ex adusto oritur sanguine 27
Paronychia non oritur ex putrefactione, sed ex inflammatione ibid.
Paronychia laborantibus strepitus & tumultus noxius 28

Paronychiæ cura characteriſtica pag. 43
Paronychiæ cura ſuperſtitioſa ibid.
Paronychiæ cura naturalis 44
Paronychia ex contuſione ut tractanda 56
Paronychia quomodo per verba Pu, Pu, Pu, &c. curetur 62
Paronychia herba 60
Pandalitium 10
Panaritium 9
Panaricio ibid.
Panarizo ibid.
Panaris ibid.
Panaricci ibid.
Panaritium 10
Pars recipiens ut plurimum eſt in loco decliviori 21
Pars mandans interna ſua habet emunctoria ibid.
Paſſa cur dicatur a Theophraſto 9
Perioſteum a dura matre oritur 23
Phlogoſis quid 21
Phlegmagogum medicamentum 41
Pollex unde dictus 5
Pollicis muſculi 6
Plateri de cauſis paronychiæ obſervatio pulchra 22
Pterygion quare dicatur tumor 16
Pterygion ut accidat ibid.
Pterygion a paronychia differt 17, 63
Pterygion ſymptoma eſt 17
Pterygion in oculo quid ibid.
Pterygion quid 63
Pterygii curatio ibid.
Pterygion ſubito ſiccantia ibid.
Pulvis corroſivus Vigonis 51
Puris generatio non eſt putrefactio 39
Pus quodnam optimum ibid.

Q.

QUæſtio cur non in omnibus partibus oboriatur paronychia 25

R.

REdivia 9
Reduviæ ibid.
Reluvia ibid.
Ruduviis exulceratis opitulantia 54
Repellentia & repercuſſiva qualia 33

Repel-

Repellentibus quando & ubi utendum pag. 33
Repellentibus membra confortantia adhibenda 34
Repellentia ſimplicia ibid.
Repercuſſiva dolores allevant 45
Repercuſſivum refrigerans & aſtringens 35
Repercuſſiva Gordonius approbat 34
Repercutientia cacochymicis non adhibenda 33
Repercutientia in principio & augmento conveniunt ibid.
Revulſoria quænam & quomodo adhibenda 30
Rubor in paronychia unde 19

S.

SAnguis extra venas poſitus ſtatim putreſcit 22
Sectio facienda ante perfectam maturationem 47
Sectionem non admittit Hildanus ante materiæ concoctionem ibid.
Sectione facta Vigo adhibet mundificantia 48
Sigillativus pulvis Vigonis 50
Signorum varia acceptio 19
Sinapiſmus 31
Styptica adhibet Vigo 42
Suppurantia emplaſtica ſimplicia 36
Suppurativum medicamentum emplaſticum compoſitum 37
Suppurativum medicamentum cum ſtypticis ibid.
Suppurantia ubi adhibentur, nihilominus & intercipientia conveniunt 38

T.

TEmpora morborum ſunt quatuor 38
Theophraſti de panaritio contra medicos opiniones 24
Trochiſci ex minio Vigonis 50
Trochiſci aſſodillorum Vigonis ibid.
Tumor quatuor requirit 20
Tumores differunt inter ſe ratione magnitudinis 12
Tumor ut fiat magnus, quæ requirantur 13

V.

Veed 10
Vena quando ſecanda 40
Venæ ſectio in paronychia convenit ibid.
Venæ ſectioni ſi non datur locus quid faciendum 41
Veſicantia 30
Veſicatorium 31
Vigo & Paræus ab Hildano diſſentiunt 47
Vigo maturantia adhibet 46
Vieet 10

Vngenant pag. 11
Ungues 7
Ungues emunctoria cordis ibid.
Unguentum apii ſeu hyperici Philippi Harmanni 49, 51
Unguentum ex agarico 55

W.

Wurm 10

In MOMUM.

CUM bona depellant quoſvis medicamina morbos,
Et cunctis exſtet certa medela malis:
Attamen unus alis, Mome, incurabile vulnus,
Cui nec ferre poteſt ipſe Machaon opem.
Et bonus eſt equidem medicus, claruſque chirurgus
GLANDORP, & dextre corpora quæque ſecat:
Et queat haud vulnus Momi curare malignum,
Summa tamen laudis non cadet inde ſuæ.

B. STRUV. chir. & med. ſtud.

FINIS.

TRACTATUS
DE
POLYPO
NARIUM affectu graviſſimo
Obſervationibus illuſtratus.

Nobili Clariſſimoq; Viro Dno. Doctori PETRO HOLZEMIO DAVENT. Sereniſſimorum Principum FERDINANDI Archiepiſcopi & Elect. Colon. &c. & WOLFGANGI WILHELMI Comitis Palatini ad Rhenum, &c. Medico ordinario & celeberrimo, ac apud Colon. Medicinæ Profeſſori primario, ſuo olim præceptori meritiſſimo & colendo, &c.

Et Clariſſimo Longoque Uſu & Experientia Excellentiſſimo Viro Dno. VALENTINO am Ende Henichenſi Miſn. Medicinæ Doctori, & Reipubl. Bremenſis Phyſico, amico & compatri ſuo caro,

Hoc grati erga utrumque animi μνημόσυνον ævitemum. D. D. C.

MATTHIAS GLANDORP. Colon. D.

QUI ſtudia, labores conatuſque ſuos publici faciunt juris, VIRI EXCELLENTISSIMI, in id unice incumbunt, quo ſub auſpicio & regimine famoſiſſimorum & bene meritorum luminis in oras prodeant, & illorum ſplendore illuminati majus lumen nanciſcantur, vindiceſque ita ſibi contra dentes Theoninos paratos habeant.

Idem & mihi in hac mundi navicula pessimis hominum moribus & ingeniis saburrata faciendum video, patronosque ac fautores eligendos instituendosque, reor, quo impavide hæ meæ vigiliæ lucem aspiciant. Inter eos autem, quos huic meo tractatui præesse optavi, quosque & velle, & sufficienter posse confido, vos viros clarissimos & excellentissimos delegi, causis ad id adductus variis, quas omnes hic recensere supervacaneum esse arbitror. Præcipua autem & maxima earum est vestra erga me benevolentia & favor, quo uterque vestrum me prosequutus est.

Primo & enim sub auspicio tuo vir experientissime D. D. HOLTZEMI medicinæ fundamenta jeci, te Professore & patrono ultra quadriennium Coloniæ gavisus fui: his peractis parenti meo p. m. Ludoico Glandorp chirurgo author & suasor exstitisti, ut Italiam adirem, ac in Athenæo Anthenoreo ulterius studiis incumberem, & ad finem cursum eorum ibidem deducerem. Nec his duntaxat contentus stimulis, literis insuper commendatitiis tuis ad clarissimos ejus loci viros, HYERONYMUM quippe FABRICIUM AB AQUAPENDENTE & ADRIANUM SPIGELIUM Bruxellensem p. m. ambos chirurgicæ & anatomicæ scientiæ peritissimos omnique laude dignissimos, tantum effecisti, ut non solum familiaritate illorum domestica, verum & rararum observationum chirurgicarum & instrumentorum particeps fuerim: imo, ut idem Spigellius p. m. me in numerum dissectorum publicorum susceperit. Tu vero clarissime D. D. VALENTINE am Ende, mihi ante decennium huc venienti in principio meæ praxis, tantis me beneficiis affecisti, & etiamnum tanta cum familiaritate mecum converseris, ut illorum etiam memoriam nulla unquam delere queat oblivio.

Hæc

DEDICATIO.

Hæc cum ita ſint, & me a vobis viris clariſſimis tot beneficiorum generibus affectum cognoſcam, ingratitudini locum dare turpe & indecorum judicavi, ne & idem nomen quoque, quod divinis abundans ingenii frugibus Plato Ariſtoteli, mulum ipſum nominando, tribuit, mihi, & quidem merito contingat. Antipelargicen itaque hanc meam in grati animi ſymbolum vobis conſecratam, datam & oblatam hilari fronte ſuſpicitote, & tractatum hunc meum ſub veſtro patrocinio prodeuntem, ea qua datur mente arripitote, & adverſus Momorum & Zoilorum, quippe qui longa experientia & feliciſſima in medendo praxi multum valetis, inſultus defenditote. Quod reliquum, faxit Supremus omnium rerum ordinator & diſpoſitor, ut diu ad Neſtoris uſque annos mortalibus ægris veſtro auxilio ſubvenire poſſitis. B. V. Bremæ 1628, 14 Novemb.

A D

AD LECTOREM.

QUAMVIS, amice lector, varia me principio terrerent, animumque meum præpedirent obſtacula; quo minus tractatum hunc, quem de polypo collegeram, publici juris facerem: attamen tandem, victis illis, nonnullorum amicorum petitionibus annuere, æquum eſſe duxi, eo quoque trito invitatus verbo, quod omne bonum ſui communicatione gaudeat. Hoc dum aggredior, nullus dubito, non paucos fore, qui invidiæ laceſſiti ſtimulis, hoſce meos labores conatuſque de polypo in tironum gratiam compilatos, conſcriptos, coagmentatos, theoninis ac viperinis dentibus ſint excepturi. Fateor, hoc meo in opere non me velle docere piſces natare: ſed chirurgiæ potius tirones ad artis ejus præcepta perpendenda & examinanda inſtigare. Idcirco, quantum arte & ingenio meo aſſequi potui, in id unice incubui, ne eos in hortum ſpinoſis ſentibus repletum, neve inexplicabilibus labyrinthis ac mæandris impeditum, verum ad amæna prata, nil niſi excellentiſſimorum medicorum & chirurgorum authoritatem, experientiam ac rationes redolentia ſpirantiaque deducerem: necnon in quibus tam clara, ſplendens, miraque jucunditate oculos paſcentium recreans, oblectans, veritas ipſa hujus mei tractatus, acſi Diana quædam in ſimplici ſua caſtitate nuda videretur, ſeſe offert ac emicat. Ex optimis namque, iiſdemque authenticis authoribus, tanquam apes ex omnis generis floribus melleum ſuccum ſugentes, hæc collegi, addita experientia & obſervationibus propriis. Nec hoc diſſimulare debeo, plurima ex eis ſcriptoribus eſſe deducta, & huc tranſlata, quorum monumenta fere temporis injuria vel perierunt ex parte, vel niſi denuo brevi lucem aſpexerint, opera eorum, quod ſummopere dolendum, vix centeſimo tam medico quam chirurgo erunt nota. Priſci enim ſtylo potius plano, ac ad affectus curandos faciliori, quam verborum lenocinio, ſubtilitate, & ambiguitate, ne tenebras, rei alioquin claræ inducerent, poſteritati conſulere, eique prodeſſe optaverunt: ob quam cauſam a nonnullis, qui ſibi altum nimis ſapere videntur, rejiciuntur: interim tamen methodo illorum inſiſtere invite etiam coguntur.

Tibi his, lector benevole, omnia in bonam partem interpretaturo, omnia bona precor, meaque cuncta ſtudia ulterius offero,

fero, & si altissimus opifex & rector omnium, qui & creavit medicinam, & benedixit ei, mihi concesserit annos, exspectabis decades observationum chirurgicarum & medicarum rararum, necnon librum pandectarum ad chirurgi mentem & manum feliciter dirigendam. Zoilo vero, nihil suum recte agenti, & aliena studia criminanti, meliorem mentem opto, ut ex se aliquid utile honestumque proferat, & alios quoque sinat, pro modulo talenti sui Deo & reipublicæ inservire. Modestia prohibit me aliud addere, quod quidem medicus celebratissimus JOANNES CRATO a CRAFTHEIM adversus humanum morsum ex humano corpore nominare non erubuit: quod idem est, unde Panthera, Aconito *(eo quod Pandalianthes dicitur)* devorato, remedium quærit; de quo qui volet, legat Aristotel. lib. 9. histor. cap. 6. Nicandrum in Alexipharmacis ejusque scholiasten, & Plinium lib. 8, 27. Sed ego in eo persto, ut cavillatori & calumniatori rectum animum veritatis cupidum & Christianæ charitatis succo imbutum precor; ut omnes, qui literarum optimarum studia sectamur, mutuo favore & alternis subsidiis & famam nostram & publicum bonum adjuvemus. Bræmae ex musæo meo Machaonico 1628, 14 Nov.

Vester

MATTHIAS GLANDORP. D.

In MATTHIÆ GLANDORP Chirurgi & Medici apud Bremenses clarissimi tractatum de Polypo Tetrastichon.

SI potuit Chiron & Telephus indere nomen
Ulceribus, medicas quis adhibere manus
Norat uterque senex, & nemo præter utrumque:
Te quoque, vel Momo judice, posse puto,
GLANDORPI, POLYPO dare duplice nomine nomen,
Quem scribendo tuum, quemque medendo facis:

Anton. Gunther Bellich. M. L. &
Com. in Oldenb. Ordin. Med.

Nomina

Nomina eorum quorum in hoc tractatu fit mentio.

Adrianus Spigelius
Aetius
Albucaſis
Alexander Benedictus
Alfonſus Moreſcottus
Altomarus
Amatus Luſitanus
Andreas Laurentius
Antipater
Apollonius
Ariſtoteles
Arnoldus Weichardus
Aſclepiades
Avicennas
Avenzoar
Bartholom. Hierovius
Bertapalia
Bertrucius
Brunus
Cælius
Carpus
Caſparus Bauhinus
Cato
Celſus
Chalmeteus
Cornarius
Crollius
Daniel Sennertus
Dioſcorides
Fabricius ab Aquapend.
Fabricius Hildanus
Foreſtus
Gabriel Ferrara
Gabriel Fallopius
Galenus
Georgius Horſtius
Geſnerus
Gordonius
Gorrhæus
Guido de Cauliaco
Guillielmus de Gariga
Heurnius
Hieronymus Mercurial.
Hippocrates
Hollerius
Horatius
Jacchinus
Joannes de Vigo
Joann. Andreas a Cruce
Joannes Guinterus Andernac.
Joannes Fernelius
Joannes Fauconerus
Joannes Hornung.
Lampo
Lanfrancus
Leonhardus Fuchſius
Ludoicus Glandorp
Martialis
Martinus Rulandus
Maſſarius
Matthiolus
Meſue
Montagnana
Nechepſos
Nicholaus Myrepſius
Oribaſius
Paræus
Paulus Ægineta
Petrus de Bonanto
Petrus Paw
Philagrius
Pigræus
Piſo
Platearius
Platerus
Plinius
Quirinus Apollinaris
Rhazes
Riolanus
Rogerius
Rondeletius
Rolandus
Ruffus Epheſius
Serapio
Symphorianus Champerius
Tabernæmontanus
Tagaultius
Theophilus
Theophraſtus
Theodoricus
Turnerus
Valeſcus de Taranta
Wirtz
Wirſung.

TRA-

TRACTATUS

DE

POLYPO.

CAPUT I.

De nasi, qui est polypi subjectum, structura & usu.

DE nasi affectu haud levissimo scripturus (*de polypo quippe*) non ab re esse arbitror, pauca eaque necessaria, uti & in mea methodo medendæ paronychiæ factum, de ejus usu & structura præmittere; quo ex iis chirurgiæ non modo verum & anatomes tyronibus, quonam modo in debellatione hujus, tuto, cito & jucunde, operationes suas exercere possint, innotescat. Etenim, partis affectæ constructione cognita, melius & cum majori patientum emolumento officium suum perficiet, majoremque honorem ac laudem chirurgus venabitur.

Nasus quid.

Nasus itaque Græcis ῥῖς a ῥέω, quod per illum excrementa cerebri expurgantur, sic dicitur. Est eminens illa faciei pars, a superciliorum medio interstitio, quod *Glabella* dicitur RUFF. EPHES. *de part. human. corp. appellat. lib.* 1. *cap.* 6. incipiens, & in labium superius terminans: seu secundum LAURENT. *lib.* 11. *cap.* 4. ab oculorum internis angulis acuto mucrone incipiens, ad labiorum fere principium desinit.

Glabella.

Nasus partes habe externa & internas.

Externæ & internæ in instrumento hoc organico spectantur partes; ad *externas* referunt anatomici cutim cum cuticula, musculos, venas, arterias, nervos, ossa, cartilagines, & internam tunicam. GUIDO de CAULIACO *edit. ann.* 1363. *tract.* 1. *doct.* 2. *de anat.* Nasus partes continet carnosas, & ossuosas, & cartilaginosas, &c.

Nasi cutis. Pinnæ, alæ seu pterygia nasi. Columna. Globulus.

Cutis eadem, quæ cæteras faciei occupat partes, tenuior tamen est, quin & validissime adhæret, ad narium autem *pinnas alas seu pterygia* ubi pervenit, involvitur aliquantulum circa margines earum, constituitque partem illam, quæ præest cartilagineo intersepto, ac a RUFFO, *lib.* 1. *c.* 4. *columna*, κίων dicitur, in cujus superiori loco, eminentia illa rotunda, nasi scilicet extremo, ἀκρορρίνιον, *globulus*, *orbiculus*, qui ab AQUAPEN. *tract.* 2. *de locutione pyrula seu sphæridion*, a SPIGELIO *vero lib.* 1. *cap.* 11. *de humani corporis fabrica* σφαίρειον *vocatur*, apparet, cartilagini quodammodo se assimilans.

Vibrissæ. Evulsis vibrissis hæmorrhagia insequitur.

Vibrissæ in interiori ejus parte, impediunt, ne muscæ irrepere, nec pulveres intrare possint, *secundum ALEXAND. BENEDICT. lib.* 4. *anat. histor. c.* 39 *de naso*; his vi evulsis, præterquam quod caput vibretur, non raro insignem hæmorrhagiam insequutam observavi.

Nasus pinguedine caret.

Pinguedine partem hanc natura ne nimis deformis ejus moles redderetur, dotare noluit.

Nasi musculi. Musculi nasi duplices.

Musculi vero partim attrahendi, partim emittendi aeris gratia alis inserti, quo facilius voluntarius motus, dilatatio scilicet & contractio, pro hominis arbitrio nunc celerior nunc tardior perficeretur, *de quorum numero certant anatomici.* Duplices tamen narium sunt musculi; Unus scilicet *communis*, qui labium cingit, & ubi illud deorsum trahit, nasum deprimit. Quatuor sunt *proprii* dilatantes, totidem constringentes. *Vide magni BAUHINI theat. anatom. lib.* 3. *c.* 64. *& SPIGEL lib.* 4. *cap.* 5.

Nasi ossa. Os nasi Ethmoides. Ex quadruplici constat ossium genere.

Ossa duntaxat propria nasus habet *tria*, in utroque latere unum est, circa quæ considerantur *spina & dorsum*, tertium inter illa locatum in medio nasi per rectum ab osse ethmoide seu cribroso, instar septi enascitur. LAURENT. *lib.* 11. *cap.* 5. ubi dividit nasum, in externas & internas partes, inter *internas* censet os *Ethmoides seu cribrosum*, *incerniculi* vicem gerens THEOPHILO *de corp. hum. fab. cap.* 12. quod ex quadruplici ossium genere constare asserit FALLOPIUS *lib.* 1. *obs. anat. de ossib. cap.* 9. *Primum* genus est illud, quod processus mammillares

mammillares interſtinguit, *criſta galli*. *Alterum* quod cribri inſtar perforatum, *cribroſum*. *Tertium* quod naſum in duas partes dirimit, cujus finis circa palatum *vomerem* refert, *interſeptum*. *Quartum* locatum in utraque narium parte, *cavernoſum ac ſpongioſum* dicitur. In his cavernulis præparatur aer, ne nimis crudus ad cerebrum deferatur; hæc duo ultima cavernoſa oſſa carne ſubrubra ac ſpongioſa multis venarum & arteriarum ramulis referta, teguntur, & quumplurimum affectus, de quo fiet mentio, ex illis enaſcitur, ea propter hæc addere placuit. Summas harum oſſium anguſtias *Iſthmoides*, ab iſthmi ſimilitudine vocat ALEXAND. BENEDICT. *Arabes* Alcaiſin. *Perlegat quoque ſtudioſus lector* PETRI PAW. *primit. anatom. de corp. human. oſſib. cap.* 7. Ubi de duabus illis cavernis in oſſe frontis, ſupra naſum locatis, loquitur de *proceſſibus mammillaribus* cerebri duobus, altera interna naſi parte oſſi ethmoidi incumbentibus abunde & clare tractant FALLOP. *lib.* 3. *obſ. anat. cap.* 14. & SPIGEL. *lib.* 7. *de humani corporis fabrica cap.* 2.

Criſta galli. Cribroſum. Vomer. Spongioſum. Iſthmus naſi. Alcaiſin. Oſſis frontis cavernæ. Proceſſus mammillares.

Cartilaginum, quæ quinque ſunt (Paræus *lib.* 5. *cap.* 7. *ſex vult eſſe*) duæ latera conſtituunt, & aſperitati oſſium, non ſecus ut & tertium, interſepto junguntur. Duæ aliæ *alas*, *pterygia*, *pinnas* mobiles efformant, atque his mediantibus naſi cavitates ſeu foramina duo, *nares*, finguntur que a poetis *thalami*. THEOPHILO *Rhothones*, Attice quoque *myxæ* appellantur, HIPPOC. & alii μύξαν pro mucore habent quam Athenienſes κόρυζαν vocant. Harum cavitatum pavimenta poetæ *torcularia* vocarunt. Debuit autem naſus partim oſſeus partim cartilaginoſus exſtrui, quo ad uſum ejus compoſitio eſſet aptior, nec non duo foramina, a natura ordinata, quo uno obſtructo a catharro, polypo, aut ſimili, alterum maneret ſalvum.

Naſi cartilagines quinque. Thalami, & rhothones naſi. Torcularia naſi. Naſus cur oſſeus & cartilagineus. Naſus cur duo foramina.

Venæ ſunt a jugularibus externis. Arteriæ a carotidibus ortæ. Nervi vero procedunt a tertio pari nervorum.

Venæ naſi. Arteriæ. Nervi.

Tunica interna narium a dura matre per foramina cribroſi oſſis defertur, non ubique ſibi ſimilis. Nam circa os ſpongioſum craſſior eſt, quam in aliis partibus, & foraminibus pertuſa. Hinc defluit materia ex cerebro, partim ad os, partim per nares emungitur, duæ namque ſunt viæ in naribus, una ad caput, altera ad palatum & os. Senſu pollet exquiſitiſſimo, illa namque ab acri medicamento irritata, confeſtim ſternutationem excitat, ob ſympathiam hujus tunicæ cum thorace, ut vult BAUHINUS. Hæc tunica eroſa & exulcerata,

Tunica interna. Tunicæ naſi ſenſus exquiſitus.

ſæpiſſime polypo, ut infra dicetur, anſam præbet, *dein ut idem in inſtit. anatom. de capite vult*, hac donatur naſus, ut carnis in naribus excreſcentiam impediat.

Uſus naſi.

Hæc de naſi ſtructura: nunc de uſu. Inſerviunt nares præcipue reſpirationi & aeris attractioni, qui partim cerebro, partim pulmonibus & cordi opitulatur. Dein famulatur odoratui, dum aerem odoribus permiſtum per oſſis ſpongioſi obliqua foraminula ad proceſſus cerebri primo mammillares defert, poſt ad cerebri ipſius corpus; conducit namque naſus ad odoratus perfectitudinem. Tertio per nares fit excrementorum cerebri in cavitatem eorum delapſorum mucuſorum expurgatio.

Quarto ad formandam vocem, & ultimo ad faciei ornamentum procreatum naſum ſtatuitur.

Author tantum conſiderat naſi ſtructuram, quatenus chirurgus.

Plura de naſi ſtructura, & olfactus organo, qui ſcire ſatagit, is conſulat ARISTOTELEM, HIPPOCRATEM, GALENUM, LAURENTIUM, AQUAPENDENTEM, BAUHINUM, &c. qui prolixe & ex profeſſo anatomica tractant. Sufficiat hic magis neceſſaria, & ad affectum curandum conferentia declaraſſe.

CAPUT II.

De polypi deſcriptione in genere, quatenus variæ ſpecies ab auctoribus proponuntur.

PRæmiſſa anatomica partium ſufficienti ad effectus hujus atrociſſimi ſummeque moleſti cognitionem & curationem explicatione: jam deſcriptionem, eam que ex chirurgorum tam priſcorum quam recentium ſententiis deſumtam propono, ac unicuique honorem & laudem ſuam tribuo.

Polypi deſcriptio.

Polypus itaque [a] caro eſt [b] tumida [c] inæqualis, [d] membranula tecta, [e] in narium partibus [f] contra naturam [g] a cauſa vel interna vel externa orta, [h] earum porum nunc unum [i] nunc ambos ſimul obſtruens, [k] polypi piſcis carni haud diſſimilis, modo alba, [l] modo ſubrubra, [m] vel mollis vel dura, [n] dolens & non dolens, [o] interdum cum hæmorrhagia, non raro etiam ſine ea, [p] in principio exigua, [q] paulatim vero ita accreſcens, ut nunc per foramina palati ad fauces deſcendens, [r] nunc extra nares propendens, [s] nunc in cavitate duntaxat permanens, [t] externas quoque naſi partes

tumidas

tumidas reddens, [s] respirationem impediat in tantum, quo ægri hianti ore cogantur dormire, aeremque per ipsum os cum maxima difficultate attrahere: [x] insuper & mortem inferens.

Hæc est descriptio congruens omnibus polypi speciebus, ab authoribus variis citatis; ex sequentibus autem studiosus lector facile discernet, quænam carnis excrescentia in naribus polypus sit dicenda.

CAPUT III.

Descriptionis explicatio innitens celeberrimorum tum chirurgorum tum medicorum authoritatibus.

Polypus caro est.

POlypum [a] *carnem* esse his verbis testatur ALBUCASIS *lib.* 2. *cap.* 24. Quando nascuntur in naso carnes. ROLANDUS *lib.* 1. *capit.* 39. *sic incipit.* Carnis superfluitas, &c. GEORGIUS HORSTIUS *lib.* 3. *de morb. pect. observat.* 15. polypum excrescentiam carneam statuit. ALPHONSUS MORESCOTTUS *in compendio suo totius medicinæ de indiciis morborum ait.* Polypus est humor carnosus. THEOPHRASTUS lib. **von den offnen schaden**, *de ulceribus cap.* 20. **Ich sage das** polypus **sey ein verirrettes Fleisch** dico, polypum carnem esse errantem. CELSUS, *lib.* 6. *cap.* 8. Polypus vero caruncula est. PLATERUS *tract.* 3. *de vitiis cap.* 3. *de extuberant.* In naribus frequenter ejusmodi caro expullulat, & Sarcomatis nomen servat. JOHANNES GUINTERUS ANDERNACUS *de medic. veteri & nova comment.* 1. *dialog.* 8. a Græcis vitium hoc ὑπερσάρκωμα appellatur. DANIEL SENNERTUS *lib.* 5. *part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 13. interdum & sarcoma quoddam & carnis excrescentia in interioribus naribus ad nascitur. HIERONYMUS FABRICIUS ab AQUAPENDENTE *de operat. chirurg. part.* 1. *cap.* 24. est hujusmodi tumor quasi caro. ENCHIRIDIUM *practicum medico-chirurgicum incerti authoris*, polypum carnem vocat inutilem. JOANNES de VIGO *tract.* 3. *cap.* 3. in naso caro superflua oriri solet. CHALMETEUS *cap.* 24. carunculam vocat. PIGRÆUS *lib.* 5. *de ulceribus cap.* 9. excrescit ibi caro. FERNELIUS *lib.* 7. *de*

extern.

extern. corp. affect. cap. 3. Sic in male curatis ulceribus, ſæpe excreſcit caro, ſic polypus naribus contuſis; hic polypum ad ſarcoma ſeu carnem excreſcentem refert. GABRIEL FERRARA *lib.* 1. *obſ.* 34. tenera calloſitas eſt polypus narium. MONTAGNANA *conſil.* 72. carnem dicit ſuperadditam. SYMPHORIANUS CHAMPERIUS *de ægritudinibus cutis per modum ſupplementi*; in hoc morbo caro interiora, &c. VALESCUS de THARANTA *lib.* 2. *cap.* 62. Sunt quædam carnes ſive excreſcentiæ additæ ſive natæ in naſi interioribus, &c. SERAPIO. *tract.* 2. *c.* 13. carnem dicit additam in naſo ſuper neceſſitatem. Idem aſſerit WIRSUNG. *part.* 1. *cap.* 8. *parag.* 4. [b] *tumidam* eſſe ſeu tumorem, præter authores ſequentes, experientia teſtis ipſaque autopſia eſt. ALBUCASIS *citat. loco.* carnem polypi auctam nuncupat, id eſt, in tumorem elevatam. Sic GALENUS & ALTOMARUS *de medendis humani corporis malis cap.* 39. polypum ad tumorem refert. SERAPIO carnem natam ſuper quantitatem. THARANTA excreſcentiam dicit. PARÆUS quoque naſi tumorem polypum *lib. de tumoribus contra naturam particularibus cap.* 2. ſtatuit. Ita & FERNELIUS, GORRHÆUS, CHAMPERIUS, De VIGO, ÆGINETA, cæterique ubi de tumoribus tractant, ibidem hujus affectus mentionem faciunt. Solus autem PIGRÆUS *capit. citato* polypum ad ulcera refert, ac in eorum enarratione eundem deſcribit: fortaſſis auctoritate motus GUIDONIS de CAULIACO *tract.* 4. *doct.* 2. *de ulcerib. memb. organ.* ubi potius polypum cancroſum, durum, & jam ulceratum, quam verum, mollem & curabilem delineat, his verbis. Polypus eſt narium ulcus, durum, ſiccum, dolorem inferens, horrendum, fœtidum, naribus firmiſſime adhæreſcens, &c. Quinimo idem PIGRÆUS toto quaſi cœlo a reliquis chirurgis diſſentire videtur: vultque duntaxat eam carnis excreſcentiam in naribus, quæ cum cancroſis ulceribus ſimilitudinem habet, polypum dici: aliam autem carnem, quæ ibidem innaſcitur, ſarcoma appellari potius debere. Reliqui citati ſarcoma pro genere tumoris carnoſi, hic vero pro ſpecie habet. *Ut ut ſit, de nominibus, & utrum tumor vel ulcus ſit, diu rixari, de lana eſt caprina altercari, cum tali lite morbi non curentur, qui potius, ut ille inquit, non verbis ſed herbis curantur:* [c] *inæqualem* eſſe carnem demonſtrat ipſius figura, nam ob eandem cauſam polypo piſci comparatur; ut enim ille non uniformis ſed multos habet pedes; ſic hic multas extuberantias,

Tumida.

Pigræus a reliquis diſſentire videtur.

Inæqualis.

tuberantias, quæ tamen nunc plures nunc pauciores adſunt. AQUAPEND. multæ apparent, veluti carunculæ ſimul junctæ, aut altera ab altera pendens, [d] *membranula tectam.* PLATERUS. quæ in principio tenuis quidem eſt, inſtar membranulæ, paulatim durior evadit, non ſecus ut in reliquis Sarcomatis ſpeciebus eadem oriri conſuevit: [e] *in narium partibus internis.* CELSUS narium oſſi inhæret, narem implet. ALEXANDER BENEDICTUS, *lib.* 4. *cap.* 39. ſummas narium anguſtias Iſthmoides dictas polypus infeſtat. BAUHIN. *in theat. anat.* intra narium cavitates occurrunt carnes ſpongioſæ ſubrubræ, quibus naſi oſſa ſpongioſa replentur, ex quibus tumefactis, polypus narium generatur. AQUAPEND. appenſæ quidem carnes ad cartilagines modo, modo oſſibus aut naſi, aut ſuperne ſpongioſis. GAB. FERRARA *chirurg. Mediolan. lib.* 1. *obſ.* 34. in interioribus naribus excreſcit. THEOP. ita naſcitur polypus, naſcitur in naſo **oben an**, in ſuperiori loco. AGGREGATOR Lugdunenſis, caro interiora naſi occupat, intumeſcens: idem ſentit GORRHÆUS, ALBUCASIS: caro nata in ſuperioribus oſſibus naris. PARÆUS ab oſſe Ethmoide fere ortus: [f] *contra naturam.* GALEN. *de compos. medic. ſecund. loca lib.* 3. ex genere tumorum præter naturam polypodes in naribus generantur. HOLLERIUS dicit eſſe præter naturam, *perioche* 3. *de narium affectibus,* ut & AQUAP. nec non PAULUS *lib.* 6. *cap.* 28. & ALTOMAR. Aſſero ego hunc tumorem eſſe contra naturam non præter naturam, quod & facit PARÆUS, ubi dicit polypum eſſe tumorem naſi contra naturam. Nam quicquid eſt contra naturam, naturæ exceſſit limites, & vim infert, vireſque ac functiones manifeſte interturbat: quod vero eſt præter naturam, id ipſum etſi ex naturæ præſcripto non eſt, illi tamen nullam vim infert. Sic color Ictericorum eſt præter naturam: [g] *a cauſa vel interna vel externa ortam.* PLATERUS, ab ulcere aut alia læſione. CHALMETEUS, ex humoribus craſſis & viſcoſis e cerebro ad nares influentibus: item ex recentibus ulceribus neglectis, adjungo his ex vulneribus, & ubi latum, vel acutum, vel obtuſum aliquod inſtrumentum in nares intruditur, earumque tunicas & venas lædit: *vide plura cap.* 9. *de cauſis polypi:* [h] *earum porum nunc unum:* & hoc fere ſemper, rariſſime namque contingit ambas nares polypo excludi: hinc recte dicit ALBUCASIS caro nata in ſuperioribus oſſibus (*non narium ſed*) naris: [i] *nunc ambos ſimul obſtruens.* BAUHIN. interdum

Membranula tecta.

In narium partibus internis.

Contra naturam.

Contra naturam & præter naturam ut differant.

A cauſa vel externa, vel interna orta.

Earum porum nunc unum.

Nunc ambos ſimul obſtruens.

interdum ſupra palati cavitates geminas propendent polypi. RIOLAN, cuidam nobili in fauces & intra nares ita producebantur polypi, ut ſingulis fere menſibus per quadraginta annos forcipibus innoxie abſcinderet. HORSTIUS *lib.* 2. *de morb. capit. obſ.* 27. Anno 1622. polypum ſatis auctum, & utramque narem replentem in ruſtico quodam ulmæ vidit. PARENS *meus p. m.* LUDOICUS GLANDORP *chirurgus colonienſis*, ante aliquot annos filium Cerevifiarii in platea nominata **die Bottegaſſe** curavit, cui ex utraque nare ad os fere protendebantur polypi: cujus curationem obſervatione prima lectori trado: [k] *polypi piſcis carni haud diſſimilem.* AQUAP. polypi piſcis carnem repræſentat. ÆGIN. Subſtantia reſpondens polypodis carunculæ. MORESCOTTUS, ad polypi ſimilitudinem creſcens in naribus. PAREUS, conſiſtentia refert carnem polypi marini. GAL. dicit, ſimilitudinem modo eſſe in colore & conſiſtentia: [l] *modo albam, modo ſubrubram.* CELSUS, GORRHÆUS, color quidem varius eſt, aliis albidus, aliis ſubflavus, aliis ſubruber. VIGO: alius vero eſt polypus ruber, vel albi coloris [m] *vel mollem vel duram.* BERTRUCIUS *tract.* 5. *ſect.* 1. *cap.* 2. carnem in naribus compactam nominat. ÆGINET. alios vocat duros alios molliores. GORRH. Subſtantia pariter aliis mollis, & quodammodo fluida, aliis durior magiſque contracta. FOREST. *obſ.* 7. *lib.* 13. mollis ſubſtantiæ eſt. CELSUS, fereque mollis eſt, raro dura. GUIDO, quorum caro eſt mollis, pendens & quaſi ſeperata: [n] *dolentem & non dolentem.* Secundum FOREST. & VIGON. non omnis polypus dolet, ſed qui ſapit naturam cancri: [o] *interdum cum, non raro ſine hæmorrhagia,* id eſt, in polypo interdum ſanguinis profluvium inſequitur, & quidem ſæpiſſime abſque manifeſta cauſa, interdum nihil ſanguinis excernitur, quamdiu etiam in naribus continetur. THEOPHRAST. **So einem in der Nasen wachſt ein Fleiſch, und dringt durch, mit viel bluten, ſo ſag das die Naſen bonda ſey.** Si cui in naſo creſcit caro, & erumpit cum multo ſanguine, dicas polypum eſſe: [p] *in principio exiguam,* PIGRÆUS & GUIDO, ut plurimum incipit per ſe, a puſtula, & paulatim augmentatur: [q] *paulatim vero ita accreſcit, ut, nunc per foramina naſi ad fauces deſcendens.* CELSUS, modo retro per id foramen quo ſpiritus e naribus ad fauces deſcendit, adeo increſcit, uti poſt uveam (legendum forſitan uvulam) conſpici poſſit. BAUHIN. juxta gargareonem in fauces propendet. FOREST. *citato loco*

Polypi piſcis carni haud diſſimilis.

Modo alba, modo ſubrubra.

Vel mollis vel dura.

Dolens & non dolens.

Interdum cum non raro ſine hæmorrhagia.

In principio exigua.

Paulatim vero ita accreſcens, ut, nunc per foramina naſi ad fauces deſcendens.

loco narrat historiam mulieris vetulæ, quæ secundo polypum ad fauces prolapsum passa, magnitudinem ovi columbini excedentem: [r] *nunc extra nares propendens.* FERNEL. e nare foras propendet. MES. & aliquando egreditur exrta. ROLAND. supra labium moratur. THEOPHRAST. **und wechst zur Nasen herauss, wie ein stuck Fleisch, das da wachsen sol** in buccella in parte martis. E naribus excrescit, ut portio carnis, quæ debebat crescere in buccella in parte martis QUIRIN. APOLLINARIS *lib.* 1. *cap.* 6. **Hangt vor die Nasen herauss**, extra nares propendet. HIPP. *lib.* 2. *de morb.* dependet veluti gurgulio, & ubi exspirationem facit, progreditur foras, ex medio cartilaginum: [s] *nunc in cavitate duntaxat permanens*, præcipue ubi principium est polypi, alias diuturnitate temporis, vel extra nares, vel ad palatum vergere solet, quod innuit FOREST. ubi ait, pendens in nare, [t] *externas quoque nasi partes tumidas reddens.* ROLAND. nares adampliat. VIGO. faciens nasum aliquantulum tumefactum, in summitate sua tumefactione tendente ad lividitatem aliqualem, etiam cum aliquali indignatione nasi in parte exteriori. BRUNUS, aliquando ex hujusmodi ægritudine magnificatur nasus: [u] *respirationem impediat in tantum, quo ægri hianti ore cogantur dormire, aeremque per ipsum os cum maxima difficultate attrahere.* PLATER. præter turpitudinem quam adfert, nares obstruendo, respirationi & voci solum incommodat. PAULUS, id efficit, ut & difficulter respirent, & sermonem ægre exprimant. AQUAP. coguntur patientes per os diu noctuque respirare, cum ingenti molestia & vitæ incommodo. BAUHIN. & voci & deglutitioni incommodat. HIPP. & cum dormit, stertit.: [x] *insuper & mortem inferens.* CELS. strangulatque hominem. FOREST. ac pene suffocationis symptomata inferebat, &c.

Nunc extra nares propendens.

Nunc in cavitate duntaxat permanens, externas quoque nasi partes tumidas reddens.

Respirationem impediat in tantum quo ægri hianti ore cogantur dormire, aeremque per ipsum os cum maxima difficultate attrahere.

Insuper & mortem inferens.

CAPUT IV.

De polypo pisce.

UT autem videamus, affectus hic cur & quomodo polypo pisci comparetur, ex GESNERO quædam, nomen, figuram & compositionem ejus exponentia, quam brevissime proponam. Quamplurima enim de ejus natura, ex variis congessit, quæ quum nobis in hac declaratione non sint necessaria

C scitu,

ſcitu, lubens, volenſque ea prætereo, & benevolum lectorem ad eundem relego.

Polypi piſcis varia nomina.

ΠΟΎΛΥΠΟΥΣ, latinis Polypus, Multipes, Octopes, a numero & pedum ſic dicitur multitudine, Græci illum vocant ὀκτάποδα vel ὀκτωπόδα Italis *polypo* dicitur, Venetis ſimiliter, *Folpo*, Genuæ *porpo*, Hiſpanis *pulpo*, Gallis *poupe & poulpe*, Angli qui Vectam Inſulam incolunt, vocant *a pour cuttel*, teſte TURNERO. alii quidam, ut JOHANNES FAUCONERUS *a preke*, iidem *ſepiam cuttel* vel *cuttle* vocitant, germanico nomine inteſtinum ſignificante. Videtur autem malacia id eſt, mollia omnia, germanice poſſe recte vocari **kuttelfiſch**, ut ſi polypum interpreteris **ein Kuttelfiſchart**, non inepte etiam vocaretur **ein vielfuess**, vel **pollfiſch**, vel **pollkuttel**, nomine compoſito a polypo & **kuttel**, quod eſt ſepia. Nam & Maſſilienſes polypum nominant *ſecche poupe*, ſecche autem ſepia eſt, &c.

Polypi piſcis varia genera.

Plura ſunt polyporum genera alii enim pelagici ſunt, alii προσγειοι id eſt, littorales, quos PLINIUS terrenos vocat, hi multo majores ſunt pelagiis. Alterum genus eſt eorum, qui parvi ſunt, varii, cibo inepti. Tertium genus ἐλεδώνων dicunt, quod pedum prolixitate, & acetabulorum ordine, quem ſimplicem habet, cum cætera mollia duplicem, differt. ARISTOT. alia duo genera in oſtreis ſive conchis condita adjungit, &c. Octona brachia ſunt polypis, πλεκτάνας vocat Ariſt. quibus ut pedibus ac manibus utuntur, proboſcidibus carent, quibus a ſepia & loligine disjunguntur, ſed harum defectum natura pedum ad eoſdem uſus commodorum longitudine penſavit. Caput iis eſt inter pedes & alvum, ut reliquis mollibus (*polypus eſt e genere piſcium mollium, id eſt, ſine oſſe, nihil ſolidum intus habet*) teſte Ariſtot. at ab iiſdem diſſident, quod parvam alvum, crura prælonga; contra cætera ampliorem alvum, crura brevia habeant, ita ut poteſtas nulla ſit ingrediendi. Alvo eſt rotundiore, ſepia latiore, loligo vero longiore. Acetabulorum in brachiis continuus & duplex ordo eſt, quæ initio majora, deinceps minora fiunt, &c. Nulla ipſi eſt cutis niſi leviſſima quædam membrana; ita adhæret brachiis, ut truncari potius quam avelli ſe patiatur. Hæc pinnis natant, in illis nullæ cernuntur. Roſtro, partibus internis, gula, ventriculo, inteſtino, muti, ſepiis & loliginibus non diſſimilis. Supra ventriculum veſiculam habent, & in ea atramentum, auctore etiam Ariſtot. *lib.* 4. *de hiſt. animal. cap.* 1. *& lib.* 8. *capit.* 37. ſed non ita nigrum, ut in ſepiis & loliginibus, verum purpuraſcens, colorem ſæpiſſime mutat, &c. *Hæc*

Hæc de polypo piſce ſatis, plura qui ſcire cupit, legat GESNERUM *lib. de piſcibus.* & PLIN. *lib.* 9. *c.* 20.

CAPUT V.

Affectus hic cur polypo piſci comparatus fuerit ab antiquis.

IN deſcriptione traditum, affectum hunc in naribus, polypi piſcis carni haud diſſimilem eſſe, hoc ipſum veriſſimum & antiquitus receptum probatur ſequentibus, & declaratur, *cur & unde polypus narium comparetur polypo piſci.*

GALENUS *lib.* 3. *ſecundum loca.* quem ſequutus LEONHARDUS FUCHIUS inſtit. medic. lib. 3. ſect. 1. cap. 14. Polypodis carni eſt aſſimilis ſecundum ſubſtantiæ proprietatem; quæ mollis eſt & nihil ſolidi intus habet, ut de piſce dictum. GORRHÆUS, per proprietatem autem ſubſtantiæ, intelligo non colorem modo & conſiſtentiam, ſed reliqua etiam quæ ſunt polypis propria, quibus tumorem hunc ſimilem eſſe veteres prodiderunt, NICOLAUS PISO *lib. de morb. cognoſcend.* & *curand. c.* 46. WIRSUNG. SYMPHORIANUS, nempe quod multas habeat radices ut ille pedes, SERAPIO. aſſimilatur animali multorum pedum. AVENZOAR polypum vocat multipedem, quod firmiter loco adhæret, in quo eſt. AETIUS *Sermon.* 6. *cap.* 90. & ALTOMARUS. Polypus, polypi marini carni, eſſentiæ proprietate, colore & compage ſimilis eſt. HOLLERIUS. ÆGINETA, Subſtantia reſpondens polypodis carunculæ, idem, ex marini ſimilitudine nomen ſortitus, tum quod illius carnem repræſentet, tum quod ſuo complexu, quemadmodum ille captantes ulciſcitur, nares (*lege manus ut vult* CORNARIUS) ipſorum compræhendens: ita & vitium hoc laborantium nares obſtruit, &c. LEONHARDUS JACCHINUS *in* 9. *lib. Rhas. cap.* 27. Polypi nomen ab animalis ſimilitudine acceptum eſt, colores mutat polypus piſcis juxta ea corpora quibus adhæret, ita & hic, &c. MASSARIUS, Polypus a multitudine pedum ſic dicitur: ut enim ille multas habent inciſiones & ſciſſuras, contumeſcuntque & increſcunt, ſic morbus iſte eodem modo. PLATERUS. polypus vocatur, cum ad illius ſimilitudinem rotundus & oblongus ſit,

Polypus unde dicatur.

Rhases polypum hæmorrhoidas appellat.

& angustiore basi venisque per eam ductis adhæreat. RHASES etiam affectum hunc hæmorrhoidas appellat, non quod diversum sit malum, sed quoniam duplici nomine est nominatum, quoniam ani excrescentias imitatur, quas hæmorrhoidas dicere solent. *Ulpianus ff. de edil. edict.* hoc affectu qui laborant *polyposos* vocat. ALBUCASIS polypum assimilat scorpioni multorum pedum, &c. Proprietate quoque hac gaudet cum polypo pisce, qui ut truncari potius quam avelli se patitur; sic & affectus hic absque detruncatione, id est excisione, non avellitur, præsertim ubi mollis est, nec cum carcinomate affinitatem habet. HEURNIUS *lib.* 8. *institut. medic. cap.* 3. caro extra est nares pendula, polypi marini pedem consistentia referens. Ultimo polypi narium cum polypo pisce, accuratam comparationem proponit LANFRANCUS *in chirurg. majori, doct.* 3. *cap.* 3. *quæ quoniam exacta est, & opera ejus proh dolor temporis diuturnitate quodammodo evanuere, placuit de verbo ad verbum describere. Dignum namque laude virum Musa vetat mori.*

Polypus scorpioni assimilatur.

Polypi nasium exacta comparatio cum polypo pisce.

Polypus dicitur a polypo pisce: cujus malitiosa est astutia, quia quando vult piscibus saturari, ascendit saxum, quod est in littore maris, & ipsi multum assimilatur. Pisces fatigati videntes saxum, non advertunt de polypo propter similitudinem, sed volentes quiescere, saliunt de mari, polypus illos absorbet & convertit in nutrimentum. Sic iste morbus cum naso magnam habet affinitatem: quoniam ejus materia est catarrhosa, frigida, grossa, descendens a capite, & in via propter ejus grossitiem & tenacitatem hæret nasi substantiæ inviscata, & humores capitis, agitatione moti naturæ, volentes descendere, & exire, materiam ibi recipiunt congregatam, quæ humores illos in suam convertit malam naturam, & ex ipsa cottidie augmentatur.

CAPUT VI.

De partibus affectis in polypo, & ad quodnam genus morbi reducatur.

SUpervacaneum arbitror omnes & singulas narium denuo describere partes, cum id ipsum satis superque *cap.* 1. *de nasi structura & usu* pertractatum, sufficit duntaxat scire quænam a polypo infestentur partes.

In

In explicatione descriptionis generaliter dictum fuit, in narium partibus internis oriri polypum, citatique varii authores, qui diversum ipsi situm tribuunt. Sic CELSUS, narium ossi inhæret, &c. ALEXANDER. BENED. summas narium angustias Isthmoides dictas infestat. BAUHIN. intra narium cavitates occurrunt partes spongiosæ, subrubræ, quibus nasi ossa spongiosa replentur, ex quibus tumefactis, polypus narium generatur. ALBUCASIS, caro nata in superioribus ossibus naris PARÆUS & HEURNIUS, ab osse Ethmoide fere ortus. AQUAPEND. appensæ quidem modo ad cartilagines, modo ossibus aut nasi, aut superne spongiosis. TAGAULT. *in generali divis. tumorum præter naturam.* Polypi, vel polypodes fiunt in naribus, &c.

Quænam partes narium a polypo afficiantur.

Hinc liquet, quod affectus hic situetur vel circa laterales ossium & cartilaginum nec non intersepti partes, vel circa ossa spongiosa, apprehendens simul & membranam a dura matre per ossis cribrosi foramina delatam, nariumque partes investientem.

Situs polypi.

Cum autem polypus sit tumor auctus, seu carnis excrescentia, quæ peccat in quantitate, non immerito *inter morbos in quantitate*, cum ex genere tumorum sit præter naturam *(de ulcerato polypo qualem Pigræus vult, non loquor,)* ab ALTOMARO & PISONE refertur.

Polypus ad quod genus morbi referatur.

CAPUT VII.

Quæ caro excrescens proprie dicenda polypus.

NON omnis carnis excrescentia, quæ vel hypersarcosis, vel Sarcoma dicitur, pro polypo habenda, sed ea duntaxat, quæ nares occupat: nec etiam omnis carnositas e naribus propendens polypus est, cujus differentiam proponit LANFRANCUS *loco citato*, his verbis. Differentia vero est inter polypum & carnem superfluam, quoniam *caro superflua* non habet profundam tenacitatem cum nasi substantia, nec cum ipso naso nimis assimilatur, imo potest de facili segregari; *polypus* vero firmiter adhæret naso, & non sine violentia separatur. FORESTUS, qui vere polypus dicitur, mollis substantiæ est, pendens in nare, aut etiam extra, si multum excrescat, & situs est in imis partibus: quod si in summis, magis vergit

Quæ caro excrescens proprie dicatur polypus.

vergit aliquando ad palatum, & in os descendit, communes meatus obstruens. GALENUS & PAULUS, Qui tumor in nare cancri naturam sapit, polypi nomine non compræhendendus. ALBUCAS. in nare ergo caro, quæ ex iis est lenis, non fraudulenta, neque cancerosa, &c. polypus est. ALTOMAR. distat polypus a reliquis carunculis, quæ in naribus nascuntur, quoniam illæ similes sunt muliebribus mammis, ac in imis partibus narium, quæ carnosissimæ sunt, inhærent: etsi ejusdem naturæ (ab *eadem causa, a sanguine scilicet, qui alias in loco affecto generat carnem)* sint polypi & carunculæ, quas græci σαρκώματα appellant. PLATER. in naribus frequenter caro ejusmodi expullulat, & sarcomatis nomen servat : quæ si adaucta foras e naribus, vel intro in faucium amplitudinem propendeat, polypus vocatur, qui & uti narium interna tunica rubet, sed indolens est, quo uti & mollitie a cancro differt. ROLAND. in cancroso polypo caro non ita descendit inferius, &c.

differentia polypi a carunculis.

Ex his facile conjicere licet, quænam caro excrescens proprie pro polypo haberi debeat illa scilicet, quæ vel in naribus permanet, vel ad fauces, vel ad labia producitur, mollis existens, subrubens, ac indolens, nec non ex radice quodammodo propendens, &c.

Nullatenus autem admittenda sententia illorum, qui ozænam cum polypo confundunt, & unum eundemque affectum sibi imaginantur. Qualiter deceptus fuit HORATIUS epodon. 12. ubi ponit. Namque Sagacius unus odoror, Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis, Quam canis acer ubi lateat sus. Hic aperte concluditur eum potius verba de ozæna quam polypo habere : quis enim ausus fuit polypo fætorem ascribere? nemo certe, nisi qui cum *Pigræo & Guidone* in eadem versatur navi, *(hoc tamen haud injuriandi animo chirurgos illos præstantissimos dictum velim)* nusquam etenim reperietur in monumentis chirurgorum, gravem odorem polypo *(quatenus sic pure & simpliciter absque ulceratione consideratur)* inesse. Simili modo MARTIAL. interpretasse videtur Polypum, ubi hoc malo affectos, polyposos nominat, adjungendo, Nasutum volo, polypolyposum nolo ; fortassis ob fætorem.

Horatius polypum cum ozæna confundit.

CAPUT

CAPUT VIII.

De polypi ſpeciebus, differentiis ac ſignis.

Species, differentias ac ſigna nunc aggredior, id ipſumque tam clare, quo lector ex ipſo intuitu, ea quam facillimo negocio ab invicem diſcernere, ac quid de differentiis ſtatuendum ſit, dijudicare poſſit.

HIPPOCRAT. medicorum princeps affectus hujus quinque his verbis lib. 2. de morbis enarrat ſpecies. [1] Si *polypus* fiat in naſo, ex medio cartilaginum dependet veluti gurgulio, & ubi exſpirationem facit, progreditur foras, & eſt mollis: ubi vero inſpirationem facit, retrocedit, & loquitur obſcure, & cum dormit, ſtertit. [2] *Alius polypus*, impletur naſus carnibus, & ad contactum caro dura apparet, & per naſum ſpirare non poteſt. [3] *Alius polypus.* Intrinſecus ex cartilagine caro rotunda prominet, quæ ad contactum mollis eſt. [4] *Alius polypus*, Intrinſecus circa cartilaginem alicunde durum quid naſcitur, & videtur quidem eſſe caro, ſi vero ipſum attigeris, ſtrepitum edit velut lapis. [5] *Alius polypus*, Naſcuntur ex obliquo cartilaginis in ſummo velut cancelli. DE VIGO polypum ſtatuit duplicem, canceroſum & non canceroſum. *Canceroſus* polypus durus eſt, adhærens parietibus narium, latæ figuræ in ſua ſede, fuſci coloris, ſine humiditate, ut plurimum doloroſus, fætidus, & ex eo maxime, ſi fuerit ulceratus, faciens naſum aliquantulum tumefactum, in ſummitate ſua, tumefactione tendente ad aliqualem lividitatem, etiam cum aliquali indignatione naſi ex parte exteriori. *Non canceroſus* eſt rubei vel albi coloris, tractabilis, gracilis in ſua radice, abſque dolore, abſque fætore, cum humiditate non parva. FOR. ſecundum corporis noſtri humores, quatuor ſtatuit polyporum differentias, inquiens. Polypus ex ſola fit pituita, & quidem magna ex parte, licet etiam ex atro humore fiat, quanquam rariſſime, cum ex eo aliquando cancer generetur. Sic albi polypi pituitam, rubri ſanguinem, citrini, ſi adſit dolor & punctio bilem, fuſci melancholicum humorem arguunt. THEOPHR. Auch ulcerirt es ſich, und gehet in tentiginem parvam, id eſt, noli me tangere. Etiam exulceratur, & vertitur in tentiginem parvam, &c. *De ſignis ſic habet* GUIDO, Significantur iſtæ paſſiones aperiendo nares cum inſtrumento

Polypi quinque ſunt ſpecies ſecundum Hipp.
Prima.
Secunda.
Tertia.
Quarta.
Quinta.

mento dicto speculum. Piso. Notis vero quibus dignoscatur, ejusmodi tumor nullis opus habet, cum sensui pateat. FOREST. & quia ad sensum patet, non est multum laborandum, ut ejus notas repetamus. PARACELS. **So einem in der Nasen wachst ein Fleisch, und dringt hindurch mit viel bluten, so sag das die Nasen bon da sey.** *id. est*, Si cui in naribus excrescit caro, & penetrat cum hæmorrhagia dic adesse polypum. *Et hæc de his sufficiant.*

CAPUT IX.

De polypi causis, & generationis modo.

TRaditis differentiis, speciebus ac signis polypi, nunc causas & generationis modos, pro ut a variis fuere traditi, enodabo.

Polyporum causa proxima

GALEN. Aetius, Guinter. Forest. item & Iacchin. in 9. lib. Rhas. concorditer statuunt, quod causa polyporum proxima sit materia crassa & viscida, id est, pituita talis, sanguinis portioni admista, & tempore crascescens. GUID. polypus grossorum humorum est germen, & ut plurimum venit post ægritudines catarrhosas. AVICEN. accidit ut plurimum post capitis defluxiones, non cum acris est materia, itaque nec exulcerat. VIGO a materia catarrhali, phlegmatica aut melancholica. BRUNUS, lib. 1. *chir. magn. cap.* 2. *quam conscripsit & finivit Padoæ anno* MCCLII. Causa ejus est humor grossus & viscosus, qui rheumatizat a capite, & descendit ad nares, ibique carnem convertitur. ROLAND. polypus semper de frigidis, raro de calidis humoribus. VALESC. causa indolorosi polypi, quem hæmorrhoides vocat, est phlegma dulce, sine corruptione, vel sanguis magis aquosus. Causa autem dolorosi, nigri vel fusci, est sanguis corruptus, cui miscentut aliqui mali & corrupti humores per viam rheumatismi. BERTRUC. oritur ex phlegmate & melancholia per viam assationis & putrefactionis, propter quod acquirit nasus duriciem, & illa caro figuram habet *ficus*, quia caput grossum & stipitem subtilem. BERTAPAL. *de ulcer. cap.* 2. creatio carnis superfluæ procedit ex nimia superfluitate humiditatis, non bene regulata ordine naturali. THEODOR. *lib.* 3. *cap.* 36. vel etiam ex phlegmate viscoso, seu ex mucchis viscosis. HORST. ex superabundante viscido sanguine. *Enchiridion incerti authoris,*

Polypus post quas ægritudines.

Bertrucius polypum fico assimilat.

thoris, ex crasso & flatulento sanguine. GALEN. *de tumor. præter. lib.* Polypodes autem aut inflammatione, aut tuberculo, aut alia quapiam suppullulatione in naribus consistente gignuntur. CHALM. is fit ex humoribus crassis & viscosis e cerebro ad nares influentibus, vel etiam ex ipsarum narium nutrimento a virtute naturali in carnem mutato, aut ex recentibus vulneribus neglectis. AQUAP. a sanguine admodum pituitoso, qui in cerebro redundat, & ad nares confluit. LANFRANC. humores capitis agitatione moti naturæ, volentes descendere & exire, materiam ibi recipiunt congregatam, quæ humores illos in suam convertit malam naturam, & ex ipsa quotidie augmentatur. ROGER. *tract.* 1. *cap.* 19. Polypus est una rheumatica passio. Revera rheumatizat quandoque humor a media cellula capitis, quandoque a commissura quæ est inter phantasticam & logisticam, & descendit ad nares, & quandoque colligitur ad carneam substantiam ad similitudinem verrucæ.

Polypi causæ ex Galen. a

Polypus ex narium alimento.

FERNEL. *lib.* 7. *de ext. corp. affect. cap.* 3. *hæc de polypi causis & generationis modo habet.* ,, Sarcoma carnis est incrementum, tuberculi tumorisve specie. Non ex humoris cujuspiam fit affluxu, sed ex solo partis alimento. Hæc enim ,, quia aut intus aut foris exulcerata est, ni cohibeatur, assiduo alimenti accessu diffunditur, atque luxuriat: sæpe ,, etiam venarum & arteriarum instar ductus producit, per ,, quos alimentum sumat. Sic in male curatis ulceribus sæpe excrescit caro, sic polypus naribus contusis, sic epulis in ,, gingivis ad dentium radices, sic ficus in ano, &c. FERNELIUM in generationis modo polypi sequutus videtur ,, Platerus: hæc scribens. Sic e carne exsudans succus nutriens, ob cutis tunicarumque, quibus obvolvitur, quibusque succus coercetur, & venarum succum hunc deferentium ,, oscula obliterantur, defectum, accidit: ut si succus carni ,, accrescat, novamque veluti carnem illi adhærentem, & ab ,, ea protuberantem, gignat, varia sarcomata producuntur. ,, Veluti in ulceribus carne impletis, necdum cicatrice obductis, succo ex ea expullulante, excrescentia illa carnis, qualem in ulcere excrescente descripsimus, gignitur. Vel si ,, tunica narium in illarum erosionibus, ulceribus aliisve læsionibus ablata sit, eodem modo polypum producit.

Fernelius de generationis modo.

PISO, duplicem generationis modum proponit, inquiens. 1. Fit caro sæpius laxior & rarior, cum cerebrum valde humidum mittit viscidam & flatulentam materiam, quæ hanc

Piso duplicem polypi statuit generationis modum.

partem inflando facit, ut appareat major, & potiſſimum in conjunctione lunæ, in declinatione autem contabeſcit & minuitur.

Secundus modus.

2. Naſcitur ex ipſarum narium nutrimento, a facultate nutritoria & auctrice in carnem mutato. THEOPHRAS. **Ich ſag, das** polypus **ſey ein verirretes Fleiſch von** buccellis, **daſs da gangen iſt durch den** porum **auſſerhalb ſeiner ſtad in einen kruſpel**: id eſt, Dico, quod polypus ſit caro, a buccellis errans, quæ tranſivit per porum extra ſuum locum in tumorem. Addit idem, & ubi caro ita errat, tum multo plus & uberius creſcit, quam in ſuo proprio loco, forſitan, quia membrana, qua nares alias fruuntur, deſtituitur: de eo vide theat. anat. Bauhin.

Polypus caro eſt errans.

Caro erra's facilius augetur.

His cauſas & generationis modos varios concludo; videt lector benevolus, polypum non modo a cauſa externa verum & interna oriri poſſe, ac cum & ſine humorum affluxu evenire.

CAPUT X.

De prognoſi inſtituenda.

QUUM *in præcedentibus differentias polypi tradiderim, nunc quid de unoquoque prædicendum, aggredior.*

Polypus quis facile & difficulter curetur.

MESUE, qui fit in naribus durus & niger, & non tractabilis, & mollis, & putridus, & fætidus, fortaſſis non ſanatur. Et qui elongatur, & pendet, & aliquantulum egreditur extra, habens radicem gracilem tenuem non nimis profundatam, curatur incidendo. BRUNUS, caro abdita, cum qua naſus eſt tractabilis, & boni coloris, abſque timore curetur. GUIDO, polypus ex toto genere eſt pernicioſus, nam eſt de genere abſconditorum cancrorum. PISO, qui carcinodes eſt, attingi non debet. PAULUS, duri & lividi non attingendi, molles autem & laxi ſcalpello curandi. FOREST. abſconditus deterior eſt manifeſto, qui totus ſimul pendet, extra nares præcipue, curatu facilis eſt; contra difficilis qui ſummo & ad palatam communicat. PLATER. polypi cura ubi excrevit, difficilis, quæ rectius dum vel incipit, vel nondum adeo auctus eſt, procedit. *Nam confirmatus non niſi cum labore, dolore, & periculo aufertur.* THEOPHRAST. **Am leſten ſeines Gelwechs uberlauffen die Aderen, un bluten ſich zu todt**: id eſt, In fine ſui incrementi effunduntur venæ, hinc hæmorrhagia, ex qua tandem mors. Et tantum de prognoſi.

Qui polypi attingendi.

Polypi curatio quando facilis.

CA-

CAPUT XI.

De indicationibus.

QUicquid corporis noſtri actiones lædit, hoc id ipſum quo citius eo melius removendum. Nam principiis obſta, ſero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras. Quod quo tutius ac rectius peragatur, certæ ſunt indicationes, ſecundum quas dogmaticus medicus & chirurgus procedit, ſecus vero agit empiricus.

HIPPOC. hos omnes uſtionem indicare contendit. GUIDO, judicatur, quod melius eſt non curare (cancroſum quippe) quam curare. GALEN. miſta medicamentorum indiget materia, quæ partim aſtringat, partim ſecet. FOREST. confirmatus chirurgiam requirit. *Enchiridion*, cum polypus ſit inutilis caro, ſui detractionem indicat. Porro cum polypus ut cap. 9. dictum ab humoribus fiat influentibus, influxis & influxuris, competunt, quæ materiam catarrhalem poſſunt educere, evacuare & alio derivare; quod vero influxum, vel medicamentis vel ferramentis auferendum, proſpiciendo ſimul parti a qua fit fluxio.

Indicationes ab humoribus.

Denique cum inter cauſas polypi relatum ſit, ipſum non raro originem trahere, ab excoriatione, ulcere, vulnere aut alia læſione: hinc indicatur, ſummis innitendum viribus, quo excreſcentia illa prohibeatur, quod fiet, ſi mature modo & oportune chirurgus cicatriſationi proſpexerit, & ab incarnantibus juſto deſtiterit tempore, aucta autem caro, vel exſiccanda, vel abſumenda, vel exſcindenda, vel adurenda, de quibus inferius latius.

Polypi aliæ indicationes.

CAPUT XII.

Quid primo in polypo obſervandum.

IN omni polypo diligenter advertendum, quænam ſit hujus mali cauſa: ea propter ſi fiat ab humorum affluxu, conveniunt generaliora omnis generis remedia, ad unumquemque humorem abundantem ac peccantem, evacuando, corroborando, intercipiendo ac derivando congrua, in quorum numero & ſunt apophlegmatiſmi, cucurbitulæ, ſcarificationes, frictiones, veſicatoria, fonticuli, ſetacea, &c.

Cauſa omnium primo inveſtiganda.

 Non

Non autem in omni polypo ſingula adhibenda: nam pro ut ejus eſt natura, & quo gravius eſt malum, pro eo & plura & validiora poſcit remedia. Sic ſi principium duntaxat ſit polypi, aſtringentibus & exſiccantibus ſubveniendum validis, ſi his non cædit, ad cathæretica deveniendum; ſi & illa non juvant, ad ſeptica & pyrotica confugiendum: tandem ſi nec illa proſunt, malo nodo, malus cuneus quærendus: de quo Hipp. aphor. 6. ſect. 1. Extremo morbo, extremum remedium; & aphor. 91. ſect. 7. Quæcunque medicamentis non curantur, ferrum curat, quæ ferro non curantur, ignis curat, quæ igne non curantur, ea exiſtimare oportet immedicabilia.

Generaliora ante topica adminiſtranda.

Generaliora autem præmitti debere, antequam adminiſtrentur topica ipſi polypo, teſtatur GALEN. inquiens. Ubi a materia catarrhali deſcendente a capite ad nares origo eſt hujus mali, caput ſiccare corroborareque oportet, cum palam ſit, ob redundantiam humorum fieri, ab eo in ipſas nares defluxam: roborato capite parti quoque proſpiciendum, quæ excrevit, &c. ROGER. *tract.* 1. *cap.* 19. *ait:* Generale præceptum eſt, quod non fiant iſta, donec ſit corpus mundificatum a ſuperfluis humoribus, & eſt generalis regula, quod non apponatur aliquod locale, quouſque caput ſit mundificatum. ROLAND. *lib.* 1. *cap.* 19. Cura polypi talis eſt, fiat purgatio humorum, qui videntur ſuperabundare, & ſi ſit de frigida cauſa, debet fieri purgatio cum *pil. diacaſt. vel jera detur*, poſt purgationem *diaoliban. vel auream:* & hunc modum debemus obſervare in multis ægritudinibus, &c. MESUE, & hæc fiant poſt corporis mundificationem pluries iteratam, & poſt phlebotomiam, & quandoque neceſſitas expedit, & fiat cauterium in Suhendegh, quod idem explicat cap. de catarrhis his verbis Radatur caput in parte commiſſuræ coronalis, & vocatur Suhendegh, id eſt, continuatio capitis. JACCHIN. ideo ſuppoſita debita victus ratione in quanto, ut bene concoquatur, ne excrementa gignantur: in quali, ut ſit victus extenuans & exſiccans, a quo materia talis non generetur. Corpus purgabimus iis, quæ pituitam vacuant, ut cocchiis & fætidis catapotiis, deinde caput ſiccabimus pulveribus, frictionibus, lotionibus, quæ remediorum genera deſcribuntur a MONTAGN. conſil. 72. MORESC. curatur polypus primo purgatione capitis, poſt attractione aquæ calidæ per nares ad detergendum, &c. CHALMET. curatio polypi victum tenuem & attenuantem requirit, nonnunquam venæ ſectionem, poſtea humorum præparationem atque purga-

Cauterium in Suhendegh.

Suhendegh quid.

purgationem; præcipue melancholici atque pituitei, humor alias in partes avertendus, &c. FOREST. mox toto corpore repurgato, & capite, cucurbitulisque in scapulis cum scarificatione appositis, jussi, ut decocto Guaiaci uteretur cum tenui victu: nam multis Guaiaci usus profuit. ENCHIRIDION vero chirurgo medico practicum a decocto Guaiaci & victu exsiccante cavendum præcipit, ne inde humores efferantur, & tumor in carcinoma transeat. Hic distinctione opus judico, ac ad differentias recurrendum reor. FOREST. laudat decoctum in polypo, qui originem trahit a viscocis & crassis frigidisque humoribus: ac ea ratione confert: non autem laudat in illo, qui ex melancholico sanguine oritur, cui ob virtutes suas, quas exercet, inimicum: incidit namque calefacit, attenuat & exsiccat, ea propter in eo tutius quam in altero hauritur. ALTOMAR. sanguinem mittendum esse, si nihil impediat, asserit, necnon medicamentum purgans offerendum (*Alexandro teste*) debita prius victus ratione instituta, &c. pituita quoque per os educenda apophlegmatismis. PLATER. in curatione generalia primum ad sanguinis influxum ad eam sedem impediendum, præmittenda, per venæ sectionem, & si corpus impurum sit, dejectionibus sudoribusque repurgandum, &c.

Cucurbitulæ adhibendæ.

Decoctum guaiaci quibus conveniat.

Ex his demum concludo, generaliora præmitti debere, antequam topica adhibeantur: & hoc præcipue observandum, si causa polypi est catarrhus. Si vero est ex vulnere male curato, hæc præsertim corpora ubi sunt pura, non adeo necessaria, sed statim polypus aggrediendus & exstirpandus.

CAPUT XIII.

De cura polypi per medicamenta.

Lector benevole, conglomeravi tibi hic silvam medicamentorum. Tu remediis his salvo cum judicio & circumspecte utere. Nam non omnia omni polypo competunt, quinimo maxima cum solertia adhibenda pyrotica, ne sanas attingant partes.

Author varia proponit medicamenta.

Quæ fluida sunt specillo lana circumvoluto medicamento imbuta duntaxat proba & justa encheiresi tangantur, non autem cum tentis & plagulis immittantur: & hoc eo magis observandum, quo fortiores sunt medicinæ: plura in observationibus.

Quæ notanda.

GA-

Galeni medicamentum ex punicis.

GALEN. medicorum antesignanus ait. In polypo præstantissimum pharmacum reperi succum ex malis punicis tum dulcibus, tum austeris acidisque, & maturis, & integris, parique magnitudine, & numero maceratis, expressum. Cæterum si humectior polypus esse videtur, plus ex austeris est contundendum : at ex aridis pharmacis dyphrige citra mordacitatem, aliquando per multum tempus consumtum polypum novi, &c. omnia autem hæc assidue facere oportet, ut nunquam ab affecta parte absit pharmacum, cum facile ab humiditate eluatur.

Quomodo utendum

Mesue descriptio medicinæ Galeni.

MESUE *hoc Galeni medicamentum ita describit. Accipe ex tribus generibus granatorum p. æ. & tere eas secundum totalitatem eorum, & extrahe succum, & decoque in essentia rob. tenuis. Deinde tere substantiam granatorum contritione multa, usque dum fiat sicut pasta, & fac cum succo eorum formas similes nasalibus, & intromitte ex eis in nasum unam post unam, præliniendo tamen cum succo prædicto, & hoc fiat tempore extenso,* &c.

Jacchinus exactius describit.

JACCHIN. in 9. lib. Rhas. cap. 27. de hoc Galen. medicamento hæc verba habet. Galenus unum unice laudat ex punicis malis confectum, hoc & Avicen. & Mes. accipiunt, sed non est apud eos summa fide descriptum. Tria genera capit, & contusa poma universa prelo exprimit, & modice incoquit, ut densetur, sic enim melius inhæret, & in vase æreo vel stanneo servatur. Fæx vero expressa in pastillos conformatur, qui narium meatui respondeant, & ex iis velut pessulis imbibitum medicamentum naribus imponatur, & nunc hoc uti, nunc ipso succo solo, quo etiam palatum illinire possumus, &c. Confert eodem teste & Serpentariæ herbæ succus, & ex ejus radice licinium fieri potest : *cui astipulatur* MATTHIOL. *nec non* TABERNEM. *lib.* 2. *sect.* 7. *cap.* 14. *de Dracontio, & cap.* 19. *de Asaro.* VALESC. lib. 2. cap. 62. ponit medicamen, quod valet in principio hæmorroide, quod cortex mali granati pistetur, & distemperetur cum aqua vel suo succo, & coquatur, & cum tenta immittatur, &c. *Ad idem* ℞ *Pulv. nuc. cupr.* ʒij. *Coloq.* ℥j. *Acet. s. q. coquat. & cum tenta immittatur.* PLATEAR. *de ægrit. narium cap.* 2. Polypus cum est corrosus, curatur hoc modo : præcedentibus purgationibus & opiatis, stuellum factum de Apostolicon super aspergatur pulvere æris usti, vel aristolochiæ, vel hermodact. & naribus immittatur, & hoc valet si polypus parvus.

Serpentaria.

Malicorium.

Ung. apostolicon.

Polypus piscis ustus.

NICOL. MYREPSIUS, polypum marinum in clibano cum lignis oleæ, donec in cinerem vertantur, urito, & sumta

ta de eo ℥j. admiſce illi chalcant. ℥ſs. & per arundinem inſufflato naribus. JOANN. filius Serapionis ponit confectionem ſequentem. ℞ *Scoriæ æris aureos* 4. *chalcant. aur.* 3. *elleb. nig. aur.* 1. *Arſen.* ℥j. tere, & fac pulverem. Idem. ℞ *Calcis non ext. Arſenic. cit. an.* ℈ij. *colcothar. Flor. æris, Alumin. an.* ℈j. *Gallar. kakiæ. Balauſt. an.* ℈ſs. contere ea in mortar. æneo, & cum aceto forti, contritione ultima uſque ad 5 dies: deinde fiant ex eis trochiſci, &c. PLINIUS, polypodii radicis arida farina indita naribus polypum abſumit. DIOSCOR. Accipe Semen Luff, id eſt, ſerpentariæ majoris, & tere cum ſucco malorum granatorum cum cortice ſua, & liniatur ſuper polypo in circumferentia ejus. CELSUS, interdum tamen inareſcit polypus, ſi addita in narem per linamentum aut penicillum ea compoſitio eſt, quæ ℞ *Minii Sinop. chalcit. calcis. ſandarac. an* ℈j. * *atrament. ſutor.* ℈ij. * Magiſter PETRUS de BONANTO teſte Guidone ſpecialiter pro polypo commendat tentam de radice Acori temperatam cum oleo de Junipero, in quo reſoluta ſcammonea. BERTAPAL. lib. de ulcer. cap. 11. hunc pulverem laudat. ℞ *Arſen. rub.* ℥ſs. *Calcis viv.* ℥ij. 2. *Aquæ c.* ℥iv. *fiat hoc modo.* Ponatur calx trita in aqua, & tamdiu bulliat, quod aqua ſit conſumta, tum addatur arſenic. & incorpora ſimiliter, & fiant trochiſci, & exſic. in umbra, & quando opus, fiat pulvis. Idem. ℞ *Mellis apum* ℥j. *Acet.* ℥ſs. *Virid. æris* ʒij. *Pulv. tartari, qui vulgari ſermone vocatur Greppa* ℥j. tamdiu coquatur, donec fiat ung. ÆGINET. lib. 3. cap. 24. hæc præſcribit. ℞ *Squam. æris.* 3. 8. *atram. ſut.* 3. 2. (CORNAR. *ponit* 3. 6.) *ſandarac.* 3. 4. *verat. nigr.* 3. 2. naribus mixtione facta inſpirantur. In uſu hoc eſt ORIBASY, ut aſſerit Aetius: nam 13 diebus inſigne adfert præſidium. Idem, ℞ *Malicor.* 3. 12. *Atram. ſut.* 3. 10. *chalcit.* 3. 8. *Fell. taurin. Amom. Myrrh. Calamint. Marrub. an.* 3. 4. *Croci* 3. 2. *Verat. alb.* 3. 4. Sicco utitor. Benefacit & atramentum ſutor. cum aceto. GORDON. part. 3. cap. 15. Et poſſunt excreſcentiæ removeri cum auripigm. rub. & vitriol. & ſal. ammon. &c. MORESCOT. poſtmodum attractione ſucci rutæ cum vino, tandem fumigio per thus alb. maſc. ſi vetus eſt morbus, corroſivis eſt auferendus, &c. AETIUS ſerm. 6. cap. 92. ℞ *Alumin. ſciſſ. Myrrh. Sandarac. an.* 3. 4. *Atram. ſutor. uſt.* 3. 1. *Gallar.* 3. 1. tritis utere, ubi prius nares vino odorato elueris, ita ut poſtea per ſpecilli nucleum illinas. Aliud. ℞ *Soreos* 3. 2. *Chalcit. toſt.* 3. 2. *fruct. myricæ* 3. 1.

Croci

Confectio trochiſcor alchadicon.

Polypodii radix.

Semen Luff.

Celſi medicamentum.

Radix Acori.

Bertapaliæ pulvis.

Æginetæ remedia.

Atramentum ſutorium.

Succus rutæ.

Aetius varia præſcribit.

Croci 3. 1. *Myrr.* 31. trita insufflato. Aliud ℞ *chalcit. tost.* 3. 2. *Misyos* 3. 2. *atram. sut. ust. Amom. an.* 3. 2. *Myrrh.* 3. 4. *croci* 3. 1. trito, & utitor siccis. Aliud ℞ *Alum. siss.* ℈ix. *Alum. O.* ℈vj. *Atram. sut.* ℈vj. *chalcit.* ℈xviij. *Myrrh.* ℈xviij. *Squamæ æris* ℈ix. *Thuris* ℈iv. *Gallar.* ℈xij. contusa, cribrata, terito cum aceto velut collyrium, & formato pastillos: usu vero postulante, quantum satis est, cum melle contere, & linamentum intinge, ac naribus inde, & ad diem unum sine: altero vero extrahe, & sequetur polypus, quod plerumque fieri solet. *Idem.* Sinapi tritum aquæ misceto & subigito, & collyria glandiformia formato: deinde gracile linteolum sinapi obducito, quo ipsum extrahere possis, ubi voles, & naribus indito, principio lintei foris relicto, & totam diem finito, & excidet polypus HOLLERIUS hanc compositionem tribuit LAMPONI, instit. chirurg. lib. 3. *Ex ære rubro nec sæpius conflato scobem colligimus, ejusque* ℥j. *capimus, sal. ammon. vel vulg. torref.* ℥ij. *& tantundem ammon. alum.* ℥iij. *aceti acerrimi* ℔iv. ß. arida teruntur & aceto perfunduntur in vase ex ære rubro, excoquuntur omnia, & pistillo ex eodem ære circumaguntur: alioqui in ardore Solis sub canicula continentur, versantur sæpius, donec pharmacum exarescat: hic in mortario iterum conquassantur, & in pulverem minuuntur. Hæc in melle adhibentur, insperguntur cavis, & naribus inspirantur, vel per fistulam insufflantur. NECHEPSOS Rex hoc laudat. *Squamam æris & Squamam ferri, ac alumen scissum,* æ. p. terito, ac in sufflato, aut per specillum adhibeto, aut in linamento utitur. ASCLEPSADÆ ad polypos, ℞ *Atrament. sutor.* ʒj. *Diphryg. ust.* ʒij. *Calc. viv.* ʒij. *Sandarac* ʒij. Sicca adhibe, aut linamentum in tortum aqua madefactum, ac pharmaco imbutum, inde. ANTIPATER hoc usus: *Atrament. sutor. sandarac. an. p. æ.* tritas insuffla. Aliud. ℞ *Atram. sutor. ust.* ʒiiij. *Rubicæ sinop.* ʒj. trita insuffla. APOLLONII ad polypos naturale. Nycticoracem jugulato, & calido ipsius sanguine, illinito polypum: reliquum vero in sole siccato ac reponito, aridum tritum inspergito. *Idem. Dracunculi* radicem aridam tritam insperge; facit & *succus* ejus illitus, aut cupressi folia, aut pilulæ ficus carne exceptæ: facit & *saliva* imposita, & *laser* cum atramenti sutorii aut æruginis pari portione. PHILAGRIUS, at in eunuchis, & molle corpus habentibus, & propterea nullam mordacitatem ferentibus, rosas siccas levissime tritas adhibe, mirifice enim prosunt mollibus, & humidis corporibus: nam

Sinapi.

Lamponis medicamentum.

Apollonius commendat Nycticoracem

Saliva & laser.

Philagrii medicamentum.

nam plæraque quæ efficaciter polypum eximunt, exacerbant quodammodo, ubi ſcopum non contingerint. PLATER. fuligo cum fumo ab accenſis ſuſcitata, nareque affecta excepta, retenta pauliſper interim reſpiratione, polypo ſe affigens, eum potenter exſiccat, ſi aliquoties hoc repetatur. Talis autem a thure, maſtiche, pice carbonibus injectis excitatur: vel ſi candela inde, cum illychnio indito paretur, ab eoque accenſa, rurſumque extincta, fumus fuliginoſus in nares intromittatur: validius ſiccabit, ſi ſulphur aliaque metallica addantur. *Idem*, Aqua aurifabrorum fortis appellata, tactus polypus mox flacceſſit, cui auripigmentum etiam admiſceri poteſt. Cauteria ex calce, vini fæce uſta, indolentia, polypo caute per canalem, vel alia arte, ne vicina loca tangant, admota, cum tandem urendo putrefaciendoque abſumunt. *Idem*, ℞ *Alumin.* ℔ ß. *Chalcant.* ℥ jß. *Gallar. vel cort. granat. pulv.* ℥ ij. *Omphac. ſeu agreſt.* ℥ ij. *vel ſucci Uvar. immat. recent. ſi haberi poteſt. Affunde aceti fortis q. ſ. ut in pultem redigatur*; eliciatur per diſtillationem aqua qua polypus ſæpe tangatur, & madefiat, &c. CATO *de re ruſtica*, Et ſi polypus in naſo introierit, braſſicam erraticam, aridam, tritam in malum conjicito, & ad naſum admoveto. Q. APOLLIN. *lib.* 1. *cap.* 6. *hæc habet*, ℞ *Ol. roſat. ceræ an.* ℥ ß. *Succi alkekeng.* ℥ iiij. *Ceruſſ.* ℥ ij. *Plumb. uſt. tutiæ an.* ℥ j. *Thuris* ℥ ß. *Miſce l. a. fiat ungt. Idem*, Immitte in nares portionem rad. gentian. relinquatur per noct. ut dilatetur, poſtea impone linimentum ſequens, ℞ *Succ. chelid. maj.* ℥ ij. *Specier de gemm. Maſtic. Thur. an.* ℥ ß. *Ol. Olivar. q. ſ.* coque parum ſimul, & naribus impone, brevi enim ſanat. &c. WEICHARD. lib. 1. cap. 6. hunc pulverem vocatum **Rote Henitz** commendat, ℞ *Vitriol.* ℥ iiij. *Alumin. ærug. æris, an.* ℥ ß. *Affunde aceti* ℥ vj. *calcinentur in vaſe lutato, &c.* RONDEL. ſequentem aquam laudat, ℞ *Uvar. immat.* ℔ iij. *Cort. mali granat. balauſt. ſumach. an.* ℔ ij. *deſtillentur, omnibus maceratis in aceto, dein adde Alum.* ℔ j. *Vitriol.* ℥ iij. *deſtill. iterum omnia ſimul, & aqua illa tangatur.* CARPUS laudat unguentum ex ol. roſat. butyro antiq. cera & ſublimato. FOREST. Arladæ Theophraſti magnas vires adſcribit. PARAC. ex realgar. præparat. & ſucco chelidon. unguentum conficit. LUSITAN. hoc commendat, ℞ *Viridis æris, auripigm. vitrioli, alumin. an.* ℥ jß. *Antimon.* ʒ vj. *Macerentur in aceto, dein exquiſite terantur, & poſt ſiccentur, & eadem tritura & macerationes octies repetita, dein in aqua plantag. biduo macerata ſiccantur: vel* ℞ *Ol. roſat.*

Platerus laudat ſuffumigia.

Cauteria conducunt.

Aqua.

Braſſica erratica.

Unguentum.

Rote Henitz.

Aqua Rondeletii.

Arlada.

℥ iiij. *Litarg.* ℥ ij. *Nutriantur & coq. addendo sub finem prædi-cti pulv.* ℥ ij. *coque in emplast.* M. RULAND. cent. 8. curat. 81. quendam civem aqua mercuriali mane & vesperi illiniendo polypum, paucis diebus sanavit. VIGO utitur ruptorio de capitello, unguent. ægyptiac. pulvere præcipitati, unguent. apostolor. & pro cicatrisatione pulvere ex tutia, terra sigillata & alumine usto PIGRÆUS præstantissimum esse pulverem sabinæ ait, & maxime si tertia pars ochræ admisceatur.

Aqua mercurialis.

Pulvis præcipitatus, Sabinæ.

His addo, quæ experientia me docuit; in hoc casu plurimum valent *Spiritus vitrioli & ejus oleum, tartari oleum, acidum seu spiritus & oleum sulphuris, lapis medicamentosus crollii, ut & solutio lapidis corrosivi, necnon unguentum F. WURTZ fuscum, idem & præstat aqua illa Fernelii, quam summopere laudat H. MERCURIAL. consil.* 69. Ultimo insigne efficacia præditum est *ol. mercurii*, vide tamen, lector, ut caute hoc adhibeas, nam minima ejus portio insignem escharam parti admota, procreat. *Tandem cum PARÆO doctissimo huic capiti colophonem impono, cujus hæc sunt verba.* Cæterum cauteria acriaque medicamenta in nares hac cautione adhibita, dimittantur, ut frigida interim repellentia & astringentia, naso & circumstantibus partibus ad sedandum dolorem, & prohibendam inflammationem apponantur: *cujusmodi sunt, unguent. de bolo, nutritum, ovi albumen cum rosaceo agitatum,* &c.

Authoris experientia.

Authoris observatio de oleo mercurii.

CAPUT XIV.

De cura polypi per sectionem.

VArios hoc capite tibi offero secandi modos ab antiquis administratos, tu perscrutare, & qui bonus videtur, eundem retine. CELSUS ait, Ergo etiam hunc ferramento acuto in modum spathæ facto, resolvere ab osse oportet, adhibita diligentia, ne infra cartilago lædatur, in qua difficilis curatio est. Ubi abscissus est, unco ferramento extrahendus, tum implicitum linamentnm, vel aliquid ex penicillo respergendum est medicamento, quo sanguis supprimitur, eoque nares leniter implendæ: sanguine suppresso, linamento vulnus purgandum est, Ubi purum est, eo pinna, eodem modo, quo in aure supra positum est, medicamentis illita, quo cicatrix inducitur, intus demittenda, donec ex toto sanescat. HIPP. de quarta

Author varios secandi modos proponit.

Hipp. modus.

ta polypi ſpecie ait, fiſſo per ſcalpellum naſo, polypum expurgato, deinde urito : atque hoc facto, naſum rurſus conſuito, & ulcus curato, linimentum melle inditum induens. & ubi computuerit, æris flore cum melle illinito, &c. Idem in prima polypi ſpecie modum ſecandi proponit alium ; quem conſulat lector. ÆGINETA, hominem adverſus ſolis radios ponit, nares dilatat, & ſpatula orbiculatim polypum præcidit, illic acie ferramenti impoſita, ubi naribus coaluit, dein manubriolo inſtrumenti extrahit, reliquias acie cultelli raſorii cum valenti raſura aufert, dein deterget poſca. Quod ſi polypus oſſibus Ethmoidibus adhæreat, & prædicto modo extrahi recuſet, tum proponit linum mediocriter craſſum funiculi inſtar, duorum triumve digitorum longitudine in nodos conſtrictum, quo abſcindendum ſuadet, hoc facto, uſitato modo curationem inſtituit. VALESCUS ſimiliter procedit, & ſpatumine ſubtili poſt dilatationem, amputat, hæmorrhagiam de bombace tuello in albumine ovi cum rebus conſtrictivis mixto, intincto, ſiſtit remanentias affodillorum pulvere, vel aqua forti conſumit. Vel ſerraturam inſtituit cum filo ſericino, vel cum pilo caudæ equi. Magiſter GULLIERMUS DE GARIGA & quatuor magiſtri Salernitani, utuntur Hippoc. modo, quem in quarta polypi ſpecie proponit : de quo hæc reliquit GUIDO. Nonnulli vero ut quatuor magiſtri, quando eis non eſt poſſibile totum conſumere uſque ad radicem, ſcindunt naſum, in latere uſque ad os, deinde incidunt illud ſuperfluum, & cauterizant, deinde bene & firmiter ſuunt, &c. MESUE polypum, qui habet radicem gracilem, & egreditur extra, poſt apprehenſionem cum forficibus abſcindit ; eum vero, qui palatum verſus deſcendit, tenaculis anteriora verſus trahit, & incidit ſecus radicem cum forficibus ignitis. Si & his extirpari nequit, ex duobus tribuſve pilis caudæ equinæ contortis, & nodis tribus quatuorve injectis, ſerratura inſtituatur, ita ut finis unus per palatum extra os producatur, alter e naribus propendeat, &c. ROLAND. ſpatumine uſque ad fundum evellatur, ait, vel etiam ſagittella incidatur, & ſi oportet per intervalla & ſi intra nares patientis aliquid remanſerit, taſta de unguento, quod fit de calce viva & capitello, intromittatur ; deinde vitellum ovi cum oleo communi : poſtquam vero ignis ceciderit, curetur ut cætera vulnera cum unguento viridi & ſimilibus, &c. FERRARA, ferro prope cuſpidem quam maxime incidente, ac ad id accomodato, abſcindere oportet, ne ſemel ademptus

Æginetæ modus.

Quatuor magiſtrorum modus.

Pigræi modus. tus revertatur, &c. PIGRÆUS, ferramentum dicit, vulgo dictum, *bec de corbin*, corvi rostrum, assumendum esse cuspide lata, nec quicquam secandum, sed ejus ope corripienda ea caruncula, eamque firmiter comprehendendo, nec ullo modo trahendo, vertendum tunc illud ferramentum, & cum eo simul caruncula, ut ea vertendi actione illius radix frangatur, ut & revera frangitur, si opus dextere fiat, &c. ALBUCASIS dicit, oportet, ut facias sedere infirmum inter manus tuas oppositum soli, & aperi nares, & injice uncinum in carnes illas, deinde trahe ad exteriora, mox incide: quod comprehendisti ex eis spatumili subtili, acuto a parte una, donec scias, quod caro tota jam ablata est, remanentiæ radantur instrumento subtili, usque quo nihil remaneat. Si autem reliquiæ remanserint, tunc intromittas *filum lini*, cui sit quædam crassitudo, & noda in eo nodos multos, & pone inter omnem nodum quantitatem digiti, aut minus, & infirmus mittat extremitatem fili unam in nasum cum radio, aut quocunque possibile est ei, postquam fecerit ipsum simile *Azir*, & trahat odoratum suum, donec perveniat ad nasum, & egrediatur super guttur suum. Et multoties quidem faciunt simile huic actioni pueri in scholis, & est res facilis; deinde pone duas extremitates fili, & extremitatem unam, quæ egreditur super nasum, & alteram, quæ remansit in naso, deinde administra serraturam carnis: cum nodis, qui sunt in filo, fac illud, donec scias, quod carnes jam sunt attritæ nodis fili, tum extrahe filum & pone in nasum, post abstertionem sanguinis licinium, quod imbuisti unguento ægyptiaco, fac illud tribus diebus, aut plus, donec unguentum corrodat totum, & nihil remaneat ex adnatis præternaturam carnibus. Deinde postremo pone in nasum cannulam de plumbo diebus aliquot, donec sanatur, &c. BRUNUS cum Albucasi consentit, verum post incisionem cauterizat radicem, quæ remansit, cum ferro candenti, aut ponit super eam medicinam acutam, donec corrodat ipsam, deinde administrat butyrum, donec omnis eschara cadat. AQUAPENDENS insignis suo & nostro tempore Anatomicus chirurgus & medicus, *quo vix præstantior alter*, horum antiquorum secandi modum nec improbat, neque damnat, verum methodum proponit exscindendi polypum tanta cum dexteritate, facilitate & joconditate, instrumento ad id a se invento, quo author p. m. me participem fecit, cum præsente Equite ADRIANO SPIGELIO professore anatomico & chirurgico quondam primario archiva

Albucasis modus.

Remanentiæ ut auferendæ.

Filum lini nodosum Albucasis.

Brunus cauterizat.

Aquæpendentis laus.

suorum

ſuorum inſtrumentorum chirurgicorum, bibliothecæ, ſceletorum, ac rararum anatomicarum delineationum, & ad vivum ex oleo depictarum coloribus pro ſingulari ſua humanitate aperiret. *Inſtrumentum hoc author exacte deſcribit de operat. chirurg. part.* 1. *cap.* 25. ac unicum illud omnia præſtare ſimul una vice, quæ antiquorum, quam plurima enarrata cum magna moliuntur non modo difficultate, ſed & periculo, aſſerit. In ſumma inſtrumentum hoc & apprehendit, ſecat, extrahit, reliquias aufert una vice: & qui hujus adminiſtrationem vidit, de antiquorum, quid judicandum, modo, facile ſententiam dicet. Nodoſum namque filum per nares ad palatum tranſmiſſum, cujus operatio crudelis & intuta ad exſtirpandas reliquias quis admittet? Nunquidne inſignem non modo dolorem, verum & inflammationem, cum & partes ſentientes nodorum aſperitate confricentur, procreabit?

Aquæpendentis inſtrumentum omnia ſimul agit.

De nodoſo filo, ejuſque operandi modo, JOAN. AND. A CRUCE, *lib.* 1 *cap.* 35. *hæc verba habet*, Arbitror hanc operationem laborioſam eſſe, & difficulter poſſe inſtitui, nec a medico ullo illam adminiſtratam vidi. CASPAR. TALIACOT. lib. 1. cap. 25. ſimiliter crudelitatem hujus operationis deteſtatur, inquiens. Sed ſæviſſimos certe, atque toleratu difficiles dolores, hoc genus chirurgiæ movet ob narium præcipue tunicam, cui acerrimum ſane & exactum ſenſum natura indidit. Nec illud non vehementer iniquum eſt, quod operatio hæc ſæpius repetenda, denuoque partes novis cruciatibus conficiendæ, cum neque una neque altera vice, quantum ſatis eſt, jam dictæ carnis exſcindi poſſit. Qua de cauſa & humores copioſi affluunt, & partium quæ circumſiſtunt, virtus maxime concutitur & labefactatur. Sic vix aut penitus non prohibere medicus poterit, quin ſemper hujus mali radices repullulent, & novis malis nova tormenta addant. Pertimeſcenda autem eſt ſummopere impetuoſa ſanguinis eruptio, cum aut Vaſa naſi reſcindimus, aut baſin ipſam diſſecamus, qua narium parietibus polypus adhærens alimentum ex vicino alliciebat, &c.

His & ego ea, quæ mihi in curando per ſectionem occurrerunt, adjungo. Si polypus ſit ab oſſe ethmoideo pendulus, a ſpatha & aliis chirurgorum antiquorum inſtrumentis deſtiti, ac excellentiſſimi AQUAPEND. uſus fui. Si vero ex cartilaginum lateribus, incurvo ad modum Lunæ nondum completæ inſtrumento, ac a Joanne Andrea a Cruce lib. 7. de inſtrumentis, delineato, ipſum exſcindo: ſpecillo vero pomulo

Authoris modus ſecandi.

lato

lato ſimul polypum, quo facilius amputari poſſit, & radix magis extendatur, ac ad ſectionem aptior reddatur, interiora verſus manu ſiniſtra impello, hæmorrhagiamque ad id appropriatis debello, deinde epuloticis ſigillo.

CAPUT XV.

De cura polypi per ligaturam.

Polypum curandi modum per ligationem nunc aggredior; quo nullus exactior, indolentior, tutior, ac ad exſtirpandum aptior eſſe poteſt. Requirit autem chirurgum verſatum, firmiſſima ac dexterrima manu præditum, tum & qui narium anatomiam callet.

VIGO ligaturam quidem proponit, verum modum ſubticet. HIPPOCRATES lib. de affect. loquens de polypo, hæc profert. Si in nare polypus naſcatur, quæ res ex naſo in obliquum per reſpirationem diffluatur, ac intumeſcat, eximitur laqueo ex naſo ad os diſtractus, &c. Idem ubi de tertia polypi ſpecie agit, proponere videtur modum, qui potius ad ligaturam quam ad ſectionem referri debet. Quo autem lectori benevolo placuerit, eum revocet, vel ad ſectionem, vel ad ligaturam, mihi perinde. Hæc autem ejus ſunt verba. Alius polypus: intrinſecus ex cartilagine caro rotunda prominet, quæ ad contactum mollis eſt; cum ita habuerit chordam nerveam accipito, & facta in ipſa parva anſula, eam tenui filo obligato, deinde alterum principium per anſulam tranſmittito, alia majore facta: poſtea principium illud per virgam ſtanneam tranſmittito, deinde anſam illam majorem in naſum indito, & ſpecillo infecto ipſam circum polypum obducito & adaptato, & ubi circumciſa fuerit virgam in os tranſmittito, & arreptam ipſam trahito, eodem modo ſpecillo inſtar ungulæ bifurcato, ſuppoſito ſub gurgulionem ac renitente, poſtquam autem extraxeris, curato velut ſuperiorem.

Hippoc. ligandi modus.

JACCHINUS inquit, optimum erit, ſi id fieri poſſit, uti deligatura, qua utitur GALENUS ad abſcindendas venas, & nos hæmorrhoidas ani, & ortas puellæ in capite, & ſæpe plurimum ſanguinem fundentes, ſanavimus. Nam & excreſcentiam omnem abſcindit, ubi ad radicem deligatur, & ſine vulnere aut profluvii periculo: imo prorſus ſanam cutim dimittit. Fit ex *ſericeo filo* maxime, vel ex pilis equinæ caudæ, nam

Ligatura ex quibus fiat.

nam intra ſeptimum, vel ad plus decem dies areſcit tumor, & excidit deſtitutus alimento ſuo.

FORESTUS hæc habet; chirurgi vero ſanguinis fluxionem metuentes, inciſionem adhibere non audebant, neque commode poterant. Quare communi conſilio hæc moles carnea, modo alba, modo rubra paulatim *filo ſerico bene cerato* intercepta, ac deinde forti ligatione conſtricta, & liquore vitrioli ſæpius inuncta: tandem miraculi inſtar paulatim pars conſumta, excidit, & præter noſtram ac omnium opinionem hominum, qui eam videbant, miſere torqueri, brevi evaſit, & ſanitatem conſequuta eſt. Poſt annum recidivam paſſa, chirurgus denuo ad illam curandam accitus fuit, ſed cum ligatione quidem, ut prius cum filo ſerico ſtrinxiſſet, pars quidem deciſiſſet (*nam rurſus ad magnitudinem ovi columbini excreverat*) & denuo augmentum paulo poſt cepiſſet, penicillo ſeu ſcopula intincta Arladæ (*nempe arcano* PARACELSI, *cujus ſecretis in ulceribus & malis externis quam internis fidem habemus*) ſemel tantum attigiſſet, polypus in ſe contrahebatur, & ita curatus eſt, ut amplius nunquam redierit. GESNERUS ait. Qui proprie polypus dicitur, interior ſcilicet, difficilior eſt curatu: exterior vero in ſummo naſo, aut ad latera, carnis quædam excreſcentia eſt, cuti concolor, ſed in valde ſenibus livet, ſine dolore, pendula fere, talem pilo equino circumligato curari audio. HILDANUS epiſt. cent. 1. epiſt. 61. incipienti polypo aliquando ad radicem illius beneficio inſtrumenti vinculum injecit, feliciterque ipſum filo abſcidit, poſtea per aliquot dies exſiccantibus adhibitis medicamentis æger convaluit.

Polypus filo ſerico intercipitur.

Recidiva polypi poſt annum.

Arlada Parac. arcanum.

Meum ligationis modum hic addere ſupervacaneum eſt: cum eundem in obſervatione ſatis declaratum lector inveniet.

CAPUT XVI.

De cura polypi per uſtionem.

PER *uſtionis modum antiqui polypum ejuſque radices exſtirpare conati ſunt: cujus medicinæ vis non aſpernanda. Verum cum difficilis admodum ſit ejus adminiſtratio, præcipue ubi circa latera radix conſiſtit, ego ſemper medicamentis eandem fere habentibus vim uſus ſum, præſertim cum hujus regionis mortales non tam proni ad ignitas illas operationes perferendas, reperiantur.*

Modum

Modum autem priſcorum curandi polypum per uſtionem propterea hic ſubjungo, ut ſi fortaſſis te quiſpiam: *(lector honorande)* conſulerit, qui eam admittere velit, habeas quomodo procedendum. Actuali enim citius hoc efficimus, teſte PLATERO, cauterio, quam potentiali, ferro candenti per canalem intromiſſo, polypumque urendo. VALESCUS. Si vero polypus fuerit doloroſus, rubei vel fuſci coloris, ab AVICENNA vocatur *Alharnabeth*, talis debet curari cum cauterio actuali, &c. VIGO, aut efficitur per exſtirpationem cum inſtrumentis ferreis, & cauteriſatione actuali, cauterio radicitus cauteriſando cum inſtrumento argenteo cannulato. PISO, conficitur cannula argentea, per quam dimittitur cauterium ignitum internæ parti narium circa ſeptum. ROLANDUS, Si fieri poteſt, ſtatim illa caro ſuperflua tenaculis accipiatur, & in quantum fieri poteſt trahatur ad inferiora, & ſi totus venerit, totus exſtirpetur, & ſi totus non venerit, quod tantum venit incidas: & ſi nullo modo venit, nec tenaculis ad inferiora trahere valeamus, taſta de malo terræ ſicco, vel medulla ſambuci, vel bryoniæ, vel dragonteæ, vel viticellæ, aut ariſtolochiæ rotundæ nares elargentur, & inſtrumentum concavum factum ad modum cannæ per nares elargatas mittimus, per ipſam vero cannam ferream vel æneam ferrum immittatur, & locus diligenter incendatur, & vitellum ovi cum oleo communi ſupermittatur, quouſque ignis cadat ab eo: poſtea cura ut cætera vulnera. HIPPOCRATES de ſecunda polypi ſpecie ſic loquitur. *Alius polypus.* Impletur naſus carnibus, & ad contactum caro dura apparet, & per naſum ſpirare non poteſt. Quum ſic habuerit, fiſtula immiſſa ferramentis tribus aut quatuor urito, & poſt uſtionem *veratrum nigrum* tritum injicito: & poſtquam computruerit, & exciderit caro, linamenta melle indita cum æris flore indito, & ubi curatum fuerit ulcus plumbeas maſſas ſive fiſtulas melle illitas, immittito, donec ſanus fiat. *De tertia ſpecie hæc habet.* Omnes autem hos urere oportet, & poſt uſtionem veratrum inſpergere, poſtquam autem computruerunt æris flore cum melle expurgare; curatio autem etiam plumbo immiſſo fiat: & hæc de urendi modo ſatis.

Rolandi modus urendi.

Hipp. urendi modus.

Diligens & in hac operatione requiritur chirurgus, qui & ſit cautus, ne polypum urere ſe putans, excipiat vicinas partes. Validiſſimum itaque ad manum habeat famulum, qui caput patientis firmiter amplectatur, & quo minus movere ſe poſſit, teneat: cannulam

Cautio circa uſtionem.

nulam deinde valenter ipsi polypo applicet, ac ultimo ferrum igne candens adigat, post modo usitato procedat.

CAPUT XVII.

De processu in polypo cancroso servando.

DE cura polypi proprie dicti hæc sufficiant. Super est nunc, quoniam polypus etiam infestat secundum CÆLIUM cum carcinomate, ejus curandi, seu potius tractandi, methodum proponere; quam HIPPOCRATES medicorum princeps his verbis Aphoris. 38. sect. 6. tradit. *Cancros occultos omnes melius est non curare; curati enim cito pereunt: non curati vero longius tempus perdurant.* Hoc nihil verius dici posse, præter sequentes authoritates, ipsa veritatis mater experientia satis uberrimeque declarat, chirurgoque ut in eo procedendum, dilucide proponit.

Hipp. cancri curationem tradit.

VALESCUS de TARANTA ait, Si autem fuerit cancer, (*polypus scilicet*) melius est palliare, & dolorem mitigare cum anodynis, quam incipere curam, & promittere, & non attendere, ut multi deceptores faciunt. CELSUS, quæ καρκινώδες est, attingi non debet. LANFRANC. Incurabilis polypum nasum reddit durum, lividum seu nigrum, & magnam profunditatem tenet, quam quanto magis videris majori nigredine, majorique participare duritie, majoremque locum occupare, tanto plus existima ab eo fugiendum, quoniam naturam tunc tenet cancri; & quanto plus eum curare niteris, tanto plus videbis ejus maliciam augmentari, *Paulo post addit.* Ejus vero quem incurabilem diximus, non assumas curam: Si tamen rogaris nimis, palliantiam curam adhibe. MESUE, Si polypus fuerit cancrosus, cura ejus est difficilis: curatur tamen quandoque cum medicinis acutis & aliis, &c. PAULUS, malignos & pervicaces polypos candentibus ferramentis adurere consilium est, inde remediis ustioni dicatis. JACCHINUS, Si vero cancer sit integer, attingi non debet: at exulceratus, continue allui succo solani densato in vase plumbeo cum plumbeo pistillo, aut ex succo foliorum salicis: demum medicamento quod siccet citra calorem, hujusmodi est ex tutia, &c. *In Enchiridio medio chirurgico practico hæc verba leguntur:* Sunt enim quidam polypi maligni, qui ferro & validioribus medicamentis irritantur, & in

Valescus palliativam curam suadet.
Ejus candor.

Polypus quando non attingendus.

Lanfrancus palliantiam probat.

Paulus urit.

Jacchinus anodyna commendat.

Polypo cancroso blandiendum.

in cancros transeunt. Si ergo cum tactu irritantur, non sunt attingendi, sed eis blandiendum admotis topicis, quæ eorum maliciam domant, qualia sunt oleum vitellorum ovorum, solani, &c. CHALMETEUS, Si polypus seu caro supercrescens in ulcus cancrosum degeneravit: nec ferrum admovendum, nec ejus curatio tentanda, nisi ficta & fucata, ad quam rem nihil præstantius esse puto linimento sequenti. ℞ *Unguenti de plumbo, de succo solani an* ℥j *aquæ rosar.* ℥ß. *diutissime agitentur in mortario plumbeo, & liniatur affectus.* Hujusmodi enim linimentum temperat humoris acrimoniam, ac corrosionem maxime prohibet & siccat. VIGO, Si polypum per sua signa cancrosum esse cognoveris: prudentis medici est, ipsum curatione eradicativa nullatenus per medicamenta acuta tentare. Imo (*ut inquit* RHAS.) ipsum palliare medicaminibus blanditivis melius est, quam eradicare. Ipso enim existente canceroso, esset ipsum exasperare, & vitam ægrotantis abbreviare. Nam (*ut inquit* AVICENN. *authore* HIPPOC.) accidit cancer in quibusdam horis, ut sanetur incipiens, confirmatus vero non: & multotiens quidam accidit cancer interius occultus, & tunc est rectificatio in eo, quæ rectificatio est, ut non moveatur acuto medicamine, nec cum instrumento ferreo: quandoquidem si moveretur, fortasse ægrum ad festinam mortem perduceret: & si dimittatur, & procedatur curatione palliativa, fortasse prolongatur vita ægrotantis cum salute quandam.

Chalmetei linimentum.

Cancrosus irritatur acutis.

Cancer incipiens interdum confirmatus nunquam curatur.

Perficitur autem curatio palliativa, ablutione sæpius reiterata cum *sero caprino*, cui adhibitum parum *sacchari*, aut cum decoctione *hordeacea*, in qua ingreditur virtus *lentium* per decoctionem *plantaginis & solatri* cum modico *sacchari candi*. Istæ enim lotiones lavant, purgantque materiei acuitatem remittendo. Deinde facta hujusmodi lotione, summopere valet istud linimentum intus positum, cujus talis est descriptio. ℞ *Unguenti rosati omphac.* ℥iij. *Unguenti rosati, vel unguenti Galen* ℥ij. *succi plantaginis, solatri. an.* ℥viij. *Lithargyr. aur. argentei an* ℥js. *Tutiæ Alexandrinæ* ℥ß. *Cerussæ* ℥ß. Bulliant succi simul cum oleo & unguento prædicto, usque ad consumtionem succorum, deinde colentur, addendo *ceræ albæ* ʒvj. & iterum bulliant unica ebullitione, addendo reliquarum ingredientium singulatim unam post alteram, & omnia in mortario plumbeo simul ducendo per duas horas. Ultimo loco addantur *camphoræ* secundum artem trituratæ ℈ij. Item ad eandem intentionem valet *oleum de vitellis ovorum*, cum maxima doloris sedatione

Curatio palliativa quomodo fiat

Linimentum vigonis.

tione, ipſum diutius ducendo in mortario plumbi, & ſi cum ipſo adderetur parum *lithargyrii aurei & argentei*, parumque *tutiæ Alexandrinæ*, & tantundem *de lapide hæmatite* cum modico *ſucci plantaginis & ſolatri*, fieret vehementioris efficaciæ, cum exſiccatione & prohibitione putrefactionis, addendo in fine parum de *camphora*; erit magis inflammationis ſedativum. Ulterius invenimus in iſto caſu non parvam utilitatem infraſcriptum auxilium in forma liquoris habere. ℞ *Pomi granati acetoſi & dulcis* N ij. *Myrobal. citrin.* ℥ ß. *Folior. Plantaginis & ſolatri. olivar. ſilveſt. Caudæ equinæ an.* M ß. *Conſolidæ minoris tertiam partem unius manipuli. Zucchari Tabar.* ℥ ij. *Sapæ* ℥ iij. Omnia terantur ſubtiliſſime, deinde bulliant unica ebullitione, permanendo ſimiliter per duas horas, deinde coletur, fortiter exprimendo, & iterum ad ignem bulliant uſque ad mellis ſpiſſitudinem, & utere cum licinio.

Liquor.

His adjungo, ſi ex polypo ozena inſurrexerit, conſule curandi methodum, quam tibi, lector amice, tradit celeberrimus ille HILDANUS *centur.* 2. *obſerv. chirurg.* 22. *ad quam te relego; uti & ad ciſtam medicam* JOANNIS HORNUNG. *Teque coronidis loco hoc obſervare velim, ut quum tibi occurrit, qui naturam æmuletur cancri, cujus & ſigna tradita, ab eo caveas, ejus curationem aggredi ne lentes. Si vero ſecus feceris, ſopitos irritabis crabrones, ac fugiendo charybdim, incides in ſcyllam.*

Polypus ſolet degenerare in ozænam.

Authoris de cancroſo admonitio.

OBSERVATIO I.

De polypo ambas nares replente.

PArens meus p. m. LUDOVICUS GLANDORP Chirurgus Colonienſis, ibidem cereviſiarii cujuſdam filium annorum 10, polypo ex utraque narium parte propendente ad labia curandum ſuſcepit, radices erant circa oſſa Ethmoidea, odoratus & loquela depravata reddita. Conſtitutio ipſius capitis frigida & humida, unde & mali origo, hinc facilius quoque accreſcebat abſque tamen dolore: præſcripſit parens p. m. Apozema primo ſequens.

Apozema.

℞ Radic. polypod. querc. ʒ vj. Pœoniæ mar. ʒ ij. Enulæ ʒ jß. Cort. citri Aurantior. an. ℈ j. Herb. Betonic. Pri-

mulæv. an. M j. Salviæ, Rofmar. Amarac. an. P ij. Flor. Stæchad. Arab. P j. Sem. Anif. Fænic. an. ʒ jß. Uvar. corinth. lotar & incif. ʒ vj. Hordei mund. P ij. Cort. ligni Guaiaci ʒ ij. Salfæparill. Saffæphraf. an. ʒ j. *Bull. ex aqu comm. l. a. colat. infund. per N.* Rhabarbari optim. & repurgat. ʒ js. Folior. Senæ f. ft. ℥ ß. Agaric. trochifc. ℈ ij. Spic. gr. vij. *Mane ex fervore colat. fort. expreff. & clarif.* ℥ viij. *adde* Syrup. ex polypod. compof. de fumar. compof. an. ʒ vj. Aquæ cinamomi ʒ ij. *Mifce.*

Dofis. De quo alternis diebus ℥ ij. plus vel minus, alvi folutione tolerabili fuperveniente, affumfit. Finito illo mane & vefperi hoc decocto fudorifero ad ℥ iij. tepido ufus fuit.

Decoctum fudoriferum. ℞ Saffæphraf. ℥ ß. Salfæperill. ℥ j. Ligni Guaiaci ℥ ij. *His affunde aquæ claræ* ℔ iiij. *ftent in maceratione per D. & N. in fictil. poft coquantur ad confumt. med. in fine addendo* Flor. Stæchad. Arabic. P ij. Cinamom. morfu elect. ʒ ij. Uvar. Corinthiac. lotar. ℥ j.

Decoctum ordinarium. Colat. ℔ ij. ferv. ad ufum. Refiduo decocti adde & per N. affunde aquæ commun. ℔ vj. deinde bulliant ad confumt. tert. p. tum adde liquirit rafæ ℥ ß. Cinamom. acutiff. ʒ ij. Colatura fervetur pro potu ordinario. Diæta interim conveniens fervata, & corpus cibis euchymis nutritum. Portiones propendentes amputare, quoufque poterat parenti p. m. in animo erat, verum reformidabant aftantes: eapropter nunc unguentum Ægyptiacum, nunc Apoftolorum, nunc fpiritum Vitrioli, nunc Sulphuris oleum, dextre adhibebat, inferiores & circumftantes quoque partes folerter defendebat, atque ita paulatim portiones extra nares delatas affumebat, idque fine infigni dolore.

Diæta.

Polypus ut tractatus.

Polypi radices circa offa ethmoidea. Cum jam eoufque effet perventum, percepit radices circa Ethmoidea offa confiftere, ideoque difficiliorem curam cognovit futuram, partim cum ligatura nihil effici poffet, partim etiam quia medicamentorum adminiftratio difficilis ob narium anguftiam & carnis repletionem. Denuo peractis prius aliquot feptimanis in affumtione fudoriferi, ad Apozema perventum, quoniam caput adhuc humidum fatis, cui adjuncta hæc Cucupha.

Apozema reiteratur.

Cucupha. ℞ Flor. Lavendul. Salviæ, Cheiri, Anthof. Chamæm. R. Stæchad. Arab. an. P ij. Rofar. rub. P iij. Amarac. Mentæ,

tæ, an. Pj. Laudani depurat. ℥ j. Benzoi ℥ jß. Nuc. moſcat. Cariophillor. an. ℈ js. Spicæ ℈ ß. Trochiſc. Galliæ moſchat. Alyptæ moſchat. an. ℈ j.

Incid. cont. g. m fiat ex his cucupha reticulatim interſuta, quam de die noctеque geſtet. Hæc non ſine emolumento adhibita: poſt utramque aurem veſicatoria adminiſtrata, ac his tali modo caput exſiccatum, ut & tumor quaſi a ſe ipſo collabi & contrahi videretur. Interim tamen loco affecto *unguentum Ægyptiacum cum portione præcipitati*, tam dextre adhibitum, & circumvicinæ partes tanta cum induſtria monitæ, ut ne minima excoriatione tentatæ fuerint. Ubi jam polypus radice tenus exſtirpatus, pro conſolidatione linimenta cum unguento exſiccativo adhibita & cicatrix inducta, ſuffumigiis quoque non neglectis ex exſiccantibus convenientibus.

Polypus curatus.

Atque ita Divino annuente numine puer hic priſtinam ſanitatem, odorem quoque deperditum, necnon reſpirationem liberam cum loquela inculpata recuperavit, neque ab eo tempore unquam de affectu illo conqueſtus fuit: poſt decennium vero peſte obiit.

OBSERVATIO II.

De polypo propendente a latere oſſis naſi curato per ligationis modum.

NON ita pridem maritata, gravida inſuper, cum de viro ſuo, a quo ab aliquot ſeptimanis ſejuncta, nil literarum habuerat, quique autumnali tempore per mare iter ſuum direxerat, anxia ſollicitaque eſſet, ac cum fletu & gemitu hebdomadas illas peregiſſet, Coryza ad nares diu multumque profluente correpta fuit, hinc humor ille ſalſus & acris deſtillans per os Ethmoideum *(erat namque conſtitutio corporis bilioſa, cui tamen non nihil aduſtorum humorum permiſtum, ut temperatura & corporis actiones demonſtrabant)* ob crebras emunctiones exulcerationem quandam in interna narium parte cruſtam inducentem excitavit, quam dum aliquoties in die digito avelleret, ulcus inde obortum, quo neglecto Sarcoma ſucceſſit, indies accreſcens debellata coryza, quod tanquam inſolitum unguibus vellicabat, & ad ſanguinis uſque profluvium irritabat: hinc carnea illa excreſcntia magnitudinem majorem quotidie adepta, brevi inſtar fabæ, origine ſeu radice ſua circa os naſi lateris dextri dependente, reſpirationi & loquelæ incommodans, adaucta, inque polypum verſa fuit. Antequam me acceſſit, alios

Cauſa hujus polypi excoriatio.

Polypus augetur.

alios prius in consilium vocarat medicos, qui rem periculi, laboris ac molestiæ plenam pronunciaverunt, ac suæ professionis affectum talem haud esse, sed ad chirurgum exercitatissimum pertinere, affirmaverunt.

Author qualiter polypum invenerit.

Ad ædes itaque meas cum venissent, diligenter naribus expansis partem affectam inspiciendo, reperi polypum instar fabæ in latere dextro consistentem, pendulum, mollem, flaccidum inæqualitatibusque plurimis, instar polypi piscis pedum, donatum: color ejus non ex toto unus, verum aliquibus nigris maculis conspersus, cernebatur, vix dolorem inferebat, nisi quod loquelæ & respirationi impedimento, oreque aperto, quod & indies augmentum capiebat, dormire cogebatur. Ego affectus difficultatem & periculum significavi; ac ut alios, quum & ipse nondum satis bene ex quadrimestri morbo valerem, ea de re etiam consuleret hortatus fui. Verum instanter, ut quicquid Deus & ars concederet, suggereretque, idipsum nonmodo suaderem, verum & molirer, urgebat. Præscripsi itaque pulverem, cujus portio supra carbones injecta fumum excitaret, infundibuloque superimposito, naribus eundem idque quarto, vel tertio ad minimum in die exciperet, post quatuordecim dies ipsam invisi, quæsivique numne circa plenilunium majus percepisset incrementum, nullum, inquit, nisi quod indies accresceret, majoremque pareret molestiam: denuo inspiciendo, satis auctum inveni polypum. Tum in hanc perveniebam sententiam, me medicamento illo, quod a GALENO *lib.* 3. *secundum loca* summe decantatur, uti velle: verum cum nullum genus malorum granatorum haberi posset, mentem mutavi, instrumentumque excogitavi, per quod pulvis astringens & exsiccans cum levi mordacitate partim ad nares alterius ope posset inflari, partim ipsamet sponte attrahere: antequam autem id aggrediebatur, primo os aqua frigida replebat, ne, si forsan quidpiam ad fauces perveniret, damnum inferret, aut tussim excitaret. Hoc per aliquot dies adhibito potius declinavit, quam quod sit factus major: at sternutationes insignes obortæ fuere, ob materiæ acrimoniam, superveniente quoque circa os cribrosum & processus cerebri mammillares dolore gravativo, eapropter & ab illo destiti, frontique *ut cuminum contusum* apponeret, suasi.

Suffumigium præscribitur.

Autor instrumentum excogitat pro inflatione.

Pulvis sternutationem excitat.

Interna negliguntur remedia.

Internis medicamentis, quamvis quidem dabatur locus, *secundum* HIPPOC. 4. *aphor.* 1. & 5. *Aphor.* 29. iisdemque me non parum quoque effecturum sperabam: attamen nullis rationibus eo adduci poterat: ideo neglecta illa omnia, nec quic-

quicquam eorum adhibitum, ut & polypo per ſeptimanas fere duas nihil admotum, hinc accrevit, & e naribus ferme propendens viſus fuit. Aliquoties, ut liberarer ab iſta patiente, optavi: verum parens meus *p. m.* per litteras inſtigabat, ne manum amoverem (*ſumma namque familiaritas inter ejus maritum & ipſum erat*) meque obſervatione præcedenti conſolabatur, cujus etiam affectus multo exſtiterat periculoſior. Interea dum nihil adhibebatur, dolor capitis intenſior reddebatur, inſignis ſanguinis copia per os alternis diebus, idque tertio, evacuabatur. Hinc dolor mitigatus, reſpiratio autem ob inſignem polypi molem tam difficilis oborta, ut de nocte non raro ſuffocationem minaretur. Ideo propoſui ſectionem, eamque abſque ullo periculo peragi poſſe, & tutiſſimam eſſe, neque dolorificam, aſſerui: admittere & hanc noluerunt ob ingravidationem, & hæmorragia periculum una cum patiente mater ac aſtantes. Unguentum itaque vim habens cathæreticam ſeu eſcharoticam maxima cum ſolertia adhibeo, ne & vicinæ quoque lædi poſſent partes, eas *unguento albo camphorato* illino; ex cujus uſu eſchara circumcirca inducta, quem ſub veſperam butyro filamentis carptis inunctis, tango, mane *forcipe* ad id aptata *cochlearis inſtar* polypum apprehendo, eſcharamque ratione butyri emollitam, quo blandius abſcederet, detraho: quod ſi vero eſchara nimis tenax & profundata, in uſu butyri perſtiti. Nam quamvis medicamentum corrodens denuo cruſtæ ſeu eſcharæ apponerem, nihil tamen eo in loco, ubi incruſtata cernebatur caro efficere potui quin prius idipſum quod mortificatum erat a præcedenti applicatione corroſivi, ablatum: quod quamvis a medico quodam doctiſſimo, qui & medicamenta pro exſtirpatione tranſmiſerat, improbabatur, ea ratione ductus, ac ſi interea nova caro regeneraretur ſub eſchara, ibique repullularet, ego tamen more inchoato non abſque felici ſucceſſu progreſſus fui. Hic modus cum notabili imminutione continuatus, verum ante partus tempus eradicari totaliter non potuit, ideo deſtiti: cum & ſternutationem valentem admotio unguenti excitaret, interdum tamen ſolo *ſpiritu vitrioli* leniter excepi.

Hæmorragia oboritur.

Author ſectionem proponit.

Unguentum cathæreticum.

Eſchareticum eſcharæ impoſitum nullius eſt efficaciæ.

Author conſueto more procedit feliciter.

Enixa jam, ac lochiis bene expurgatis, concidit aliquantulum tumor; cum exinde venæ exhaurirentur: at deinde uno accrevit. Poſt ſex itaque a partu, & a mali initio, uti ipſamet computabat, triginta tres ſeptimanas rurſum vocatus, adverſus ſolis radios poſita ægra, nares dilatando, invenio, inæqualitates ante aſſignatas majores dürioreſque redditas, ſuaſi-

Author post partum denuo sectionem proponit.

si imo petii, ut sectionem, quam ego instrumento HIERON. FABRITII ab Aquapendente, aut *cultello falcato* aggredi volebam, concederet, hancque tutissimam, nec dolorificam, & cum minori molestia, quam causticorum applicationem adhiberi posse, affirmabam : reformidabant & ægra & astantes absentiaque mariti excusabant. Unguentum itaque FELICIS WIRTZ adhibeo corrodens ; verum non talem, qualem sperabam, & ipse promittit, eventum dabat, ideo meum superius administratum appono, quo nullum in effectu præstantius reperi : *oleo quoque Sulphuris, Tartari, spiritu Vitrioli & similibus tetigi*, minorem quoque & illa escharam induxerunt. Tandem maritus medicamenta quædam transmittit, suadetque per literas, ea adhibenda ; verum liquorem, quo debebat excipi, *pro oleo Mercurii*, aut *solutione capitelli* habebam.

Author unguento Wirtzii utitur.

Maritus medicamenta transmittit.

Author dolorem lacte sedat.

Quare cum de eo essem dubius, aciem acus oleo immisi seu liquori, leviterque affectum tetigi : dolor intolerabilis, quem *lacte muliebri* per nares attracto demulsivi, obortus, ut ab ejus applicatione desisterem, petiit. Viderunt itaque facilius esse, in absentia multa præscribere, & transmittere quam in præsentia unum ex iis tuto, cito, & jucunde applicare. Sereno tandem existente cælo, instrumento ad id excogitato, naribusque immisso, radicem duntaxat, circumcirca apprehendo, ac exteriora versus narium expello : denuo urgeo sectionem, vel instrumento Aquæpendentis, vel cultello incurvo in formam semilunæ, quæ omnia in promtu erant. Ut antea ita & nunc hoc recusant. Ultimo ad propositum conveniens instrumentum fabrico, quocum radicem circumcirca ligavi. Hamulum scilicet incurvo cuspide, pomulo oculato, per quem filum sericum inceratum transegi, firmiterque injecto nodo intortoque filo cum duobus aliis specillis circum ligavi septimæ Julii, interdumque aliquid butyri adhibui, alternisque diebus constrixi, 16 ejusdem mensis, cum filum arctius contraherem, excidit polypus, & vix cochlearia duo sanguinis effluxere. Linteamina combusta ad manus erant, quorum portionem adhibui, altera die nil reliquiarum conspexi : ideo sigillationem empl. diapompholyg. superasperso pulvere meo epulotico, induxi, feliciterque, *proquo DEO O.T. M. sit honor laus & gloria in sempiterna secula, curata evasit.*

Author instrumento ad id invento radicem polypi ambit. Denuo sectionem urget.

Tandem ligaturam instrumento a se invento adhibet 7 fit ligatura. 16 decidit polypus,

& curatur.

INDEX.

INDEX.

ACori radix valet in polypo pag. 23
Æginetæ remedium pro polypo ibid.
Æginetæ secandi modus 27
Aetius varia præscribit 23
Alcaisin 3
Apozema in polypo, 35. reiteratur 36
Aquæpendentis laus, 28. Ejus instrumentum omnia simul una vice agit 29
Aqua fortis absumit polypum 35
Arlada Parac. arcanum 25, 31
Atramentum sutorium pro polypo 23
Author considerat tantum nasi structuram quatenus chirurgus 4
Author varia quidem proponit medicamenta, at cum cautione 21
Authoris experientia circa remedia, 26. Ejusdem annotatio de oleo mercurii, ibid. Ejusdem Epilogus de usu medicamentorum ibid.
Author varios secandi modos proponit ibid.
Author Aquæpendentis instrumentum inter sua habet 29
Authoris secandi modus ibid.
Authoris de polypo cancroso admonitio 35
Author qualiter polypum invenerit, 38. Suffumigium præscribit, ibid. Instrumentum ad insufflandum excogitat, ibid. Sectionem proponit, consueto suo more procedit feliciter, 39. Sectionem post partum denuo proponit, 40. Unguento Wirtzii utitur, ibid. Instrumento a se invento polypi radicem ambit, ibid. Denuo sectionem urget, ibid. Tandem ligaturam suo instrumento adhibet ibid.
Bertapalliæ pulvis in polypo 23
Bertrucius polypum fico assimilat 16
Brassica erratica polypum absumit 25
Brunus post incisionem cauterizat 28
Cancerosus irritatur medicinis acutis 34
Cancer incipiens interdum, confirmatus nunquam sanatur ibid.
Caro errans facilius, quam naturali modo se habens augetur 18
Cartilago in sectione non lædenda 27
Causa polypi excoriatio 37
Cauterium in Suhendegh 20

Cauteria

Cauteria conducunt, & quomodo applicanda pag. 25
Cautela in adhibitione cauterii 34
Cerebri processus mammillares 3
Celsi medicamentum in polypo 23
Chalmetei linimentum 34
Contra naturam & præter naturam ut differant 7
Crista galli 3
Cribrosum os ibid.
Cucupha 36
Cucurbitulæ adhibendæ 21
Cura palliativa quomodo fiat 34
Decoctum Guaiaci quando & quibus conveniat 21
Decoctum sudoriferum in polypo 36
Diæta in polypo ibid.
Dolorem sedat author lacte 40
Epulis 18
Escharoticum escharæ impositum nullius est efficaciæ 39
Fernelii accurata de polypi generationis modo sententia 17
Ferraræ secandi modus 27
Filum nodosum ex lino Albuc. 28
Fili nodosi opuratio crudelis 29
Filo serico polypus intercipitur 31
Galenum medicamentum ex malis punicis, 22. Eo quomodo utendum, ibid. Mesue idem describit, ibid. Jacchinus idem medicamentum exactius tradit ibid.
Generaliora adhibenda ante topica 20
Glabella 1
Hæmorrhagia oboritur 39
Hildanus polypum filo abscindit 31
Hippoc. exscindendi polypum modus, 26. Ligandi modus, 30. urendi modus 32
Hipp. cancri curationem tradit 33
Jacchinus ligaturam Galeni laudat, 22. Anodyna commendat 33
Indicationes ab humoribus, 19. Aliæ ex vulnere, &c. ibid.
Interna remedia negliguntur 39
Joannes Andreas a Cruce de filo nodoso 29
Lamponis medicamentum pro polypo 24
Lanfrancus palliantiam curam adhibet 33
Ligatura omnium modorum exstirpandi polypum optimus 30
Ligatura ex quibus fiat ibid.
Ligatura fit ab authore 7 Julii, & 16 decidit polypus 40
Luff semen Serpentariæ 23
Lusitani emplastrum 25
Malicorium valet in polypo 22
Mesue modus exscindendi polypum 27
Nasus quid, 1. Partes habet externas & internas, 2. Ejus cutis ibid.
Nasi pinnæ, ib. Columna, ib. Globulus ibid.
Nasus pinguedine caret, ibid. Duplices muscul. ibid. Ossa ibid.

Nasi os ethmoides ex quadruplici constat ossium genere pag. 2
Nasi isthmus, 3. Cartilagines quinque, ibid. Thalami, Rhothones, ibid. Torcularia ibid.
Nasus cur osseus & cartilagineus, ibid. Cur duo foramina ibid.
Nasi venæ, ib. Arteriæ, nervi, tunica interna, ib. usus 4
Notandum quæ circa medicamenta fluida 21
Nycticorarem in polypo commendat Apollon. 24
Os spongiosum 3
Ossis frontis cavernæ ibid.
Patientis maritus medicamenta transmittit 40
Paulus urendum asserit 33
Philagrii medicina pro delicatioribus 24
Pigræus a reliquis distat, 6. Commendat Sabinam, 26. Modum non per sectionem sed circumactionem proponit 28
Pilo equino polypus intercipitur 31
Platerus consentit cum Fernelio 17
Polypi descriptio 4
Polypi piscis varia nomina, 10. Varia genera ibid.
Polybus morbus unde dicatur 11
Polypum hæmorrhoidas appellat Rhases 12
Polypus Scorpioni assimulatur ab Albucas ibid.
Polypi narium exacta comparatio cum polypo pisce ex Lanfranco ibid.
Polypus quas narium partes afficiat, 13. Ejus situs, ibid. Ad quod genus morbi referatur 14
Polypus quæ caro dicatur proprie, ibid. Ejus differentia a curunculis ibid.
Polypum cum ozæna confundit Horat. ibid.
Polypi quinque sunt species ex Hipp. 15
Polypum secundum quatuor humores distinguit Forestius ibid.
Polypi causa proxima, 16. Post quas oriatur ægritudines ibid.
Polypi materia non semper est acris, ib. Plus de frigidis quam calidis humoribus, ib. Ejus causa ex Galen 17
Polypus fit ex narium nutrimento ibid.
Polypi duplicem Piso statuit generationis modum ibid.
Polypus caro est errans 18
Polypus quis facile & difficulter curetur ibid.
Polypi qui attingendi, ibid. Quando non attingendi, ib.
Polypi causa omnium primo investiganda 19
Polypus serico filo intercipitur 31
Polypus piscis ustus valet ad polypum 22
Polypodii radix valet ad polypum 23

Poly-

INDEX.

Polypo cancroso blandiendum pag. 33
Polypus quando non attingendus ibid.
Polypus ex utraque narium parte propendens 35
Polypus ut tractatus ab authore 36
Polypi radices circa ossa ethmoidea ibid.
Polypus solet degenerare in ozænam 35
Polypus curatus 37
Polypus augetur ibid.
Præcipitatis pulvis Vigonis commendatur 26
Pulvis sternutationem excitat 38
Recidiva polypi post annum 31
Reliquiæ ut auferendæ ex Albuc. 28
Rondeletii aqua in polypo 25
Rote Benitz ibid.
Rolandi urendi modus 26
Rulandus aquam mercurialem commendat ibid.
Rutæ succus laudatur in polypo 23
Serpentariæ succus & radix valet ad polypum 22
Serratura Valesci 27
Secandi polypum modus Garigæ, &c. ibid.
Sinapi remedium pro polypo 24
Suffumigia laudat Platerus 25
Suhendegh quid 20
Taliacotii sententia de filo nodoso 29
Trochiscorum Alcadicon confectio 23
Valescus palliantiam curam adhibet, 33. Ejus candor, ib.
Vibrissæ, 2. Eis evulsis hæmorrhagia ibid.
Vigo proponit instrumentum cannulatum argenteum 32
Vigonis linimentum 34
Vitrioli spiritus & oleum absumunt polypum 36
Unguentum Apostolicum valet ad polypum 22
Vomerem os referens 3
Ustioni vis in est non aspernanda 31

FINIS.

Gazophylacium Polyplusium

Fonticulorum & Setonum,

Reſeratum per

Matthiam Glandorp, Ubium, U. M. D.
& Reverend. Archiepiſcopi Bremenſis medicum.

E quo variæ illorum dotes, loca, inſtrumenta, modi inſigendi diverſi, conſervandique depromuntur; ſimulque 4 tabulis non minus neceſſariis quam utiliſſimis æri inſculptis in medicorum & chirurgorum gratiam explicantur.

NOBILISSIMO ac STRENUO VIRO,

D^no. *Johanni Salvio*,

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini GUSTAVI ADOLPHI, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Regis, Magni Principis Finlandiæ, Ducis Eſthoniæ Careliæque, nec non Ingriæ Domini, Conſiliario intimo, Secretario ſtatus, Legato ad Saxoniæ inferioris & Weſtphaliæ circuli ordines, nec non reſidenti ordinario Hamburgi, Domino in Alatzkiwi, Tuling & Croppenhoff, Domino favitorique ſuo obſervando atque colendo.

NON dubium eſt, VIR NOBILISSIME & STRENUE, remedia quamplurima, & ſi ſaluberrima tam medica quam chirurgica non modo ab imperitis, ſed & ab illis, qui ſibi altum ſapere videntur, profanari, imo nullius precii eſſe, ac pro exitioſis haberi: e quorum numero & illud auxilii

 genus,

genus, quod nunc vulgato more fontanella, ab antiquis vero ac priscis cauterium dictum, existit, temporeque HIPPOCRATIS medicorum antesignani, qui 400 annis ante Christum natum floruit, nec non monumenta sua de illis posteritari reliquit, in usu frequentissimo fuit. De quo quam varie varii sentiant, idipsum meæ praxis curriculo hisce in locis expertus: hic potius sub jugum flebile mortis, quam tali inusitato & quodammodo inaudito, novo, ac raro apud illos remedio a gravissimis morborum insultibus liberari, alleviari, curari, ire contendit, alter e contra mille difficultates ex anilium & versipellium muliercularum colis divulsas exaggerat, utilitates nullus nisi expertus, promere, agnoscere, deprædicare novit.

Quæ miserrima hujus nostri seculi deplorati ac decrepiti conditio, in quo, quot capita tot sensus, me instigavit, divini & miraculorum pleni auxilii chirurgici laudes e tenebris in lucem pro virili extollere. Interim, dum Gazophylacium hoc polyplusium fonticulorum & Setonum refero, eorumque virtutes expando divulgoque non me fugit, quamplurimos futuros, quibus non modo thesaurus hic sordebit, verum & qui eundem tamquam rem rusco horridiorem & alga projecta viliorem æstimabunt. A quo auspicio infausto, moribusque sinistris, ut liberetur, proposui mercatorum

torum usitatum ac receptum morem reassumere. Ut enim hi (si magna componere parvis licet) ubi holosericum, aut alias etiam res minus pretiosas compararunt, quasque rursum venum exponere satagunt, illarum frontispicio lacinias quasdam aureas, quo τ̃ ἐμπόρων animos facilius allicefaciant, annectere affigereque solent. Ita & mihi, quo splendidior hic thesaurus prodeat ac momorum duræque servicis mentes demulceri ac inescari queant, Gazophylacio meo polyplusio fimbriam quandam, ast eam non auream, neve argenteam, neve sericeam, sed personæ cujusdam splendore fulgentem antedictorumque valorem multis parasangis superantem adjungere affigereque placuit.

Quem nitorem corruscantem animosque intuentium allicientem si in alia, certe in tua, vir Nobilissime & strenue, persona invenire licet, utpote quæ Regum Principumque gratia non modo stipata, sed & singulari heroica virtute, mira ingenii acie, constantiaque prædita,

---Tantum supra caput extulit omnes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Concede itaque hisce meis laboribus, vigiliis ac observationibus diligentissimis acquisitis, auxilium,

auxilium, ubi vires desunt, petentibus, nominis tui splendorem rutilantem præfigi; sis, quæso, ridica seu pedamentum, cui hæ meæ curæ innitantur, ne humi rependo malevolorum pedibus conculcentur; umbra tuarum virtutum & humanitatis, ne amaræ linguæ sentiant prælia, contegas, hilarique fronte chartaceum hoc munusculum, ea, qua datur, mente, arripias, oro, obtestor: idque ut unice mihi cupio, ita & cuncta felicia tibi tuisque deprecans, D. O. M. ut virtutes, dignitates, actionesque tuas omni tempore & loco secundet, fortunet ac locupletet, supplicabo. Bremæ e Museo meo Machaonico, an. 1632. d. 8. Octobris.

Nobiliss. & stren. D. T. addictissimus,

Matthias Glandorp, D.

In Gazophylacium Polyplusium Fonticulorum & Setonum, reseratum per MATTHIAM GLANDORP, Ubium, U. M. D. & Reverendiss. Archiepiscopi Bremensis medicum.

QUum nihil proficiunt medicamina, sumere ferrum,
Si ferrum sit iners, rem gerere igne jubet
HIPPOCRATES: leviora quidem levioribus aptans,
Præsidia; at magnis asperiora malis.
Nempe petenda salus ex ipsis sæpe periclis,
Et multum ut prosis, fac nocuisse parum.
Ure, seca, *(licet hoc tibi)* persode pellem;
Viscera quod peccant membraque, plecte cutim.
Magna bona exiguo si sunt redimenda dolore,
Qui recte facit hoc, mente manuque valet.
Qui facit, & docet; is numeros impleverit omnes:
Hoc tu, GLANDORPI, palmam in agone feres.
Dum scribenda facis, scribis facienda, quid obstet?
Quin tibi jam circum tempora laurus eat.

ANTONIUS GUNTHER BILLICH, Med. L. & Comit. Oldenburg. medicus.

AU-

AUTHORUM NOMINA.

Abraham Seiler.
Actuarius.
Aetius.
Aggregator.
Albucasis.
Alciatus.
Alexand. Benedictus.
Althomarus.
Ammonius.
Andernacus.
And. Perusinus.
Ant. Cermosin.
Antyllus.
Aquapendens.
Archigenes.
Aretæus.
Arnaldus.
Aristoteles.
Avicenna.
Banisterus.
Bartholinus.
Bauhinus.
Bellonius.
Beroaldus.
Bertapalia.
Bertrucius.
Breul.
Canamusali.
Capivaccius.
Celsus.
Chalmeteus.
Cordus.
Claudinus.
Columella.
Crato.
Dioscorides.
Dodonæus.
Fallopius.
Fernelius.
Ferrara.
Ficinus.
Fienus.
Fontanonus.
Forestus.
Franc. de Pedemonte.
Galenus.
Gattinaria.
Georg. Behr.
Gesnerus.
Gordonius.
Gorrhæus.
Guido.
Halyabbas.
Helidæus de Paduanis.
Henricus.
Herculanus.
Herodotus.
Heurnius.
Hier. Brunswicensis.
Hildanus.
Hippocrates.
Hochstetterus.
Hollerius.
Holtzemius.
Horstius.
Jacobus Sylvius.
Jesu haly.
Joan. And. a Cruce.
Joan. Nævius.
Ingrassias.
Isodorus.
Lanfrancus.
Laurentius.
Leonh. Doldius.
Ludoic. Duretus.
Ludoic. Glandorp.
Lusitanus.
Marianus Sanctus.
Matthiolus.
Matthias Stoius.
Mercurialis.
Mesue.
Mercatus.
Melchior. Welandus.
Mizaldus.
Nicocrates.
Nicolaus Massa.
Novicomensis.
Palmarius.
Pancirollus.
Paparella.
Paracelsus.
Paræus.
Parisinus.
Paschalius.
Paul. Ægineta.
Pavius.
Peccettius.
Petræus.
Pet. von der Stille.
Pernumia.
Phædron.
Philadelphus.
Pigræus.
Piso.
Placentinus.
Platerus.
Plinius.
Plutarchus.
Prosper Alpinus.
Quercetanus.
Rhasis.
Rhenodæus.
Rieff.
Riolanus.
Rogerius.
Rolandus.
Rondeletius.
Sala.
Sanctorius.
Saxonia.
Sennertus.
Serapio.
Simon Bergerus.
Solenander.
Spigelius.
Tertullianus.
Theodoricus.
Trallianus.
Turnebius.
Valescus.
Vesalius.
Vigo.
Volcherus.
Weikardus.
Weckerus.
Wirtz.
Zwingerus.

Gazo-

Gazophylacii Polyplusii

DE

FONTICULIS

ET

SETACEIS.

CAPUT I.

Quid cauterium & quotupliciter ſumatur.

De fonticulis vulgo cauteriis dictis, & ſetaceis, ſub divini numinis auſpicio ſcripturus, non a ſcopo me multum aberrare confido, ſi cauterii etymon ſpectantia prius enuclearem.

Cauterium quid.

Καυτήϱιον, teſte definitionum medicarum Gorrhaeo, eſt, quod habet vim urendi. Dicitur cauterium, ſecundum Isodorum, *lib.* 20. *cap.* 16. quaſi cauturium, quod urat, & provida ſit in eum (*equum*) ſeveraque cautio, ut, dum videtur, cujus ſit, avaritia refrenetur: interdum pro ſigno, interdum

pro cura adhibetur, quo vis morbi ignis ardore ſiccetur. PARACELSUS **von offenen ſchaden und geſchweren**, cap. 8. *de malo mortuo ita definit.* Cauterium **iſt nicht ein gluend eiſen**, ſed cauterium **iſt, das eine haut vom fleiſch hinweg zeucht, nicht das einem eine blatter aufzeutch**, ut cantharides, & flammula, &c. ſed quod cutim abſtrahit a carne.

Quotupliciter ſumatur.

Verum cauterii vocem quadrupliciter conſideratam a ſcriptoribus invenio. Primo enim ſumitur pro *medicina ſeu medicamento*, urendi poteſtate donato. Sic HOLLERIUS *inſtit. chirurg. lib.* 2. *cap.* 1. ſumſiſſe videtur: ubi inquit, Et medicamenta, quæ aperiunt, cauteria quædam ſunt, natura certe cauſtica. Secundo pro *inſtrumento* Græcis καυτὴρ dicto: Nec modo pro inſtrumento chirurgico, verum & alteri uſui inſerviente ſumtum videtur, ſive id ſimpliciter conſideretur, tanquam frigidum & non ignitum, pro quo & accepit HIPPOCRAT. teſte HEURNIO, *lib.* 1. *meth. medend. ad praxin*, ſive etiam pro calido & ferventiſſimo. GUALTER. RIEF **in ſeiner groſſen** *chirurgia* **ſetzet**, *cauteria* **ſein die obgeſatzten** *inſtrumenta*, **welche man gluendich machet, damit zu** *cauteriſiren*, **oder zu brennen, daes die noht erfordert.** LANFRANC. *doct.* 3. *cap.* 18. cauterium ſimiliter pro inſtrumento habet. PARAEUS, *lib.* 18. *cap.* 27. de cauteriis principaliter, quatenus ſunt inſtrumenta tractat: SALMUTH vero in PANCIROLLUM commentatus, titulo de *Encauſto*, cauterii ſignificationem ad pictoria inſtrumenta transfert: inquiens, Sunt enim cauteria, quibus pictores olim ceris pingentes, picturam tabularum inurebant. TURNEB. *lib.* 8. *adverſ. cap.* 9. chirurgorum quoque inſtrumenta ſive ferramenta, quibus ignitis & candentibus, putridæ uruntur carnes & ulcera, cauteria dici aſſerit. Hinc & cauteriata conſcientia apud Apoſtolum, quaſi cauterio notata, qualis eſt in hypocritis, ut BEROALDUS, ad *Apulejum*, *lib.* 7. Mileſiacarum interpretatur: & in Moralibus ſcribit PLUTARCHUS, Cyrenenſium tyrannum NICOCRATEM, ne quis civium ſævitiam ſuam aufugeret, portis cuſtodes appoſuiſſe, qui etiam mortuos, dum efferentur, pugiunculis & cauterio ſcrutarentur. Cui non abſimile eſt, quod TERTULLIANUS ait in apologetico: Riſimus, & inter ludicras meridianorum crudelitates, Mercurium mortuos cauterio examinantem. Pro *canterio* enim, quod nullo ſenſu, & certe inepte erat poſitum, cauterium legendum, ALCIA-

TUS

TUS monet. In peragendis quippe fabulis, si cædes intercedebat, destinabantur in eam rem damnati, ut non ex ingenio, sed ex rebus ipsis populo vera exhiberentur. Si ergo Mercurii persona esset repræsentanda, præsto erant cadavera gladiatorum, ut personatus ille Mercurius candenti cauterio mortuos perscrutaretur.

3. Tertio accipitur cauterii vox pro ustione ipsa, ut confirmat HEURNIUS, *instit. med. lib.* 12. *cap.* 5. his verbis: Cauterium combustio est ab igne imperfecta: quod & repetit, *lib.* 3. *methodi medendi ad praxin. cap.* 11. Idem & sentit MERCURIALIS, *lib.* 4. *cap.* 1. *de lue venerea & vitiis articulorum:* inquiens, Cauterium nihil est aliud nisi ustio facta in parte vel a medicamentis ustoria facultate præditis, vel ab igne candente. LANFRANC. *doct.* 3. *tract.* 3. *cap.* 18. inquit: Cauterium duobus modis dicitur, large & stricte. *Large* dicitur cauterium omnis *coctura*, quæ fit in corpore humano, sive fiat a re actuali, ut ferro, vel auro, vel alio metallo, vel aqua, vel oleo calidis, vel medicina caustica comburente, sive fit simplex, ut *cantharides*, *allium*, *&c.* & composita ex his facta. *Stricte* dicitur cauterium, quod fit ex ferro solum, vel auro, argento, vel aqua, oleo, propter cocturam artificiliater calefactis.

4. Quarto sumitur cauterium pro fonticulo ipso. Sic JOHANNES DE VIGO, *lib.* 8. *cap.* 15. per cauterii nomen fonticulum, qui vel actualiter vel potentialiter producitur, intelligit. Similiter & ANDERNACUS *de veteri & nova medicina*, *comm.* 2. *dialog.* 8. cauterii nomen pro fontanella habet, & SOLENANDER *conf.* 15. *sect.* 3. ait: Non tam necessarium arbitror, ut ista alia cauteria tanquam emissaria fiant, &c. *Idem. conf.* 13. *sect.* 2. Cauterium, quod fontanellam vocant, probo, & laudo. MERCURIALIS *in prælect. Patavin. de imaginibus*, *cap.* 33. *lib.* 1. Superest inter medicamenta unum, quod solet esse in usu apud omnes practicantes, scilicet cauterium. HELIDAEUS DE PADUANIS *in consil. a* SCHOLTZIO *editis*, *conf.* 80. inquit: Fiat cauterium actuale in sutura coronali. CAPIVACCIUS *conf.* 99. excitentur deinde duo cauteria, alterum in brachio, reliquum in crure. JULIUS CAESAR CLAUDINUS, *respons.* 43. Cauterium latius & pressius sumitur. *Latius* nomen cauterii sumitur pro ulcere a materia caustica in aliqua corporis nostri parte, ut effectu a sua causa, derelicto. Atqui ut summatim contrahendo vela concludam: plerique

omnes, ubi de fonticulis ſermonem inſtituunt, cauterii nomine fontanellas, inter quos recentiorum non pauci, intelligunt. Videmus namque in ſcriptis allegatorum & aliorum, ubi fonticulum ſuadere intendunt, cauterium inurendum & geſtandum pronunciant. Verum magis appoſite, judice me, diceretur, fontanella fiat in capite, brachio vel crure, quam cauterium: atque ſic diſtingueretur efficiens ab effectu, ſeu cauſans a cauſato.

Cauterium & cauterizatio differunt.

Porro differunt inter ſe cauterium & cauterizatio, in eo, quod *cauterium* proprie dictum eſt inſtrumentum igne rutilans: *cauterizatio* vero eſt ipſa actio, quæ fit mediante inſtrumento illo igne candente, eſcharam inducens, qua ablata, ulcus producitur: exiſtitque combuſtio imperfecta, igne rite & decenter exſiccationis, & corroborationis, & evacuationis gratia facta. Hic combuſtio eſt formale genus hujus actionis, teſte PERNUMIA, *lib.* 5. quia differt ab aliis ingeniis medicis. Præterea ubi dicitur eſſe combuſtionem imperfectam, notatur, cauterizationis genus non eſſe quamcunque combuſtionem, ſed eam modo, quæ imperfecta eſt, cujus ſcilicet finis eſt, rem combuſtibilem uſque ad carbonis immutare naturam, non autem ad ultimum combuſtionis terminum, incinerationem ſcilicet, immutare ſeu perducere. Et hoc eſt illud, quod ait GALENUS, 5 *ther. cap.* 4. cauterium ideo applicari, ut res vertatur in eſcharam aduſtam, quæ habet rationem carbonis: ſequitur *cauſa efficiens*, ignis ſcilicet, vel actualis vel potentialis, qui nonniſi a calore actuatus naturali operatur: *rite & decenter facta*, additur, quo ars & experientia exercendi notatur: ultimo, vel *exſiccationis* vel *corroborationis* vel *evacuationis* gratia: hi ſunt effectus cauterizationis principales, quas in operatione tali ſpectat gnarus chirurgus: *de quibus in ſequentibus latius.*

Combuſtio imperfecta, quæ.

Incinerationis ultimus combuſtionis terminus.

Cauterizatio quid, & ejus differentia a ſinapiſmo & dropace.

Idem PERNUMIA hanc cauterizationis definitionem tradit: Cauterizatio eſt actio medica actioni dropacum & ſinapiſmorum maxime ſimilis & conformis: differunt ſecundum magis & minus, cum ſint gradus quidam uſtionis. PARACELSUS *loco citato, cap.* 27. *de nacta inquit:* Cauterizatio eſt, quando aliquid ferro vel alio metallo aduritur. MARIANUS SANCTUS *in libro ſuo quidditativo* cauterizationem vocat potentiam quandam igneam ex calido & ſicco in materiam quandam redactam. GUIDO DE CAULIACO, *tract.* 7. *doct.* 1. *cap.* 3. cauterizationem eſſe dicit manualem operationem cum igne factam artificialiter in corpore humano

humano ad utilitatem determinatam. *Et hæc de cauterii ſignificatione propria & impropria ſatis: proprie namque eſt vel medicamentum vel inſtrumentum, improprie uſtio ipſa & ulcus ſeu fonticulus.*

CAPUT II.

Quotuplex cauterium proprie dictum.

Cauterium proprie dictum eſt vel inſtrumentum vel medicamentum.

CAuterium proprie dictum conſideratur dupliciter: vel enim denotat *inſtrumentum*, vel *medicamentum*; hoc *actuale*, illud *potentiale* dicitur. Actuale eſt inſtrumentum vel ex metallis, radicibus, lignis, ſtercoribus & ſimilibus confectum. Potentiale conſtat vel ex ſimplicibus vel compoſitis, de quibus, cap. 4. fuſius. Confirmant hanc ſententiam authoritates medicorum & chirurgorum non aſpernandæ: ut HIERONYMI BRUNSUICENSIS, *tract.* 2. *cap.* 6. ubi hæc verba leguntur: **Der eine Sin, das da geſchicht mit ſcharffer arkeney, als da iſt mit** vitriol **gebrant oder ungebrant, oder mit lebendigem kalck. Der ander Sin iſt mit einem gluenden eyſen oder gold, der iſt gezem den erſcheinenden aderen.** MERCATUS, *lib.* 1. *de recto præſidiorum artis medicæ uſu*, cauterium ſub nomine ignis comprehendit, quem ait eſſe actu vel potentia. Inſuper vide & conſule de his WECKERUM, *lib.* 4. *pract. med gener.* 32. VIGONEM, *lib.* 8. HOLLERIUM, *lib.* 2. *inſtit. chirurg. cap.* 2. FRANC. DE PEDEMONTE, *cap.* 3. SENNERTUM, *in inſtit. lib.* 5. *part.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 10. PARAEUM, *lib.* 25. *cap.* 32. HEURNIUM, *meth. ad praxin, lib.* 1. SOLENANDRUM, *ſect.* 2. *conſ.* 13. CLAUDINUM, *reſponſ.* 43, *&c.*

CAPUT

CAPUT III.

Quid cauterium actuale, ejus materia, & quomodo veteres ustiones suas perfecerint.

Actuale cauterium quid.

ACtuale cauterium est, quod actu ipso, quum primum modo parti, cui convenit, adhibetur, operatur. PETRUS **von der Stille**, in explicatione verborum Latinorum Germanica, ita definit actuale cauterium, inquiens. **Ist ein heiß eysen, damit man die blutenden aderen brennet, und die** fontanellen **macht.** Dicitur actuale, eo quod, teste LANFRANCO, *doct.* 3. *tract.* 3. *cap.* 18. comburit absque eo quod in ipso calor suppositi corporis operetur, hancque suam operationem perficit, quatenus actu ignitum est & candens: deque se tres potissimum a 1. materia, 2. forma, & 3. caloris gradu desumtas differentias promit. Quantum ad primam, PETRAEUS *in enchiridio chirurg. cap.* 15. materiam cauteriorum ait esse vel duram & siccam, vel mollem & liquidam. CLAUDINUS vero *resp. med.* 43. materiam considerat, quatenus ea est vel solida vel liquida, vel mediæ consistentiæ. *Solida* materia quæ & dura dicitur, sumitur vel a 1. *metallis*, auro, argento, ære, ferro, chalybe, &c. vel a 2. plantis, vel ab 3. animalibus. Ex solidis alter hanc, alter illam eligit & præfert. Sic ALBUCASIS, *lib.* 1. *cap.* 1. ferreo cauterio locum primum tribuit, hoc enim extremum & medium caloris gradum sustinet. LANFRANCUS *loco citato* ferrum laudat. AVICENNA, *Fen.* 4. 1. *cap.* 29. cauterium ex auro præfert, quia in corpore raro non æque potens ignis, se suamque vim explicat; *addit*, quia idem aurum cum microcosmo similitudine quadam gaudet, clementius urit, & a proprietate roborat, escharamque tam aurum quam argentum reddit molliorem, & cicatricem formosiorem, adhæc nec oculis ignis color in auro candente adeo percipitur. ARNALDUS similiter in membris teneris aurea cauteria extollit. MERCATUS candens aliquod instrumentum magis probat confectum ex ferro, quam ex alio quovis metallo. AETIUS quoque dicit, veteres cauteres ferreos igni candefactos in usu habuisse. PERNUMIA, *lib.* 5. *ait:* ubi non multum erit adurendum, eligimus

Actuale cauterium tres habet differentias.

Ferrum alio quovis metallo præfertur.

mus materiam ex ære; si multum, ex ferro, quod æs tenuis sit, ferrum autem crassius, & in materia crassa ignis potentior sit, quam in rariori: ut propter has diversas rationes forsan ARISTOT. *lib.* 1. *probl. sect.* 35. æs magis laudaverit, ratione exsiccationis: præterea æs minus solidum est & densum quam ferrum, unde & calor & ustio minor. CLAUDIN. *resp.* 43. Usitata tamen & clementior materia primum est aurum, deinde argentum, postremo ferrum & æs. GUIDO *tract.* 7. *doct.* 1. *cap.* 3. simpliciter scribit, actualis *(ignis)* qui subito operatur cum instrumentis metallicis ignitis, &c. non ponit differentiam ullam: In summa, cauteria hæc actualia, quæ ex metallis fiunt, omnia primum locum obtinent. ANDRENAC. *de veteri & nova medicina comm.* 2. *dialog.* 5. *ait.* Quinetiam cauterium ex pila crystalli fieri solet, quo delicati homines, qui ferrum candens reformidant, inuruntur. De pila hac sequentia habet MATTHIOLUS, *comm. in lib.* 5. DIOSCOR. *cap.* 116. Fiebat quondam antiquis e crystallo pila, qua adversus solis radios exposita medici corpora urebant, igne inde concitato: sed iis tantum id genus cauterii admovebant, qui candenti ferro perterriti curari reformidabant. Sed & nos hujusce cauterii periculum fecimus, non sine ægrotantium & astantium admiratione, &c. Hanc ipsam pilam vitro illi similem esse arbitror, quod causticum seu urens vulgo **Brandglaß** appellant.

Cauterium ex pila crystalli.

Brandglaß.

Secundo, sumitur solida materia cauteriorum vel a plantis seu illarum partibus, & commendantur, inque usu sequentia fuere: radix aristolochiæ. *Albuc. lib.* 1. *cap.* 3. *Halyabb.* 9. *pract. cap.* 74. longæ & rotundæ, centaurei, asphodeli, dracuntii, helenii, struthii, *Aetius tetrab.* 3. *serm.* 4. *cap.* 4. *Celsus, lib.* 5. *cap.* 1. bacilli ex ligno quovis pingui, ut viticis, *Theopraft. lib. de igne*, quercus, ficus, vitis, buxi, *Hipp. lib. de morb. infern.* myrti. *Albuc. lib.* 1. *cap.* 56. *Rhas. divis. cap.* 124. nuclei olivæ. *Aetius, lib.* 7. *cap.* 88. medulla ligni juglandium, fungi quercuum. *Palus, lib.* 6. *cap.* 9. *Haly.* 9. *pract. cap.* 77. juglandium ac corylorum, spongiæ, suber, quæ in una extremitate accenduntur, & titione adhibentur.

Titio.

Tertio, ab animalibus solida petitur materia, scilicet ex stercore caprino sicco, & ovi cortice admodum calente.

Liquida materia constat ex aqua, oleo, *Hipp. & Albuc.* melle, *Albuc. lib.* 1. *cap.* 12. butyro, adipe, sulphure, plumbo, *Guido, Archigen. Actuar. Albuc.* vel igne calefacto vel liquefacto.

Mediæ

Mediæ conſiſtentiæ materia eſt linum crudum, lana ſordida, telæ aranearum, &c.

Differentia ſecunda a figura.

Secundam quod attinet differentiam, quæ circa cauteria ſpectatur, oritur eadem a varietate figuræ, quarum reperiuntur quam plurimæ, teſtante hoc PARAEO, *lib.* 18. *de lue venerea, cap.* 27. *inquiens.* Quod ad cauteria actualia attinet, horum tantum eſt in figura varietas, ut definiri nequeat, multo minus ſcribi. LANFRANC. *in Chirurg. maj. tract.* 3. *doct.* 3. cauteriorum formas ad decem reducit. 1. Anodulum ſeu punctale, 2. Rotundum, 3. Radiale, 4. Cultellare, 5. Subtile, 6. Dactilare, 7. Triangulare, 8. Acuale, 9. Linguale, 10. eſt illud, quo in ſetaceis effingendis utimur, anonymum. PETRAEUS *in enchiridio chirurg. tract.* 2. *cap.* 15. ait: **wegen jhrer form vnd figur ſein ſie vielfaltig vnter ſcheiden, den ekſiche ſein ſpikig, ekliche ſtumpf, dict, dunne, grok oder klein, mit einer oder mehr ſpiken, rund, breit, dreiectricht, vierectricht, geſtalt wie ein halbe mon, wie ein linſen, nagel, korn, olivem, kreuk, ſchild hamer, runde kugel, zunge oder ſchabeiſen, wie der Griechiſch buchſtab,** &c. SENNERT. *inſt. med. lib.* 5. *part.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 9. *de uſtione ait.* Differentia a figura ſumta varia eſt. Alia ſunt oblonga, rotunda, lata, lunata, circulata, triangularia, quadrangularia, alia lenticularem formam habentia, alia olivarem, alia nucleum referunt; alia acuta ſunt, alia obtuſa, alia enſis, cultelli, mallei figuram referunt, alia plena ſeu ſolida, cava, &c.

Tertia differentia a calore.

Tertia & ultima differentia a calore deſumitur, alius enim affectus & pars alia intentiorem & remiſſiorem cauterii calorem requirit. Sic ALBUCASIS in fiſtulis oculorum, in vulneribus arteriarum, in luxatione humeri, in phagadænoſis & id generis ulceribus ferro ſumme ignito: at in hæmorrhoidibus, præputio & aliis teneris partibus adeo ignito utitur, & PAULUS, *lib.* 6. *cap.* 58. id genus appellat ψυχροκαυτὴρ, *id eſt,* ignavum & non multum ignitum. *Et hæc de differentiis ſatis:* ſupereſt nunc priſcorum urendi modos in medium producere, utpote non ubique ſaltem in hiſce regionibus ſepultos.

Modus urendi Arabicus.

CONRADUS GESNERUS *in hiſtoria animalium quadrupedum, lib.* 1. *de capra,* modum adurendi Arabicum proponit, inquiens. Utilem Iſchiadici uſtionem hunc in modum accipiunt, in eo interſtitio, ubi pollex brachiali committitur, cava veluti lacuna ſubſidet, in qua lana oleo imbuta ſubſternitur,

ſternitur, deinde ſigillatim ferventis ſtercoris caprini pilulæ imponuntur, dum vapor per brachium ad coxam ſentiatur pervenire, & coxendicis dolorem mitigare: aduſtio id genus Arabica appellatur. PLINIUS ait, Iſchiadicos uri ſub pollicibus pedum (AGGREGATOR *legit ſub poplite)* fimo caprarum fervente utiliſſime. Eodem ſtercore etiam utuntur ANTYLLUS & DIOSCORIDES. BELLONIUS, *lib.* 3. *cap.* 21. *ſingul. ſuarum obſerv.* de cauteriis Turcarum & uſtione Arabica ſic ſcribit. Turcæ cum aliqua defluxione aut alterius partis morbo afficiuntur, locum affectum fungo igniario, vel panno inurunt. Hujus uſtionis Græci, quam Arabicam vocant, ante annos mille ſexcentos meminerunt, & apud Turcas & Arabes in hunc uſque diem tam frequens eſt, ut multorum frontes, tempora & aliæ corporis partes cicatricum ex hac uſtione veſtigia præ ſe ferant. Turcæ capite vel alia parte dolente, pannum de goſſypio contorquent, ita ut ſolidi Gallici latitudinem, & nucis fere magnitudinem referat: aut ſi deſit hic pannus, fungum igniarium accipiunt, & ignitum particulæ ægræ appoſitum, donec per ſe exſtinguatur, & in cinerem refrigeratus abeat, mira fortitudine & conſtantia relinquunt. MERCURIALIS, *lib.* 4. *cap.* 1. *ſcribit.* Mitius urit linum crudum, quod proponit HIPPOC. per quod intelligit caules lini antequam macerentur. Nam accipiebant veteres hujuſmodi caules ſecundum longitudinem 4 & 5 digitorum, deinde ponebant linum ita per longum ſuper locum affectum, poſtmodum in ſummitate accendebant: ille caulis paulatim accendebatur, uſquequo in extremo etiam accenſus carnem urebat. Hoc faciebant, quia dum paulatim accendebatur ille caulis, pars aſſuefiebat perſentire calorem & uſtionem, ita ut quando poſtmodum vere pars urebatur, minorem cruciatum ſentiret. Idem & faciebant fungis: accipiebant fungos exſiccatos, & ponebant ſupra partem affectam, & a ſummo accendebant, & detinebant, uſquequo totus fungus combuſtus combureret etiam & partem. Habebant etiam in uſu ſal & oleum; cingebant enim partem affectam circulo ex paſta, deinde implebant circulum illum ſale vel oleo; poſtremo igne candente liquefaciebant ſal, & oleum calefaciebant, deinde immittebant ferrum ignitum. Animadvertit HERODOTUS, *lib.* 4. *hiſtor.* Oeſipo ovillo Lybiæ populos uſos ad uſtionem verticis puerorum, & morborum præcautionem. PROSPER ALPINUS, *lib.* 3. *de medic. Ægypt. cap.* 12. refert de Ægyptiis & Arabi-

Cauteria Turcarum.

 bus,

bus, quod ex goſſypio & lineo panno in pyramidalem formam facto & accenſo partem aliquam inurant, &c.

CAPUT IV.

Quid cauterium pontentiale, quotuplex, & quænam ejus materiæ tam ſimplices quam compoſitæ.

Actuali cauterio contrariatur illud, quod potentiale dicunt, efficitque operationes ſuas per medicamenta actu quidem frigida, poteſtate vero calidiſſima, unde & potentiale appellatur, at frigidum ideo, quia frigide adhibetur, & non agit, niſi a calore noſtro in actum deducatur. Vocatur & æmulatorium, quia æmulam vim habet: quin imo & jure merito adulatorium dici meretur, quoniam ut plurimum adminiſtratur, ubi patientes ignem recuſant ſuſtinere actualem, & medicus ipſis gratificari ſtudet. **Von der Stille**, *loco citato ſic definit:* Cauterium potentiale **iſt ein** *corroſiviſche* **artzeneÿ welche langſam durchbrennet.** GUIDO, *tract. 7. cap. 3. doct. 1. ait:* potentialis ignis non apparet ſenſualiter in hora, ſed poſt deductionem potentiæ ejus ad actum. GESNER. potentiale cauterium vulgo vocant, quod non actu ignem continet, ſed aliquantiſper in corpore noſtro relictum a calore nativo ex potentia in actum producitur, ut ignis inſtar urat. HOLLER. *inſtit. chirurg. lib. 6. cap. 6.* Quamquam medicamenta hæc cauteria quædam ſunt, natura quidem cauſtica: ideoque a quibuſdam veterum cauteria frigida vocata, a recentioribus potentialia: cauteria quidem, quia revera urunt, frigida, ut ad ferrum & ſimilia, quæ igne rutilant, comparentur. CLAUDINUS, *reſponſ. 43.* Ignis autem potentialis per medicamenta actu frigida, poteſtate vero calidiſſima, quæ a Latinis *cauſtica*, a Græcis *eſcharotica* nuncupata ſunt, adhibentur. Hæc ſunt duplicia, alia citra partium noſtri corporis corruptionem, alia vero cum illarum corruptione agunt: *priora* calefaciunt, attrahunt & diſſipant, *poſteriora* deurentia omnia ſunt, & quadruplicem formant claſſem. *Prima* claſſis eſt inflammantium & veſicantium. *Secunda*, ſepticorum imbecilliorum, quæ a GALENO 5. *ſimpl.*

Cauteria potentialia ſimplicia.

ſimpl. 15. cathæretica ſeu detractoria, deradentia ſeu abradentia dicuntur. *Tertia*, ſepticorum ſeu deurentium & improprie putrefacientium. *Quarta*, eſcharoticorum, ob eſcharam quam producunt ſic appellantur, calidiſſima ſunt, & quarti gradus manſionem ultimam attingunt, ſuntque craſſæ & aſtringentis ſubſtantiæ. LANFRANC. *tract.* 5. in *antidot. cap.* 6. proponit quatuor differentias, inquiens. Corroſivis utimur in chirurgia pluribus modis & caſibus, & eorum aliæ ſunt debiles, aliæ fortes, aliæ fortiores, & aliæ iterum fortiores *(fortiſſimæ)*. PARAEUS, *lib.* 25. *cap.* 28. ſequentes proponit pyroticorum differentias. Quædam *cathæretica ſeu corrodentia* dicuntur, quia ſupercreſcentem ulceratæ, vel cuilibet alteri parti carnem exedunt, & hæc in genere pyroticorum debilia cenſentur: alia *ſeptica ſeu putrefacientia* appellantur, quæ tenellam intus carnem tabefaciunt, & veſicam in cute excitant, atque cathæreticis validiora ſunt: alia denique validiſſima, *eſcharotica* nuncupantur, quæ qualitate ſua ignea & terreſtri cruſtas generant, ex quo etiam ruptoria & cauteria potentialia nominantur: conſulendus VIGO, *lib.* 8. *cap.* 13. & PIGRAEUS, *lib.* 10. *cap.* 19.

Cauterii pot. 4. differentiæ.

Cathæretica.

Septica.

Eſcharotica.

Ego ex ſententia prædictorum authorum tres conſtituo gradus, quique communi nomine τῶν πυρωτικῶν comprehenduntur, quorum primus gradus eſt eorum, quæ benigniora ſeu mitiſſima vocantur, ſub quo continentur, ſinapiſmus, Dropax, Pſilothrum & veſicatorium.

Author 3. conſtituit gradus caut. pot.

Sinapiſmus eſt medicamentum compoſitum ex ficubus & ſemine ſinapi in formam cataplaſmatis, a materia ex qua conficitur, denominationem ſumit, ex ſemine ſcilicet ſinapi: a Græcis dicitur φοινιγμὸν, ἀπὸ τȣ̃ φοινίσσειν, *id eſt*, a rubificando *rubificans*, *rubificativum & rubrificativum*, ex alto ad cutis ſuperficiem humores allicit, eamque rubore tingit: trifariam componitur: vel enim ſumitur (1) unum pondus caricarum, & duo pondera ſeminis ſinapi, & hæc eſt omnium compoſitionum fortiſſima: vel ex (2) æquali pondere conficitur, & eſt minus fortis: vel (3) recipit duas partes caricarum & unam ſeminis ſinapi, & eſt benigna. Non deſunt, teſte SAXONIA, qui idem ſemen miſcent melli, adipi, oleis, imo vero pici, reſinis, gummi, aliiſque ceratis, ut formam & linimenti, & olei & emplaſtri, & cerati inducere poſſit. WECKARDUS, *lib.* 6. loco ficuum, panem in aceto prius maceratum adhiberi cenſet. Idem quoque SAXONIA, *ſect.* 1. *de phænigmis in genere*, *cap.* 1. definit phænigmon,

Sinapiſmus unde dictus, & quotuplex.

Sinapiſmi compoſitio.

quod ſit medicamentum extrinſecum, calidum & acre, attractorium ex alto, parti, cui affigitur, ruborem inducens. Ratione vero qualitatum varias differentias phænigmorum ſtatuit, inter quas recenſet pſilothra, ſmegmata, dropaces varios, ſinapiſmos ſimplices & veſicatoria.

Dropax quid.

Dropax picem modicam in oleo convenienti liquatam recipit, languentia, reſoluta & extenuata membra reiterata appoſitione reficit, iiſque auxilio eſt: a Latinis *picatio*, a Græcis πίττωσις dicitur.

Veſicatorium quid.

Veſicatorium ſuas haud exſerit ultra Epidermim vires, in qua veſiculam excitat, nec profundius agit. Hoc efficitur ex cantharidibus, cum alis & pedibus pulveriſatis, & fermento acerrimo permiſtis; vel his adjungitur euphorbium, ſemen ſinapi, piper, piretrum, &c.

Pſilothrum quid.

Ruſma Turcarum quid.

Pſilothrum eſt, quod adhibitum balnei tempore pilos cadere facit, unde & *depilatorium* dicitur; ejus materia eſt *calx viva*, *auripigmentum*, *nitrum*, *radix piretri*, *ſlaphiſagria*, *piper & Ruſmæ Turcarum*, quod teſte BELLONIO, *obſerv. lib.* 3. *cap.* 33. calcanti genus eſt, vel ſorii vel melanteria dictum.

Secundi gradus medicamenta.
Eſcharotica quæ.

Secundi gradus medicamenta ſunt fortiora & vehementiora præcedentibus, *eſcharoticaque* appellantur, quæ conſumunt humores, remanentibus terreis partibus, hinc inuſta pars induratur, & quaſi in carbonem, ut in lignis combuſtis, convertitur, teſteque HEURNIO *in praxi medic. lib.* 1. urendo non veſicam, ſed cruſtam ſeu eſcharam inducunt, atque ita profundius, quam veſicatoria agunt; ſuntque, ſecundum FERNELIUM, *lib.* 6. *method. med. cap.* 19. calida in 4 gradu, & craſſæ ſubſtantiæ, & vel ſimpliciter vel permiſtæ ſub variis remediorum formulis adhibentur. De his hæc leguntur apud WECKERUM *in ſua practica medicina generali, lib.* 4. *cap.* 32. Adurentia quædam medicamenta cruſtum moliuntur, Græcis *eſcharotica* dicta ſunt, quod eſcharas, *hoc eſt*, cruſtas efficiant ritu cauterii, ſunt conſiſtentia craſſa, & vehementer calida, & cauſtica, hoc eſt, urentia, & non ſecus atque ignis corpus colliquant, & cuicunque *ſenſibili* corporis parti inhæſerint, pungentis ſtipitis ritu cruciant. PIGRAEUS, *lib.* 10. *cap.* 19. *ſic inquit:* eſcharoticum medicamentum illud eſt, quod carnem non conſumit ſolum, ſed cutem etiam frangit, & exulcerat, cruſtam & eſcharam faciens, ad differentiam cathæretici, quod carnem tantum exulcerat, cutiſque ſuperficiem mordere non poteſt.

Eſcharotici & cathæretici differentia.

potest. *Vide* FUCHSIUM *de compos. med. lib.* I. *cap.* 62. BARTHOLINUM *in syntagmate*, *cap.* 3.

In gradu tertio vehementissima & fortissima reponuntur collocanturque, *caustica* scilicet, quæ non modo superficialiter, sed & profundius, idque non paulatim, at derepente agunt, ac præterquam quod participant de substantia terrestri & crassa, calore tamen validiore escharotica superant. Horum alia, astrictoria vi pollent, quæ recenset GALENUS *method. medend. lib.* 5. *cap.* 5. ut sunt *calcithis*, *mysi & atramentum sutorium.* Porro ait idem, quæ ex calce non exstincta conficiuntur, ea utique valentiora his sunt: cæterum calx astringendi vim non habet, excidunt igitur citius, quæ ab his fiunt crustæ: hærent autem diutius, quæ ab astringentibus, &c. HOLTZEMIUS *in suo onomastico dispensatorio Coloniensi annexo*, hanc ponit differentiam inter vesicatorium, causticum & escharoticum, quippe quod *escharoticum* medium sit.

Tertii gradus medicamenta.

Calx astringendi vim non habet.

Differentia inter vesic. caustic. & escharoticum.

Male agunt, qui sub hoc tertio gradu septica comprehendunt, quæque hæc sunt: *auripigmentum seu arsenicum tum purum tum sublimatum*, *sandaracha*, *chrysocolla*, *aconitum*, *dryopteris*, *pityocampe*, *teste* FERNELIO, *lib.* 6. *cap.* 18. maligna enim & venenata sua qualitate carnis, quam attigerint, substantiam corrumpunt, ejus συμμετρίαν destruunt, & in putredinem cadaverosam deducunt. Periculosus omnino usus istorum, nec certe ad chirurgiam necessarius, &c. Quod & confirmat BARTHOL. *in suo syntagmate*, *cap.* 3. *his verbis.* Cæterum caute septica chirurgis usurpanda essent, imo, cum maligna qualitate prædita sint, qua humidum primigenium dissolvunt, exterminari possent ex agro chirurgico, quasi perniciosa & minus necessaria. MERCATUS vero, *lib.* I. *de recto præsid. artis medicæ usu*, *cap.* 16. *de septicis medicamentis hæc prodit:* Partis brevi temporis spatio nativam temperiem ac calorem vehementer dissolvere & colliquare queunt, donec sibi foramen æquatum excavent. Quæ quidem septica appellantur, non quod revera sine putrefactoria, veluti quæ calida sunt & humida, sed quia similia eis inducunt symptomata, partis nimirum corruptionem, citra ullum dolorem, aut cum minimo, qualia sunt *auripigmentum*, *arsenicum*, *sandaracha*, *chrysocolla*, *&c.* ex quibus varia facile confici possunt medicamenta ruptoria. *In sequentibus porro idem addit.* Cæterum hæc interest differentia inter hæc duo medicamenta, quod septica citra dolorem & crustam altius penetrant, quo fit, ut fontanellis aperiendis sint commodiora: escharotica vero super-

Septica quæ.

Septica periculosa.

Septica non sunt revera putrefactoria.

Differentia inter septica & escharotica.

ſuperficialius urunt, cruſtam inducunt, ac dolores aculei infixi ſimillimos excitant.

Author ſeptica rejicit, damnatque.

At dicat quicquid velit MERCATUS, nunquam perſuadebit mihi uſum ſepticorum in effingendis fonticulis. Ego, ut verum fatear, in tota praxi mea, a medicamento illo abhorrui, illudque cane pejus & angue fugi, ac tanquam zizaniam relegavi rejecique; ſeptica enim maligna qualitate prædita ſunt, ſpiritibus contrariantur, eos deſtruunt, necant, ac ſenſum auferunt, indeque indolorifica cenſentur: verum talia haud ſunt *(indolorifica)* actu ipſo, ſcilicet dum operantur, ſed operatione peracta partem indolorificam relinquunt. Nam quomodo poſſit aboleri ſenſatio in adminiſtratione abſque doloris ſenſu a calido, acri & tenuis ſubſtantiæ medicamento, non video, ac qui id ipſum aſſerunt, decipi eoſdem arbitror. Concedi autem poſſet ſine dolore actionem medicamenti cauſtici contingere, ubi jam partes prius mortificatæ ſunt, & ſenſus tactus deletus ſeu abolitus: at dum ſenſatio alio quodam medicamento prius profligata, & ſtupor parti quodammodo inductus, non ſequitur exinde, cauſticum indolorificum dari: aliud enim eſt, dolorem non inducere per ſe, & aliud per accidens: *per ſe* dolorem excitant omnia cauſtica, remiſſius autem agere *creduntur*, ubi narcotica admiſta, at, quod remiſſe dolet, etiam dolet: *per accidens* autem cauſticum, quod ſepticum dicitur, non inferre dolorem creditur, ubi parti mortificatæ & indolenti adhibetur. Sed hanc litem, numne in loco mortificato operationem ſuam perficere poſſit cauterium potentiale, & utrum detur cauterium plane indolens, nobis dirimit experientia, rerum omnium certiſſima magiſtra.

Simplicium recenſio.

Ordinis nunc ratio hujus capitis exigit ſimplicium primo medicamentorum campum perluſtrare fertiliſſimum *metallis*, *mineralibus*, *lapidibus*, *foliis*, *radicibus*, *herbis*, *ſeminibus*, *fructibus*, *corticibus*, *gummi*, *ſuccis*, *animalibus*, *animaliumque partibus*, *excrementis cineribuſque* conſitum: ac quamvis multo plura ab antiquis uſurpata, ea tantum, quibus hodierno ſeculo ut plurimum maximaque ex parte utimur, eligere & proponere, animus eſt: circa quæ conſideret lector antedicta, gradus ſcilicet propoſitos; nam & ſequentia medicamenta ratione actionum ſuarum, multum a ſe invicem diſcrepant.

Conſideratio circa ſimplicia.

Ex

Ex radicibus sunt, radices

Allii.
Lepidii.
Pirethri.
Scillæ.
Raphani.
Chelidonii majoris.
Porri.
Ranunculi.
Strutii, &c.

Ex foliis sunt, folia

Aconiti.
Flammulæ Jovis.
Lepidii.
Ranunculi.
Staphisagriæ.
Tithymali.
Dryopteris, Cordo pterydion fæmina.
Hydropiperis.
Ptarmicæ.
Rutæ.
Thymelææ, &c.

Ex seminibus est, semen

Anacardi.
Sinapi.
Nasturtii omnis generis.

Ex fructibus

Ficus arida.
Nux rancida.

Ex succis

Lac ficulneum.
Thapsiæ.
Tithymali.

Ex corticibus

Allii.
Nucis juglandis.
Sambuci.

Ex gummi

Euphorbium

Ex

Ex animalibus

Aranea.
Limacia.
Stella piſcis.
Cantharides.
Pithyocampes.

Ex animalium partibus

Adeps rubetæ.
Sanguis equi admiſſarii.

Ex excrementis, ſtercus

Accipitris.
Anſerum.
Columborum.
Murium.
Anatum.
Caprarum.
Lacertorum.
Paſſerum.

Ex cineribus, cinis

Antimonii.
Clavellatus, **weidaſchen.**
Fabarum ſcaporum.
Filicis.
Juniperi.
Quercus.
Sarmentorum vitis.
Tithymalorum.
Caulium.
Fæcum vini uſti.
Ficulnei.
Fraxini, **pottaſchen.**
Nucum.
Salicis.
Teſtarum.
Straminis hordei.
Straminis avenæ, &c.

Ex mineralibus & metallis,

Ærugo, ſeu viride æris.
Squama æris.
Alumen uſtum.
Atramentum ſutorium.
Calcithis.
Calx viva.
Dyphryges.
Præcipitatus.
Atramentum luteum.
Sal omne.
Sorii.
Vitriolum crudum & uſtum.
Æs uſtum.
Alumen plumoſum.
Antimonii vitrum.
Arſenici ſpecies omnes.
Atramentum rubrum.
Chryſocolla.
Mercurius ſublimatus.
Myſi.

Nitrum.

Nitrum. *Tartarum uſtum.*
Sandaracha Græcorum.

Ex lapidibus

Aſius vel ſarcophagus. *Pumex crematus.*

Simplicibus examinatis, pauca eaque ſelectiora compoſita medicamenta, quæ vel ſunt *liquores*, *aquæ*, *olea*, *lixivia*, *unguenta*, *emplaſtra*, *maſſæ*, *trochiſci*, *pulveres*, *ſalia*, *lapides*, in medium adducere conſtitui. FALLOPIUS hunc ſuum *lapidem*, quem vocat, *infernalem*, ſumme commendat.

Lapis infernalis Fallopii.

℞. Vitrioli. uſti ℥ii. Salis ammoniaci ℥i. Calcis vivæ. Cinerum e vini fæcibus, an. ℥iii.

Contritis & commixtis, affundatur lixivium ficulneum aut tithymalinum, ſubinde agitentur, & colentur, donec omnia bene diſſoluta, colatum in olla nova vitreata coquatur, ut craſſeſcat in forma tophi, qui in vitro bene clauſo, & loco ſicco ſervetur.

CARDANUS, *lib. 7. de lapidibus*, eſcharoticum ſine dolore deſcribit his verbis. Conſtat medicamentum hoc *e tenero ſapone & calce viva* tenuiſſime miſtis, adeo ut in unguenti formam mollis tranſeat.

FIENUS hoc commendat.

℞. Capitelli ℔iiii. Calcanthi ℥ii. Salis gemmæ ʒii. Opii gr. vi.

Coque in pultem.

Sequens eſt MARIANI SANCTI in ſuo chirurgiæ compendio.

Accepi ſex librarum lixivii ſaponis,

Quod prius a colatorio emanat, *(appellaturque mater)* quod nempe fervendum in cacciola ænea poſui, cum ℥i. *vitrioli romani*, quæ ſimul juncta ad ignem compoſui, ut ebullirent, donec quicquid ibi lixivii eſſet, fervendo deſiccaretur, & deſiccatum in fundo ibidem collectum, ſervo.

Weckardus, *lib.* 6. hoc paradigma lapidis ruptorii ſeu corroſivi tradit.

℞. Calcis vivæ. Tartari calcinati, an. ℔i. Fellis vitri ℥iiii.

Pulveriſentur ſingula ſeorſim, infundantur in *lixivii fortiſſimi*, quod ad compoſitionem ſmegmatis requiritur, ℔v. relinquantur in vaſe obturato per quatriduum, frequenter agitando, poſtea cum reſederit, effundatur caute, ne fæces turbentur, & coletur per pannum lineum, colatura coquatur lento carbonum igne ad aquoſitatis conſumtionem, & tum in fundo ſal habebis, quod ſi per horam corporis parti pro more uſitato applicetur, eſcharam facit abſque *inſigni* cruciatu.

Nicolaus Massa, *tract.* 6. *cap.* 5. hoc laudat.

℞. Cinerum lignorum montium ℔x. Aquæ fontis ℔xxx.

Bulliant ad conſumt. 3. partis, deinde accipe *calcem vivam integram*, q. ſ. ita ut aqua ſupernatet per duos digitos, & pone in dictam aquam ſive lixivium, & ſic dimitte per dies octo, miſcendo ſemel in die; poſtea cola per colatorium, & in colatura adde *aluminis feze ſive tartari uncias* 6, & dimitte fermentari dies octo, & cola, ut ſupra: deinde, ℞. ℔i. *dictæ colaturæ, aqua cum qua fit ſapo* ℔v. pone in catia ad ignem, & bulliant uſque ad ſpiſſitudinem mellis, & habebis cauſticum mirabilis operationis.

Andernacus hanc deſcriptionem tradit, quam *indolorifice* ait operari. Fictili vitreato, & in fundo foraminibus pervio, paleæ imponuntur: deinde ſupra has cinis ex ficubus ſilveſtribus, in Majo factus inditur: hinc paleæ rurſus immittuntur, poſtea calx viva ſuperadditur, atque ſic vaſe adimpleto, aqua calida infunditur, exſtillaturque dum ſal, ſive terra, remaneat. Hæc ervi dimidii inſtar cutem ſubjectam adeo affligit, ut emoriatur.

Guidonis, *tract.* 7. *doct.* 1. *cap.* 3. ruptorium conficitur ex *calce viva & ſapone molli*, an. ℥i. vel q. ſ. ad operationem recenter mixta. Henricus huic addit *fuliginem*. Halyabbas *ſal alkali*. Hoc approbat Rolandus,

LANDUS, *lib.* I. *cap.* 18. *rubrica* 7. LANFRANCUS hoc fortiſſimum medicamentum proponit.

℞. Limaturæ ferri. Vitrioli. Aluminis Jermeni. Antimonii, an. ℥ii. Salis ammoniaci. Arſenici. Citri (Nitri.) Sulphuris vivi. Floris æris, an. ℥iſs. Calcis vivæ, ℔ſs.

Hæc omnia terantur, & addatur ℥i. *argenti vivi* cum ſaliva extincti, temperatur cum aceto vel aqua maris, vel lixivio forti, quod erit melius, ſi erit de cineribus fabarum, & fiant inde trochiſci, & ſiccentur, ſiccati ponantur in *aludel*, & ſublimentur. Realgar ſeu arſenicum idem facit ſublimatum: ſi modo realgar vel ſupradictum aliud medicamen vis reprimere: fac de ipſo pulverem, & diſtempera cum ſucco lactucæ & plantaginis ad ſpiſſitudinem mellis, & deſicca, poſtea diſtempera, poſtea ſicca, & ſic facies pluries, & ita reprimetur, quod non tantum inflammat, & tamen operatur. PECCETTIUS, *lib.* I. *cap.* 3. *ita arſenicum præparat.* Primo ſupra marmoreum lapidem conteritur, & vini aliqua portione, ſic molendo, in liquidi unguenti formam reducitur, deinde exſiccatur, & quanto minus deſideramus, ut agat, tanto magis & pluries ſic præparari debet. ANGELUS SALA arſenicum præparatum etiamſi optime, qualis eſt modus PARACELSI ſequens, *lib.* I. *de rebus natural. cap.* 9. ſuſpectum habet, quod & hiſtoria prorſus funeſta confirmat.

Arſenici correctio.

Sala arſenici præparationem damnat.

℞. Arſenici criſtallini. Salis nitri, an. p. æ.

Pulveriſata in crucibulo cooperculo in medio perforato tecto mittantur ad ignem rotæ tantiſper, donec albus elevetur fumus *(a quo ſibi cavendum bene eſt)* ne amplius vapor aut fumus appareat. Refrixa materia, quæ alba eſt inſtar ſalis nitri fuſi, iterumque coagulati, eximatur. Maxima enim ejus pars nitrum eſt, quippe dimidium ponderis abſumi, prædictumque fumum non aliunde quam ab arſenico proficiſci in propatulo eſt. Dicere quis poſſet, cum arſenicum totum in auras evolavit, conſequenter etiam malignitatem arſenici abolitam fore. Verum enimvero *arſenicum* quidem totum fugatum eſt, non item *arſenicale*, tantumque abeſt, ut ſal nitri arſenicum correxerit, ut potius venenoſitate arſenici potitum, ſeque ipſo redditum venenoſius, quando vulneribus applicatur, longe ſæviora ſymptomata inducat, quam

Arſenicum non arſenicale fugatur.

alias ſimplex nitrum, quippe quod intrinſecus etiam aſſumitur, facere conſuevit.

Rhenodaei hoc eſt.

℞. Calcis vivæ ℔i. Salis nitri ℥i.

Infunde per diem integrum in lib. 4. lixivii ex cineribus vaſorum vinariorum vel herbarum calefacientium parati, poſtea coquatur in lapidem.

Joannes Bauhinus per literas ſequens communicavit Casp. Bartholino.

℞. Tartari uſti (Cendre gravelle) **weidaſch** ℔ſs. Calcis vivæ ℔iſs.

Fiat lixivium affuſa aqua coquendo ſimul, poſtea reſideat. Lixivium quod clarum, aſſumatur, tandem coquatur in patina ferrea, donec fiant grumi.

Casparus Bauhinus tali utebatur,

℞. Calcis vivæ recentis ℔iſs. Cinerum clavellatorum ℔i.

In olla vitreata diſſolve omnia 2. menſuris lixivii barbitonſoris, & olla diligenter cooperta, bulliant ſimul parum, ablata ab igne ſtent per 4 aut 5 dies in olla bene tecta. Capitelli clari pars media in patella ferrea bulliat: cum incipit inſpiſſari, auferatur ab igne, & capitelli pars altera imponatur, & iterum bulliant ad inſpiſſationem.

Aquapendens e lixivio fullonum in lapidem cocto ruptorium conficiebat.

Heurnii ruptorium.

Heurnius, *lib.* 1. *method. ad praxin*, unicum ſibi uſu compertum ac labore emptum proponit, aitque, fieri hoc cauterium ex *ſaponis lixivio*, nempe eo, quod coquitur in ſmegma nigrum, id ſartagine exceptum, uritur in lapidem, qui teſſerarum majorum in formam ſcinditur, cum refrixerit, ac vitro recte obturato reponitur, ſed in inſpiſſationis modo, magna pars hujus artis verſatur: non enim tamdiu excoqui debet, ut liquor cunctus areſcat ac torreatur: nam ita & vis cauſtica, quæ ſpiritibus implicita eſt, exhaurietur. Itaque antequam ad extrema ariditatis venerit, ſubducatur

Modus coquendi.

ducatur igni, dum supereſt ſpiſſior liquor, qui fingi cauteria poſſent, nec in pulverem diffluere. Cum ſtrictiorem vim inferre voluit, horis aliquot calcem vivam indebat, mox excoquebat, at id raro.

Hoc quod ſequitur deſcribitur a VIGONE, *lib.* 8. *cap.* 13.

℞. lixivii cum quo efficitur ſapo ℔ß.

Et vocatur capitellum ſive *la magiſtra:* & ſi fuerit dicta magiſtra recollecta ex primis guttis, ruptorium confectum ex eo erit melioris operationis: & ſignum quod ipſa magiſtra ſit idonea, eſt, quando ovum natat ſuper ipſa.

Capitellum quando bonum.

℞. Vitrioli Romani ℥iß. Opii ℈i.

Bulliant omnia ſimul præter opium uſque ad ſpiſſitudinem, deinde ponatur opium, quando aufertur ab igne, & demum reſervatur in vaſe æneo vel vitreo cum cera bene obturato.

In CORDI & Auguſtanorum diſpenſatorio cauterium hoc potentiale reperitur.

℞. Cineris clavellati. Calcis vivæ, an. p. æ.

Macerentur per dies aliquot in aqua communi, poſtea colentur, & durum coquatur, ut artis eſt.

CHALMETEUS infernalem ſuum lapidem ita conficit: vas fictile exiguis in fundo foraminibus pertundit, *calcem vivam, vitriolum, ſal nitrum, alumen* in pulverem redacta in vas conjicit, inde *lixivium* tartari ferventiſſimum paulatim inſtillat, idque ter aut quater ita percolat, liquorem ex percolatione ſuſceptum coquit, donec lapideſcat.

Chalmetei lapis infernalis.

MELCHIORIS WELANDI ſpatio mediæ horæ cutim citra dolorem perforare ſcribit HOLTZEMIUS in diſpenſ. colon.

℞. Cinerum clavellati (**Weidaſch**) ℔ß. Sermentorum vitis ℔i.

Conjice in ollam vitreatam, & in medio cinerum fac foveam, in quam impone

Calcis

Calcis vivæ ℔i.

Hanc conſperge aquæ pluviæ ſ. q. uſque dum penitus extinguatur. Mox tegenda olla diligentiſſime, ne quid exhalet: poſtea affunde lixivii communis fortiſſimi menſuras duas, ſive lib. 8. & rurſum per dies duos macerari permittito, ſæpius agitando. Hoc lixivium per denſum & craſſum linteum trajiciatur, atque crebro ſuis cineribus ſuperfundatur, & tranſcoletur, ut efficacius reddatur capitellum. Hujus liquoris lib 2. æneo vaſe exceptæ coquantur, continenter verſando & agitando, donec craſſeſcere & inſpiſſari inceperit, tum admiſce *opii lixivio ſoluti* ℨiii. poſtremo ex concreta materia fingantur lapilli, qui vitro probe recondantur ad uſum.

Paræi cauterium ſericeum.

PARAEUS, *lib.* 25. *cap.* 32. inter cætera ſericum hoc cauterium deſcribit, ſerico & precibus a ſe emptum a chymiſta quodam.

℞. Cineris ſcaporum aut truncorum fabaceorum. Cineris ligni querni bene cocti, ſingul. ℔iii.

Infundantur in aquæ fluviatilis ſemiſitula, agitentur in caldario frequenter. Hinc adde

Calcis vivæ ℔iiii.

Quibus extinctis verſetur ſubinde id totum diligenter per duos dies integros, quo capitellum evadat vegetius, hinc percoletur per denſum & craſſum linteum, exceptumque capitellum ſubjecta pelvi ter quaterque ſuper affundatur ſuis cineribus, ut ſic ignea illorum facultate facilius & certius ſe imbuat: Bulliat poſt in pelvi tonſoria, vel figulino vernice fictili incruſtato, igne multo ex carbonibus accenſis excitato, quouſque ſpiſſius evadat: eundum modum, quem HEURNIUS obſervat in coquendo, tradit.

RHENODAEUS ait, vanam eſſe hujus cauterii ſericei pollicitationem ab effectu, ac opinatur BARTHOLINUS, verum cauterium ſuum indolens PARAEUM nunquam publicaſſe, ſed in arcanis reſervaſſe, & amicis duntaxat impertiviſſe.

JULIUS

JULIUS CAESAR CLAUDINUS hoc proponit.

℞. Aquæ ſaponis primum ſtillantis, id eſt, capitelli, ſ. q.

Coquatur ad ignem lentum, quouſque condenſetur, continuo eam baculo agitando, eique inſpiſſatæ addatur parum butyri, deinde permittatur refrigerari ac denſari, poſt in vaſe vitreo bene obturato, ne liqueſcat, reponatur pro cauteriis conficiendis.

ROLANDUS, *lib.* I. *cap.* 18. *rubrica* 7. capitellum conficiendi modum deſcribit. Accipe *(inquit)* duas partes *cineris fabarum*, & tertiam *calcis vivæ*, & pulveriſatis in ſimul miſce, & in cophino, vel in corba ſolum faciendo pedibuſque calcando, & parum aquæ inſtillando, & ſic faciendo ſolaria cophinum vel corbam impleas, foveam rotundam deſuper cultello facias ad menſuram medii brachii, illam foveam ter in die impleas, mane, meridie, & ſero, concha ponatur inferius, & quod extrahit a prima die uſque ad 8. collige, & repone, & hoc eſt forte capitellum, medium vero dicitur, quod ob octava die poſtea colligitur. Si vis ſcire utrum ſit forte, medium ovum in filo ligatum in capitellum mitte, ſi non receperit medium, forte eſt capitellum.

Capitellum conficiendi modus.

Capitelli boni nota.

ANGELUS SALA aquam ſequentem cauſticam tradit in ternario Bezoardicorum, cap. 27.

Salæ aqua cauſtica.

℞. Ol. ſalis communis diligenter deſtillati. Ol. vitrioli potentiſſimi, an. ℥iß. Salis ammoniaci purificati ℥i. Miſce in vitro.

Genevenſis cujuſdam chirurgi liquor cauſticus ſecretiſſimus eſt hic.

Cementetur *ſtibium* per tartarum & ſalem petræ, ita ut duplum ſit ſtibii ad pondus reliquorum in olla fervida, ubi regulus reſtat in fundo, ℞. Reliquias ſupernatantes calidas, contunde, & affunde ſpiritum vini, ut ſupereminеat 3 digitis, digere per 3 dies, ut acquirat colorem rubeum, fiatque mordax, tunc optimum eſt remedium ad exſiccanda vulnera, præcipue ad præcautionem gangrenæ, in magnis vulneribus contuſis & laceratis. Poſtea in igne cinerum deſtilla ad medietatem (*tunc erit præſentaneum remedium in ſcrofulis, videbis enim ſcrofulas imminui, & in materiam mucilagineam verti, prægreſſis tamen remediis utilibus*) tandem etiam deſtilla donec ſexta pars remaneat, & acquirat colorem ſubnigrum:

Scrofulæ exſtirpativum.

nigrum: tunc eſt validiſſimum cauſticum, quod intra quadrantem horæ exedit in brachio.

Oleum e calce viva.

SIMON BERGERUS oleum e calce viva aureo colore elicit, eoque quatuor horarum ſpatio eſcharam fonticulò congruam producit.

BANISTERUS oleum ſimiliter cauſticum abſque dolore proponit, & MIZALDUS ſequens laudat.

℞. Sulphuris citrini. Salis ammoniac. an. p. æ. Calcis vivæ p. ii.

Pulverata deſtillantur per retortam in arena.

Cauſticum unguentum.

RONDELETIUS unguentum hoc cauſticum deſcribit.

℞. Sandaracæ vel auripigmenti. Calcitidis præparat. an. ʒii. Mellis q. ſ. Miſce fiat unguentum.

PHAEDRONIS eſt quod ſequitur unguentum.

℞. Olei ex arſenico fixo. Aluminis uſt. ex aceto reſtinct. vel hujus loco calcanthi præp. an. ℥ß. Miſce fiat unguent.

Ceratum cauſticum.

GABRIEL FERRARA, lib. 2. de med. chir. hoc ceratum proponit.

℞. Capitelli ſive primi lixivii de ſapon. ℔iii.

Ad ignem uſque ad conſumt. ipſius lixivii decoquatur, deinde fæcum in fundo repertarum

℞. ℥i. cantharidum ℥ß. Sublimati præparat. ℈ii. Cerati manus Dei q. ſ.

Omnia cum drachmis duabus opii thebaici ſubtiliſſime miſceantur, & fiat ceratum, quod duritiei cujuſcunque partis corporis appoſitum, etiam intra ſex horas diſrumpit, & eſt multoties probatum.

MARSILII FICINI eſt ſequens emplaſtrum. Emplaſtrum cauſticum.

℞ Fermenti ℥iiii. Sinapis. Rutæ. Scabios. Abſynthii, an. m. i. Rad. lilior. alb. partem tertiam. Vitrioli ʒii. Cantharid. n. x. Galbani ℥i. Nuces rancidas. n. iii. Ol. lilior. alb. q. v.

Coquantur herbæ & radices in oleo, & fiat empl. addendo cætera ingredientia ſ. a.

Paſtam hanc cauſticam tradit MONTUUS. Paſta cauſtica.

℞. Aq. primæ ſaponis ℔i.

Bulliat ad conſumt. 3. p. mox adde

Calcis vivæ ʒſs. Opii ʒii.

Coque iterum, poſtea adjunge

Auripigmenti ʒii. Et fiat maſſa.

PASCHALIUS hoc ſuturæ coronali applicat.

℞. Unguent. roſat. ℥i. Cantharidum ʒii. Pulv. ſinapi. Stercoris columbini, an. ʒi. Miſce.

ZWINGERI eſt maſſa hæc. Maſſa cauſtica.

℞. Calcis vivæ p. ii. Minii p. i. Saponis fullonum q. ſ.

Priora duo pulveriſata, miſce cum ſapone, & forma inde globulos, vel alterius formæ maſſas.

Pastill. caustici. Pastillorum hanc formam consignat PHILADELPHUS.

℞. Sandarachæ. Auripigmenti, an. quadrantem. Calcis vivæ, Acaciæ, ana sexuncem.

Cum vino austero forma pastillos.

Pulvis causticus. AMMONIUS chirurgus, teste AETIO, lib. 14. cap. 52. tali utebatur pulvere caustico.

℞. Sandaracæ. Auripigmenti. Calcithidis, an. ʒiii. Misce & pulv.

BANISTERUS chirurgus Londinensis in Anglia, teste BARTHOLINO, commendat suum pulverem causticum, quem ait agere absque dolore.

℞. Calcis vivæ q. vis.

Quod funde super cineres quercinos ad placitum & ad discretionem, secundum quantitatem lixivii, in cacabo ferveant, usque quo incipiant bullire. Deinde filtra, & in dicto liquore filtrato mitte cineres q. v. vel ℥iii. vel iiii. secundum quantitatem liquoris primi filtrati. Hic liquor seu humor exsiccetur sensim super dictos cineres usque ad bonam siccitatem, usquequo fiat pulvis bene siccus: super hunc pulverem effundas ℔i. *vel plus lixivii saponis nigri*, & rursum evapora, sicut ante dictum, lixivium super lentum ignem, donec pulvis maneat bene siccus, qui ponatur in vitro, quod bene obturetur ad usum. Colophonis loco meum quoque ruptorium, quod vel minimum dolorem infert, ut in proprio corpore expertus, adjicere placuit.

Authoris causticum.

℞. Cinerum truncorum ligni querni. Stipitum caulium. Sarmentorum vitis. Scaporum fabarum. Paleæ avenæ. an. ℔ß.

Hordeaceo stramine circumcirca cophinus seu qualus investiatur, tum supradicti cineres indantur, affundanturque paulatim *aquæ fervidæ* mensuræ duæ seu libræ sex vel octo, &

& si opus videbitur, quantitas major: hæc aqua per cineres stillet eosdem tertio in suppositum fictile, post sume similem cinerum dosin, & lixivium illud tertio similiter percolari sinito. Ultimo accipe cinerum ante dictorum partem mediam, adde

Tartari albi usti, **weidaschen.** Cinerum clavellatorum, **potaschen,** an. ℥ix. Calcis vivæ optimæ, quæ ex lapidibus non ex conchiliis conficitur, **steinkalck,** ℔ii.

Et fac antenarrato lixivio aspergi & irrorari paulatim cineres in qualo contentos, transcolatum secundo & tertio reitera affundendo, quod tandem per filtrum, ut aquæ instar limpidissimæ appareat, filtretur. Hujus colaturæ claræ medietas primo cacciolæ ferreæ vel æneæ indatur, & supra carbones lentissimo igne coquatur ad consumtionem fere totius humoris, tum de altera lixivii medietate per intervalla aliquid affundatur, usque quo hoc absumtum, lapidis consistentiam acquisivit, id ipsum deinde diversis vitris angusti orificii apprime cera, neaer accedat & penetret, munitis, usui servetur, & in camino suspendatur. Pisi magnitudo duarum aut quatuor ad summum horarum spatio exiguo dolore escharam producit, nunc citius, nunc tardius, pro diversa corporum dispositione: & quamvis ego interdum huic compositioni addiderim opium, nullam in operando adverti varietatem.

CAPUT V.

Proponit primo utriusque cauterii virtutes, deinde eorum præferentiam enucleat, ultimo quonam genere in fonticulis effingendis utendum concludit.

QUO præferentia elucescat, utriusque cauterii tam actualis quam potentialis natura prius perscrutanda. Et primo, quantum ad actualis cauterii qualitates: has Albucasis, *lib.* I. *cap.* I. revelat communicatque *(ex*

Actualis cauterii qualitates.

 quo

quo & plærique omnes qui post eum de simili materia scripserunt sua mutuati) sic inquiens: Et scitote filii, quod curatio per cauterium cum igne & bonitate ejus superat medicinam omnem urentem, quoniam ignis est simplex, cujus actio non pervenit, nisi ad membrum, quod cauterizatur, & non nocet membro conjuncto cum eo, nisi nocumento admodum parvo: *postea addit, ubi de virtutibus potentialis egit.* Ignis autem propter sublimitatem suam, & bonitatem substantiæ suæ non facit illud (*scilicet ægritudinem in membro difficilis sanationis & sæpe interficit:*) nisi excedat modum. Jam vero innotuit nobis illud propter experimentum, propter longitudinem servitutis & studii in operibus artis, & stationem super veritates rerum, & propter illud excusatur longitudo sermonis præsentis, cupio enim vobis plurimum commodare declarando secretum occultum in igne & qualitate operationis ejus in corporibus & expulsionis suæ, qua expellit ægritudines, idque sermone philosophico demonstrativo. *Hactenus ille.*

Ignis est simplex.

Joannes de Vigo, *lib.* 8. *cap.* 15. *ait:* Ignis propter bonitatem ejus & simplicitatem suæ complexionis non adfert mala, nisi superflue & immoderate detur. *Omne enim nimium,* etiam si alias virtus optima insit medicamento, *vertitur in vitium, & naturæ est inimicum:* hinc, inquit Avicenna, cauterium actuale moderate exhibitum, est medicamen valde nobile. Imo Aristoteles *libro de sensu & sensibili, cap.* 4. naturam ignis siccam esse asserit, propriumque ipsi calorem esse, quod & confirmat *de generat. & corrupt. lib.* 2. *cap.* 3.

Actualis ignis 15 virtutes.

Rief ex Vigone 15 ignis actualis virtutes commemorat. 1. Confortat membrum frigefactum, teste Avicen. 2. Malam complexionem rectificat. 3. Prohibet corruptionem in membro. 4. Resolvit & exsiccat materias corruptas. 5. Mortificat & extinguit venenositatem. 6. Mortuum a vivo separat. 7. Plagam diutius retinet apertam, quo facilius evacuetur pus. Secundum Celsum parvam cicatricem producit. 9. Hæmorrhagiam insignem ratione escharæ profundæ sistit. 10. Evacuat & divertit fluxum inveteratum oculorum. 11. Ampliat fistulosa ulcera. 12. Eadem ulcera reducit in bonam formam. 13. Excrescentias quascunque cum additamentis tollit. 14. Intercipit oculorum rheuma. 15. Divertit & derivat materiam ad partes alias robustiores vel propinquiores. Guido, *tract.* 7. *doct.*

doct. 1. *cap.* 3. has utilitates ad ſex reducit, dicitque, actio ignis actualis eſt ſimplicior; quod confirmat PERNUMIA, lib. 5. dictitans, ignis, quia eſt forma ſimpliciſſima, nihil ultra combuſtionem in membro relinquit, ſed actionem ſuam perficit, propter ſummam quam habet agendi vim, nihilque contagii, excepto calore ac empyreumate, ſecundum HEURNIUM, *lib.* 3. *cap.* 11. remanet. LANFRANCUS ait, *doct.* 3. *cap.* 18. Ignis propter ejus ſimplicitatem nobiliter operatur; *Item*, ignis dolorem non infert, niſi in ipſa impoſitione, vel valde modicum ultra, nec propter ejus ſimplicitatem & citam actionem lædit niſi membrum tactu. Demum CLAUDINUS actualem ignem roborare aſſerit.

Ignis nihil contagii habet.

Et hæc de actualis cauterii virtutibus dicta ſufficiant: ulterius progrediendum, & potentialis quoque qualitates percurrendæ. Hujus vires ſimiliter & ab ALBUCASI proponuntur, *lib.* 1. *cap.* 1. his verbis. Medicinæ vero comburentis actio pervenit ad illud, quod elongatur ex membris, & fortaſſe facit accidere in membro ægritudinem difficilis ſanationis, & ſæpe interficit. Hoc confirmat LANFRANCUS, inquiens: Medicina cauſtica non modo lædit membrum læſum, ſed etiam ea, quæ a longo ſunt, propterea quod in longo tempore operatur, & quantum ejus durat operatio, tantum durant dolores. PARACELS. *lib.* 1. *de morbo gallico*, *de impoſturis*, *impoſtura* 4 *ait.* **Dann eines jeglichen etzens furnehmen und natur iſt, dem lebendigen zu ſchaden, und nicht dem getodten, iſt auch ſein natur nicht, das leben geſund zumachen, ſonderen ſeine natur das leben umbzubringen, wie eines jeglichen gifft art an jhm ſelbſten iſt:** id eſt, unius cujuſque cauſtici natura eſt, vivo nocere, & non emortuo, neve ejus naturæ congruit vitam conſervare, ſed deſtruere, uti inſita vis eſt omni veneno.

Potentialis ignis virtutes.

PIGRAEUS, *lib.* 10. *de ſepticis*, *cap.* 18. vult potentiale cauterium pravam quandam ab actione ſua parti affectæ impreſſionem relinquere. PERNUMIA ait, medicamentum hoc non perficit actionem ſuam propter agendi vim quam habet, ſed ratione, qua a tota ſubſtantia morbo contrariatur, & illi eſt inimicum: cumque ſit compoſitum quoddam, non ſolum comburit, ſed & alia multa nocumenta in membro inducit, corrumpendo calorem membri naturalem, unde fieri ſolent Oeſthiomena, gangrenæ & hujuſmodi alia nocumenta ab ABUBACHARE enumerata: & CLAUDINUS cauterium potentiale robur partis diſſolvere contendit.

Actuale caut. pravam relinquit impreſſionem.

Hæc

Hæc de utriusque cauterii virtutibus satis: reliquum est, præferentiam ex his elicere: quam litem judicis instar, clarissimorum & exercitatissimorum tam chirurgorum quam medicorum elogia & suffragia dirimunt.

Cauteriorum præferentia.

Nam audiamus quæso venerandum ALBUCASIN sic loquentem: Veruntamen cauterium superat medicinam per velocitatem virium ejus, & virtutem operationis suæ, & vehementiam dominii sui. GUIDO, *tract.* 7. *doct.* 1. *cap.* 3. actualia cauteria potentialibus securiora esse ait, quia ignis actualis est simplicior, & minus lædit vicinas partes & membra principalia, quam actio ruptorii, quæ membris principalibus multum est suspecta. BRUNUS, *lib.* 2. *chirurgiæ magnæ*, *cap.* 18. *dicit*, actuale melius esse potentiali, quod & confirmat THEODORICUS, *lib* 3. *cap.* 45. LANFRANC. *doct.* 3. *tract.* 3. *cap.* 18. *inquit:* Scias quod actuale propter bonitatem simplicitatis suæ & propter brevitatem operationis suæ est nobilius & elegibilius. Porro, quemadmodum actu calidum in continenti suum opus perficit, & ubi non invenit materiam, in quam agat, cito consumitur, & cum invenit, nullam habens contrarietatem, nisi materiam unam solam, facit operationem suam consumere. *Idem*, *tract.* 5. *cap.* 6. *Antidot. ponit*, semper est tutius & nobilius operari cum cauterio ferri calido vel auri, quam cum medicina caustica. BERTAPALIA. *lib.* 6. *de apost. cap.* 8. *de Aschylos seu sphacelo*, *inquit*: Et scitote fratres, quos ex secreto curationis per cauterium cum igne & bonitate ejus super cauterium cum medicina comburente est, quod & repetit, *cap.* 2. *lib. de vulner.* MERCATUS, *lib.* 1. *de recto præsidiorum artis medicæ usu*, *cap.* 16. candens instrumentum magis probat: *addit*, Ruptoria medicamenta propter incertitudinem quantitatis ruptionis, quam ingerunt, summe partem labefactant. PERNUMIA ait, præstantius esse, & tutius cauterizare igne actuali, quam medicamento potentiali. PECCETTIUS, *lib.* 1. *cap.* 3. infert: Si ustio actualis fiat cito, tuto, jucunde, optime operatur, & igne nullum remedium est præstantius. PARAEUS, *lib.* 18. *cap.* 27. magis probat cauteria actualia, quia partem roborando excrementitios humores, quibus ipsa imbuta est, consumunt, quod non sic efficaciter fit potentialibus. RIEF etiam vult actualia tutius & utilius administrari quam potentialia: imo HEURNIUS, *meth. ad prax. lib.* 1. cauterizationem, quæ fit

fit ab igne flagrante, etsi crudelis sit, tamen tutissimam pronunciat.

In summa hæc, quæ in medium producta, præferentiam quidem, eamque ex diversitate morborum ortam, ostendunt: non autem inferunt, potentialia totaliter & absolute rejicienda. Etenim multi sunt affectus, e quorum numero apostemata frigida, quæ magis juvantur adhibito cauterio potentiali, quam actuali, quia vis illarum diutius & altius inhæret loco, & majorem dolorem imo attractionem causatur, hinc & materia frigida facilius ad suppurationem deducitur. Et contra alii sunt, qui ab utroque læduntur, ut tumores calidi, quos satius est lanceola aperire. Hic notandum, quod ubi authores actualia potentialibus præferunt, eaque rejiciunt totaliter, hos per potentialia illa intellexisse cauteria, quæ venenositatem & malignitatem sapiunt, quæque jure merito e chirurgorum antidotariis releganda, ac cane pejus & angue fugienda exsecrandaque: alia enim sunt maligna qualitate prædita, alia non item, quorum & ipsi mentionem in scriptis suis faciunt.

Electio cauterii an conveniat in formandis fonticulis.

Sed ad scopum collimando, considerandum quoque id, quod tractatui præsenti congruum esse videtur, scilicet, utrum tutius sit & convenientius potius actuali quam potentiali igne in effingendo fonticulo uti, vel utrum perinde. Hic finis & usus primo cauteriorum proprius, & ut sic dicam primarius, quatenus vel sunt instrumenta vel medicamenta, & cujus gratia ea administrantur in excavatione fonticuli, perpendendus. Ego nullum alium finem usumque cauteriorum agnosco, quam quod illis fiat solutio continui, nec alium agnosci primarium, præter hunc, posse, mihi persuadeo: quod vero paulatim contingat & superveniat affluxio, partim materiam, quæ in fluxu est, partim dolorem, qui solutionem continui insequitur, tanquam umbra corpus, quique attrahit, in causa esse certus sum. Nam nisi solveretur prius continuum, nunquam fieret effluxus per illum locum: excitantur enim & fonticuli absque ullo genere cauterii, per sectionem scilicet, ut cap. 8. demonstrabitur, unde primo vulnus, deinde ulcus fonticulum constituens efficitur.

Finis cauteriorum in effigendis fonticulis primarius.

Cauterium utrum eligendum.

Nunc ulterius progrediendum, videndumque, utrum sit eligendum: sunt qui contendunt, cauteria tutius adhiberi actualia, alii vice versa potentialia magis laudant. Qui actualia commendant, referunt, ea esse innoxia ob simplicem qualitatem

litatem & actionem celerem, & rejiciunt potentialia, eo quod tardioris ſunt motus, & maligna quadam *utplurimum* prædita natura, eſcharamque ultra debitum maxima ex parte efficiant profundatam. Qui potentialia extollunt, hæc partes debilitare, & eatenus majorem fluxionem inferre, atque per conſequens utilius adhiberi in producendo fontanellam, afferunt; contrarium autem agere cauteria actualia, ſcilicet, calore ſuo partes roborare & ſiccare, non autem fluxionem procreare affirmant, ac ob id haud admittenda conſulunt, verum hoc utrum verum, cap. 19. declarabit. Ego, ut mea ab experientia & rationibus deducta ſententia vobis innoteſcat, libere fateor, malle me potius ſex actuali, quam unam potentiali corpori meo infigi fontanellam: utrumque expertus, ac quotquot a me 14 annorum praxis meæ ſpatio adhibitæ fontanellæ, eæ, duabus exceptis, vel actuali cauterio vel ſectione peractæ fuere: Electori namque Principi Trevirenſi p. m. Lothario ex Italia rediens anno 1618. unam brachio, alteram ante annum plus minus gravidæ matronæ honeſtiſſimæ in cruris ſiniſtri parte domeſtica adminiſtravi. Actuale enim cauterium majorem metum quam dolorem incutit, contrario modo operatur potentiale: præterea eſchara actualiter producta 3 ad ſummum 4 die excidit, altero vero modo orto tenacius, & non niſi 8 vel 9 ſeparatur, prout altius profundata. Ad hæc actuali, *ferro ſcilicet candenti*, rotundum, nec latius ulcus quam requiritur, efficitur, imo teſte CELSO minus celeriter coit, cui & id accedit, quod ab uſtione ulcus orbiculare excitatur, quod ſua natura vix ſanatur: cauſticum autem, etiamſi perquam optime muniatur, vires ſuas nihilominus vicinioribus partibus communicat, & eſcharam latiorem producit ac profundiorem, maxime ubi pyrotica adjuncta, & corpora laxa, rara, mollia, ita ut ego exiſtimem, adulandi & metum auferendi gratia tantum inventa potentialia, non quod ſint tutiora & meliora actualibus. Sic enim inquit GUIDO, *tract.* 7. *doct.* 1. *cap.* 3. Potentiale cauterium ob puſillanimitatem patientis concedi poteſt: & MATTHIAS STOJUS *in conſil.* CRATON. a SCHOLTZIO *editis*, ait: Applicantur potius gratia adulandi viros effœminatos ignem formidantes, quia ignis in eo eſt occultatus. Tandem cum adminiſtrentur cauteria principaliter ut ſolvatur exinde continuum, diligenter primo perpendat chirurgus, dum adhibet potentialia, ut ſint talia, quorum energiam

Authoris ſententia de cauterio actuali & potentiali.

Actuale caut. majorem metum quam dolorem incutit.

Quæ obſervanda circa caut. potentialia.

nergiam exacte calleat. Secundo examinet accurate locum, ne is ſit nimis vicinus tendonibus, venis vel arteriis, quas, ſi forte citius operationes ſuas perficiat, non modo læderet, verum & peſſimis ſymptomatis anſam daret. Tertio revolvat ſeduloque examinet corporis partiumque craſin: in corpore namque hydropico tutior eſt ignis, in vegeto autem & ignem metuente concedi poſſet potentiale. Hæc ſi chirurgus mente tenuerit, ac præterea anatomiæ peritus fuerit, nihil oberit, quin & tuto applicetur potentiale, maxime ubi periculum inducias dat: alias citius operatur, quæ vel per uſtionem vel ſectionem fit fontanella.

CAPUT VI.

Quid fonticulus ſeu fontanella.

Fonticulus quid.

FOnticulus, fontanella, emiſſarium, quod &, ut ante notatum, improprie cauterium dicitur, *eſt ulcuſculum cutis ſimplex ſeu uno foramine, rotundum, non adeo profundum, nec tamen planum, in corpore humano, vel a natura, vel ab arte, a cauſa externa vel interna, diuturnæ evacuationis, derivationis revulſionis & interceptionis materiæ peccantis gratia productum, quod pilula detinetur apertum. Ulcuſculum* dico, ad differentiam magnorum ulcerum, & quidem jure, nam ut facilius commodiuſque geſtetur, non amplum in circumferentia eſſe debebat: *cutis*, quia illa pars eſt ſubjectum fonticulorum: *ſimplex ſeu uno foramine*, ad differentiam ſetacei, quod eſt duplicato foramine: *rotundum, non adeo profundum, nec tamen planum*, ut ſit diſcrimen inter fontanellam & fiſtulam, quæ quidem rotunda, ſed præter hoc profunda ſatis, ac ideo fonticulus rotundum foramen habet, ut ſit æqualitas effluentis materiæ, & diutius apertum ſervari poſſit: rotunda namque ulcera, ut norunt omnes chirurgi, curatu ſunt difficiliora, & plana a veſicatoriis excitantur: *in corpore humano*, ad differentiam beſtiarum: *vel a natura, vel ab arte*, duplex via eſt, per quam fonticuli excavantur, unam nobis monſtravit natura, alteram chirurgus, ad prioris imitationem molitur; unde & cauſa fonticulorum efficiens eſt duplex, una externa, inſtrumentum ſeu medicamentum urens vel ſecans: interna altera, humores ſcilicet acres, de quibus

Definitionis explicatio.

 latius

latius in seq. *diuturnæ evacuationis*, *derivationis*, *&c.* quæ finalis est fonticulorum causa, ad differentiam aliorum ulcerum post cauterizationem remanentium, quæ non tamdiu servantur aperta, sed evacuata materia contenta, obliterantur. Secus fit in fonticulis, quod ulcusculum magna solertia pilulis variis, quo minus consolidetur & coalescat, apertum custoditur. Ab Italis dicitur fontanella.

Fontanella & fonticulus utrum differant inter se.

FIENUS vero distinguit inter fontanellam & fonticulum, ut *fontanella* sit nomen generale omnibus ulceribus a combustione factis, conveniens nempe fonticulo, setoni & vesicatorio, *fonticulus* vero sit species: sed fontanella est Italicum, idem quod fonticulus, ut annotat BARTHOLINUS, setum etiam fonticulus est, & non contradistingui, sed subalternari debet. Fonticulus vox est diminutiva, idemque significat, quod parvulus fons, comparatione facta cum majoribus fontibus, ut enim hi, quo viciniores sunt multis scaturiginibus, eo copiosiorem aquam promunt, ita & fontanellæ, quo proximiores sunt, vel magnarum venarum truncis, aut earum ramulis quamplurimis irrigantur, eo majorem copiam humorum effundunt peccantium non sine patientis alleviatione summa. Quin & non inepte a fundendo nominis derivatio sumi potest, dum dicitur fonticulus : nam non secus ut ex illo aqua, sic ex hoc materia peccans funditur ; fons enim est caput aquæ nascentis, quasi fundens aquas, ut habet ISODORUS, *lib.* 13. *cap.* 21. Germani quoque idem nomen fere cum Italis servant, ac fontanellam dicunt, **flein brunlein** vertit PETRAEUS: appellatur quinetiam *emissarium*, ab emittendo, eo quod mali fomes inde emittitur.

Fonticulus vox diminutiva.

Fonticulus a fundendo.

Emissarium.

Fonticuli definitio ex Claudino.

Ultimo placuit his adjungere CLAUDINI definitionem, quæ sic habet. *Fonticulus est ulcus rotundum, parva circumferentia circumscriptum, cavum, in extima humani corporis parte, a materia medica ignea caustica excitatum, ut materia morbifica, præcipue vero fluida, quæ sensim in corpore gignitur, colligiturque sensim etiam evacuetur.*

CAPUT

CAPUT VII.

Quotuplex fonticulus, & quid naturalis.

IN definitione fonticuli, ubi de materia & causa efficiente tractatum, hunc vel a *natura*, vel ab *arte* excitari ac produci posse traditum: hinc, qui ab arte, artificialis, qui vero a natura, naturalis dicitur: circa hunc consideratur chirurgus ut minister, circa illum, ut æmulator.

Fonticulus duplex.

Naturalis itaque fontanella *ulcusculum cavum est, a natura exstructum in externa corporis parte, a minera biliosa, acri salsaque, qualis & evacuatur, dependens.* Tale ulcusculum a natura productum, ubi curationem respuit, & chirurgus patientem inde alleviari, ac ab effectibus alias sæpius invadere solitis, præservari videt, fontanellæ vices gerit, & non secus ut illa tractatur. Hoc idipsum experientia quotidiana palam facit in eis, qui fistulis aut ulceribus tibiarum annuis laborant, hypochondriacique sunt; quod si eis ulcera hæc chronica sanentur, quibus natura alias tanquam fonticulis uti consuevit, mortem accelerare: si vero ex iis seu uno horum fonticulus struatur, (*sit etiam in quovis corporis loco*) sanatis quippe reliquis in locis minus convenientibus sitis, diutius & salubrius vitali illos vesci aura. Cujus rei quamplurima proferre possem exempla, quæ in aliud tempus reservo, & Deo annuente *chirurgo medicis meis observationibus* inserere studebo. Unicum illud SPIGELII, anatomici Patavini præceptoris mei patris instar colendi, huc transportare libet; *hæc est historia, quam tradit de corporis humani fabrica, lib. 5. cap. 3. circa finem.*

Quid fonticulus naturalis.

Historia.

Quin imo meminimus, curatam aliquando in Germania a nobis fuisse puellam, quæ in media coxa fistulam habuit, & per tres annos frustra multorum auxilium imploraverat, sed curatam tandem, post tres quatuorve menses in sanguinis copiosum sputum incidisse. Ego, etsi vix decimum attigerat annum, ex pede ægro, in quo fistula laboraverat, sanguinem illico detraxi, corporeque purgato, & inusto prope locum, in quo fistula fuerat, cauterio, ipsam a tabe præsentissima, facile sic vindicavi: sputum hoc sanguinis non aliunde contingebat, quam ab acri illa & biliosa materia, quæ cum nullum per fistulam amplius exitum inveniret, ad pulmones, per ramos venæ cavæ postmodum ascendit.

Claudinus, *responſ.* 43. ſimiliter etiam duo genera fonticulorum agnovit, inquiens. Ab efficiente quoque cauteria ſuas acquirunt differentias: aliud igitur cauterium fit a materia exurente intrinſecus, uti quando in corpore ſuccus acris ad aliquam corporis partem decumbit, ibique ulcus excitat, quod in *cauterium* velut *naturale* abit: aliud rurſus eſt cauterium, quod fit a materia ignea cauſtica.

Solenand. *conſ.* 15. *ſect.* 3. Ulcera crurum cauteriorum vices generare poſſe aſſerit: & Mercatus *loco citato hæc habet.* Qua ratione ars ex eis, quæ naturam utiliter in morbis movere cognoverit, indicatione ſumta, idem ſalubriter molitur; fere enim idem importat verbum illud fiſtulantur, ac ex arte fontanellam efficere. Hoc tamen diſcrimen inter fontanellam & fiſtulam ego ſtatuo: fiſtula per ſe, fontanella per accidens aperta *(pila ſcilicet)* ſervatur. Sic in hydrope *(ait idem)* etiam docuit rerum magiſtra natura, hoc præſidium eſſe profuturum, ſiquidem ipſa, dum tali morbo vexatur, hoc utitur auxilio, excitatis ulceribus in cruribus ipſis, per quæ facile uberem aquoſi humoris copiam expellit, donec ex toto paulatina evacuatione immunis evadit.

Authoris inter fiſtulam & fontanellam diſcrimen.

Hiſtoria.

Gualterus Rief in ſeiner groſſen chirurgia erzehlt ein exempel, mit welchem er andeutet das fontanellæ naturales ſein, vnd von der natur erweckt werden, vnd ſolchs aus dem Alexandro Benedicto einem furtreſſlichen Italianſchem medico, nemblich, wie das er geſehen hab, wie in ſolchen gebrechen (nemblich der Waſſerſucht) *Caſſandra Trona* des Furſten tochter, in vnmeſſiger zerſchwellung der ſchenckel ſolche cauteria (nemblich die *artificialia*) nicht habe wollen zulaſſen, da ſein jhr die ſchenckel vnderhalb von jhnen ſelbſt aufgebrochen bey den zehen, vornen am fuß, daraus dan viel waſſers gefloſſen, dermaſſen, das ſit von ſolcher Waſſerſuchtigen geſchwulſt entledigt worden: *id eſt.* Rief in chirurgia ſua majori narrat exemplum, quo declarat, & dari naturales fontanellas, a natura excitatas, idipſumque ex authoritate Alexandri Benedicti medici Itali excellentiſſimi, quippe qui viderit, dum in tali caſu *(hydrope)* Caſſandra Trona principis filia, in notabili tumore crurum cauteria hæc *(artificialia)* noluerit admittere; quod ſponte in inferiori loco pedum prope digitos materia poſtea exitum produxerit, ex quo copioſiſſima aqua effluxit, ita ut hoc remedii genere ab hydrope liberata fuerit. His & adjungere placuit, naturam

ram non modo primo & per ſe, ſed ex accidenti, ex vulnere ſcilicet inflicto, emiſſarium quoque producere, quo fonticuli inſtar utitur, & ab affectibus alias incurabilibus patientes liberat: cujus rei evidens exemplum nobis proponit HILDANUS noſtri ſeculi protochirurgus, *obſ. chirurg. cent.* 2. *obſ.* 8. his verbis.

Hiſtoria.

Magiſter Petrus Faber ferrarius, vicinus meus Hildenæ in patria, anno 1593. ad conjunctionem ſuturæ ſagittalis cum coronali, ſecuri percuſſus, cum inſigni cranii fractione, mox in terram ſemianimis decidit, & cibum indigeſtum evomuit. Ego vocatus, vulnus ſatis hians cum maxima, & ad duram menyngem uſque cranii fractione, offendi: multa graviſſimaque ſymptomata ſupervenerunt, imprimis vero dolor & inflammatio, quæ multum negotii mihi faceſſere; tandem ſumma adhibita diligentia, multiſque extractis oſſium fragmentis, cerebro item ſatis expurgato, Divino favore, ſymptomata paulatim remiſerunt, ita ut convaluerit, ulcus vero in fiſtulam degeneratum, nulla diligentia, nullaque arte adhibita, cicatrice obducere potui: ſed quod exitioſum atque mortale ſibi fore videbatur, in maximum commodum ceſſit. Cum enim antea continuo Cephalæa vexaretur, poſtea ſanus, & ab omni dolore capitis liber per annos vixit multos, &c.

CAPUT VIII.

Quid fonticulus artificialis, quot modis efformetur, & quæ circa adminiſtrationem conſideranda.

Fonticulus artificialis unde dictus & quotuplex.

ARtificialis fonticulus inde dicitur, quia arte chirurgi *experti* efformatur, qui eſt æmulator hac in parte naturæ: ars namque quæ habet, omnia a natura fere mutuatur. Fonticulus autem hic artificialis duplex eſt, vel cum uno, vel cum duobus foraminibus, hic fonticulus ſimpliciter, ille ſetaceum appellatur, *de quo in ſeq.* hoc in loco tantum ſermo erit de fonticulo, quatenus eſt ulcus unicum, cavum, &c. *ut cap.* 6. *traditum.* Variis fit modis: vel igne, eoque duplici, actuali & potentiali, vel ſectione, quæ & ſimiliter bifariam

Quot modis fiat.

am consideratur, estque vel cum vel sine substantiæ deperditione.

Authoris modus per ignem actualem.

Primum modum per ignem actualem semper præferendum tutissimumque sic administro: instrumentum (*tab. de inst. fig.* 8. *cap.* 12.) apprime candefiat, quo enim calidius est, eo melius, imo jucundius ac tutius operationem suam perficit: antequam autem ferramentum hoc candens cuti appono, prius laminam (*fig.* 7.) loco affecto sinistra manu firmiter adhibeo, ita ut per foramen ipsius appareat locus atramento notatus, cui intrudo post candens superius dictum instrumentum, ac observo, ne ultra debitum permaneat, escharamque debito profundiorem excitet. Quod si dubium me reddit patiens, utrum sit sustenturus, famulo brachium apprehendendum firmiterque tenendum trado: in defectu autem ministri excogitatum a me est instrumentum, quod *cap.* 12. *sub fig.* 20. describetur. Facta cauterizatione, statim unguentum album camphoratum circumcirca adhibeo, escharæ vero butyrum non salitum filamentis carptis illitum impono, ac emplastro ex curcuma in speculo meo chirurg. obs. 19. descripto tego; ultimo fasciam congruam circumdo, ac in simili apparatu ad 3 vel 4 diem persisto, ubi autem separationem escharæ animadverto, statim pisum butyro illitum applico, atque sic facilius casum ejus non modo promoveo, verum & profunditatem adipiscor: pisum autem filum (*fig.* 17.) trajectum continet, quo commodius extrahi posset: *& hic est meus processus.*

Authoris instrumentum.

Operatio crudelis.

Claudinus hunc observat, inquiens: Usitata instrumenta igniantur, ita ut candeant & rubeant, & punctim imprimantur, & in orbem circumferantur: quod ut tutius agatur, primum locus ustionis est obsignandus atramento scriptorio, deinde partes circumsitæ muniendæ linteamine aqua simplici vel rosacea imbuto, vel albo ovi, ac in medio perforato, ut locus obsignatus pateat, tandemque materia aliqua ferrea vel similis non ignita ad formam cochlearis vel alterius figuræ commodæ in medio perforatæ est superdanda, materiaque candens in foramen illud immittenda, atque eousque ibi detinenda, quousque tota cutis fuerit inusta, tandemque linteamen frigida imbutum est apponendum.

Franc. de Pedemonte modus hic est: Ut jaceat infirmus secundum figuram magis aptam appositioni ipsius, & prohibeatur ei motus, & conservetur ejus circuitus doloris & impleatur medium ejus sale, & ponatur desuper parum olei, & ponatur desuper pannus,

pannus; & igniatur cauterium aureum vel ferreum justo modo, & inter locum & ipsum instrumentum mittatur, quod profundationem cauterii regulet sic, ut cutem totam perforet, transeatque usque ad carnem, & ad vias perveniat, vel earum superficiem, & non ultra: deinde repleatur impressio adipe, & supposita lana ligetur, &c.

Secundum, qui igne potentiali fit, modum, taliter instituo. Primo, appono loco electo portionem vesicatorii, quod relinquo usque quo vesica excitata, forcipe eandem aperio, ac ulceratæ parti admoveo pilulam, deinde emplastrum, post cingulum cereum, ne huc illucque fluctuet, tandem pulvillum exiguum, ac supra hunc majorem superpono, ultimo fascia arctius hæc omnia constringo, atque sic profunditatem adipiscor. Verum notet chirurgus, dolorificam esse hanc methodum, quam tamen approbat LUSITANUS cent. 5. curat. 7. his verbis. Vesicula ex vesicatorio levata forficibus scinditur, ciceris granum superimponitur, & stricta fascia superligatur, ita ut carnem penetret, & fonticulus adapertus maneat. Secundo, ruptorio caustico seu escharotico hunc in modum procedo, prout is mihi a parente meo p. m. LUDIVICO GLANDORP Chirurgo Coloniensi relictus. Locum prius frico, deinde emplastrum aliquod tenaciter adhærens, ac in medio foramen conveniens pervium habens, appono, ita tamen ut per oculum emplastri appareat atramento notata pars, quam leviter saliva humecto, vel aqua simplici vel plantaginis, vel simili, cui deinde impono lapillum causticum, quem emplastro tego exiguis foraminibus pertuso, nec id frustra, nam tali modo, quod diligenter velim adnotent chirurgi, aer ambiens facilius communicatur ruptorio, hinc liquescit & dissolvitur ocyus, atque sic per consequens citius in actum deducitur; quo peracto, digestivum casum escharæ accelerans, filamentis carptis crustæ superimpono, præ aliis autem butyrum sine sale eligo, ac parti vicinæ, si opus, anodyna vel ex aquis distillatis, vel infrigidantia unguenta adhibeo. Escharam autem illam, quoniam tardius secedit, in secundo vel tertio apparatu scalpello seu lanceola decussatim soleo incidere, alias enim vix intra 8 vel 10 dies excidet.

Authoris modus per ignem potent.

Cautio.

Authoris secundus per ignem potent. modus.

Adhortatio ad chirurgos.

MERCATUS hanc normam servat. Ruptorium in digitali seu nucleo excipit in quantitate tali, quæ excipiendo foramini sit par, & parti adhibet, ibidemque morari sinit duarum

duarum horarum ſpatio, quod ſuſpicatur in mediocribus corporibus eſſe ſufficiens tempus, ut fontanella excavetur.

CLAUDINI hæc eſt methodus, qui *reſponſ.* 43. ſic inquit. Loco ſignato ceratum ex palma vel aliud ſimile ſuper corium vel linteamen in medio perforatum foramine exiguo & decenti eſt ſuperdandum, mox imponendum cauſticum, quod, ut ibi detineatur, ſuperponendum aliud linteamen, vel corium cerato aliquo ex prædictis refertum, mox cauſticum & cerata ſunt abjicienda, abluendus eſt locus aqua ſimplici, vel roſacea, poſtremo agendum ut infra. Cauterium vero tamdiu eſt detinendum, quamdiu locus nigreſcat, quod ſolet citius vel tardius evenire, pro cauſtici vehementia & partis natura: nam a vehementi cauſtico in parte molliori fit citius impreſſio, quam in dura, & a cauſtico mitiori. Eſchara utraque tam a potentiali quam actuali cauterio inducta non ſtatim nec vi, ſed præhabita illius maturatione, ut ſponte decidat, eſt maturanda; maturatio autem fit per ea, quæ ſuppurationem & putrefactionem ferunt, ideo vel butyrum ſolum, vel adipem ſuillum ex folio braſſicæ adhibitum probo: quæ medicamenta, quo frequentius mutantur, eo etiam eſchara citius maturatur, quod ut in cauterio potentiali quamprimum eveniat, eſchara ad modum crucis incidenda eſt.

Eſchara quando auferenda.

HILDANUS, *epiſt.* 69. *pag.* 392. ſic ſcribit: magnitudo piſi parvi inſtrumento illo argenteo, quod mitto, incluſa ſufficit, emplaſtro autem aliquo tenaciter adhærenti cooperire convenit: inſtrumentum hoc ne loco ſuo amoveatur, pulvillus quoque ex linteo reduplicato ſuperimponendus, & faſcia arcte ligandus eſt, ne cauterium, cum liqueſcit, circumjacentes partes contaminet.

MARIANUS SANCTUS, in ſuo compendio chirurgiæ, potentiale cauterium taliter adhibet, inquiens: Sed antequam applicaretur, petiolam unam confeci, qua tegerem, ne cauterium alteram partem, quam vellem, perforaret. Quam hercle petiam illinivi unguento tenaci, in medio illius tantum foraminis reliqui, quanto me pro illius apertione indigere cognovi, in quo cauterium impoſui, ac deinde altera petiola eodem unguento tenaci (*ne cauterium decideret*) ipſum cooperui: & ſic coopertum per dimidium horæ aut plus minus ibi ſtetit, &c. ad caſum eſcharæ ANDERNACUS butyro igne liquato lintea imbuit, vel vernicem vulgo dictam liquidam in vitello & butyro miſcet, ſuperponitque.

Caſum eſcharæ accelerantia.

LAN-

Lanfranc. *doct.* 3. *tract.* 3. *cap.* 18. pro amotione eſcharæ laudat axungiam ſimiliter antiquam, butyrum, vel axungiam piſtatam cum foliis caulium. *Idem*, *tract.* 5. *in antidot. cap.* 6. ait, medicina cruſtam faciens cadere, & dolorem & ardorem mitigans, eſt vitellum ovi cum oleo roſato, quod omnibus aliis prævalet medicinis.

Reſtat nunc modum, qui inciſione peragitur, tradere, qui duplex eſt; alius enim cum, alius ſine ſubſtantiæ deperditione fit. Sine ſubſtantiæ deperditione duobus modis perficitur. 1. Vel enim novacula aut lanceola locus ſignatus, non tamen ultra cutim inciditur pro loci conditione, vel per rectum, vel per tranſverſum. 2. Vel inſtrumento (*fig.* 4.) a me invento cutis elevatur, ſimiliterque cultello (*fig.* 5.) ad id aptato eadem inciditur. Cum deperditione ſubſtantiæ fit eodem inſtrumento, cutim, prout res poſtulat, attollente a ſubjecta carne & muſculis, deinde id, quod cavitatem forcipis implet, eodem cultello exſcinditur, atque ſic foramen rotundum ſtatim efformatur. Aliud quoque excogitavi inſtrumentum, quod & apprehendit, & ſimul tantum, quantum ſatis eſt, cutis aufert, foramenque ſimiliter orbiculare inducit (*fig.* 6.) cui imponitur piſum cum anodyno, ut foramen vel amplietur, vel profundetur.

Inciſionis modus duplex.

Authoris inſtrumenta.

Verum notandum circa hanc adminiſtrationem, maximos non raro hic excitari dolores, quia piſum ſtatim durum ſenſili valde imponitur loco, & illa ſolutio continui eſt violenta, nec fit mediante eſchara. Inſtituitur quoque majori cum periculo, teſte Claudino, quia ſanguinis profuſionem longioremque doloris ſenſum adferre ſolet, & cauterium ab illa inductum, vix diu apertum aſſervari ſolet. *Sed de his ſatis: jam conſideranda reſtant, quæ circa adminiſtrationem perpendenda.*

Circa ſectionem notanda.

Sunt quidam, qui uſque ad interſtitia muſculorum cauterium imprimendum eſſe ſtatuunt: verum, ut dicam quid de illo ſentiam, nuſquam mihi placuit ob ſequentes rationes: Nam ſive ſit ignis actualis ſive potentialis, qui eouſque impellitur, eſcharam ſane excitat ſatis profundam, quæ prseterquam quod difficulter excidit, venas capillares quoque abſumit, & periculum, ne vel venæ, vel arteriæ, vel nervi, vel tendones & muſculorum membranæ inde lædantur, inducit: ſed ſemper vix ultra cutim cauterizationem inſtitui, ubi autem ulcus profundius materiam expoſcere animadvertebam, piſo majori, aut alio aliquo imprimente faſcia arctius conſtricta id ipſum effeci, ſemperque, laus Deo, feliciter ſucceſſit.

Quæ circa adminiſtrationem obſervanda.

cessit. Heurnius vero, *lib.* 1. *method. ad praxin* contrarium statuit, inquiens: Cum uruntur nostro cauterio (*potentiali*) fontanellæ, eousque pervadere earum vis cutim debet, dum subjecti musculi membranula exedatur. Quod vero quam sit difficile observatu, norunt, qui chirurgiæ practicæ operam navant. Satius autem hac in re consilium fidele Hildani Clarissimi imitari, qui *observ. chirurg. cent.* 4. *obs.* 73. & *epistol. cent.* 1. *epist.* 64. hæc habet. Diligenter autem prospiciendum est, ne eschara nimis magna & profunda comburatur: hoc enim non solum odiosum & dolorosum est, verum etiam fonticulus inde veluti inutilis efficitur, erosis videlicet venis capillaribus, per quas natura humores peccantes expellere debebat: nonnunquam quoque partes nervosæ e caustico, si profundam fecerit escharam, læduntur; hinc dolor ingens, & continuus, aliaque gravissima symptomata sequuntur, uti demonstrat, *obs.* 94. *cent.* 1.

Circa escharam considerandum.

CAPUT IX.

Fonticulus quomodo post casum escharæ tractandus.

Ablata eschara statim pisum filo transfossum, & nodo firmatum, impono; deinde folii hederæ arboreæ foraminibus quamplurimis pertusi partem aversam, supra quod aliud folium non perforatum, cui deinde pulvillum primo exiguum, postea telam aliquoties duplicatam sed latiorem in medio chartam comprehendentem bibulam, tandem fasciam circumdo lamina donatam argentea, quæ *fig.* 20. *cap.* 12. describitur: interdum loco ciceris pilulam ex cera alba virginea seu veneta, vel globulum ex radice consolidæ majoris efformatum impono, in defectu foliorum hederæ utor vel foliis brassicæ, vel plantaginis, vel liliorum alborum, vel emplastro ex curcuma seu citrino, ac bis in die medicamenta immuto.

Joann. Naevius *in consiliis Cratonis a Scholtzio editis, consil.* 14. unguento apostolorum & cera virginea utitur. Helidaeus de Paduanis, *cons.* 80. post casum escharæ imponit granum ciceris, & supra folium hederæ. Weckerus,

KERUS, *lib.* 6. *cap.* 2. *ait:* ſervabuntur autem aperta tentis & nodis ex cera ſimplici factis vel piſo, vel gentiana, & deſuper ponuntur folia caulium, aut hederæ, ſupra panni triplicati bis in die mutati. BERTRUCIUS, *tract.* *unico,* *ſect.* 4. *cap.* 2. *dicit:* ponatur ſuper ea pilula ex ære & pilis leporis, vel pilis lanæ conſtructa. LUSITANUS, *cent.* 5. *obſ.* 7. *inquit,* bis tamen in die, mane & ſero, fonticulum illum apertum curabat, & a ſorditie abſtergebat, novo ſemper mutato cicere. SENNERTUS, *lib.* 5. *part.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 9. *ait.* Ulcere ſatis dilatato, vel globulus ex cera, vel galerus argenteus rotundus plurimis in locis perforatus, & ſpongiola repletus in foramine continuo geſtetur, & convenienter deligetur, ac bis ſingulis diebus ulcus mundetur. ANDERNACUS ſcribit, ubi jam cruſta deciderit, pulvis hydrargiri levigati vulneri inſpergitur: is namque occludi hoc non ſinit, & diu apertum ſervat, quare etiam emplaſtris & unguentis vi attrahendi purgandique præditis rite miſcetur, &c. vel piſum, vel particulæ rotundæ ex ſubure aut ſpongia arctiſſime compreſſa inciſæ immittantur, ſuperque detur emplaſtrum. SOLENANDER, *conſ.* 11. *ſect.* 1. vult, ne occludatur, fovendum inſerta pilula ex cera, vel hederæ ligno, vel argentea concava ſphærula, vel piſo, vel cicere, & ſolum braſſicæ, vel hederæ, vel perſonatæ folium inducendum. CLAUDIN. *reſp.* 43. *ait.* Certum eſt, bis in die petias chartamque mutari, globulum vero non ſemper extrahi ſed circumagi debere. Conſervatur apertum (*cauterium*) ſi globulus aliquis ex filamentis aridis, vel medulla ſambuci, aut ſorgi, ſeu melicæ butyro illitus in foramen immittatur, ac ita ſtatuatur, ut loco dimoveri non poſſit, ideo petia, linea duplicata, & in cujus medio ſit folium hederæ, aut plantaginis, vel charta ſorbilis eſt ſuperdanda, huicque alia charta durior, luſoria vocata, primum, mox lamina argenti vel aurichalci una cum faſcia ad comprimendum globulum, adjecto pulvino eſt ſuperponenda: ſic enim ulcuſculum cavum citiſſime reddetur, & ut caro circumcirca ſuccreſcat, cutis regeneretur, & elegans foramen conformetur, filamenta ex unguento vel de ſuccis, vel de betonica vel Iſide pro temperatura partis, temporeque anni illita ſupra globulum immediate erunt adhibenda. MERCURIAL. *lib.* 4. *cap.* 1. *ait.* Parum proſunt, niſi diu aperta ſervantur, & ut aperta maneant, utimur primo mollientibus & putrefacientibus, cujuſmodi ſunt pinguedines gallinæ, butyrum, &c. quia vero interdum con-

tingit, ut cito consolidentur, ne consolidentur ante tempus, solent hæc ulcera elleboro nigro sapone aspero, flore æris & sale fricari; pulverisantur hæc omnia, & apponuntur ulceribus: qui pulveres irritant ulcus, & efficiunt, ut diu maneat apertum. *Verum hæc dum promit, ipsum potius ad alia ulcera cauteriis inducta, quam fontanellas meo judicio respicere arbitror.*

CAPUT X.

Fonticulus quando adhibendus declarat, simul & indicantia, coindicantia & contraindicantia exponit.

Indicantia unde sumantur.

Cujus regionis vitium sit humor.

ANtequam tempus determinetur fonticulorum impressioni congruum, indicantia, coindicantia, & contraindicantia prius perpendenda. Ad indicantia primo quod attinet: hæc sumuntur a materia, circa quam & considerantur ejus generatio, qualitas, quantitas, motus & quies. Quantum ad generationem materiæ, quæ per fonticulos evacuatur, quoniam illa talis est, quæ quotidie generatur, & excrementitia ac non naturalis existit, inquirendum, cujus regionis vitio hæc eadem producatur. Hoc id ipsum dilucide tradit MERCATUS, *lib.* 1. *de recto præsid. art. med. usu, cap.* 16. *inquiens.* Non potest fieri vitio primæ regionis, cujus vitia vomitu & clysteribus corriguntur: nec secundæ regionis, quæ emendari possunt purgationibus & sanguinis missione: sed vitio tertiæ regionis infeliciter munus suum perficientis: ubi materia scilicet ob alicujus partis distemperiem aut languorem, quotidiana propagatione in aliam particulam delabitur, aut ibidem detenta morbum efficit. Hæc materia quia continue generatur, continuum emissarium & evacuatorium requirit, atque hoc non potest esse venæ sectio, propter imminens vitæ dispendium; neque expurgans medicamentum, quod, licet aliquando prosit, frequentia tamen plurimum obest; neque exercitium, neque balnea, neque alia hujus census; eapropter in tali generatione jure merito fonticulus excavatur, per quem, quod continue generatur, continue etiam evacuatur, raro enim & difficulter aliis affectibus prodesse

prodesse potest, quam eis, qui vitio tertiæ regionis contingunt.

Porro circa materiam, *ut dictum est*, cum & consideretur qualitas, quæ intemperiem denotat, discernendum, qualis nam requiratur, & debeat illa esse, quæ per fonticulos evacuetur, & num in omni intemperie fonticuli conveniant. Materia, quæ per fontanellas evomitur, est crassa, tenuis, ichorosa, vaporosa, acris, salsa, calida, frigida, humida; sicca proprie loquendo per ea excerni nequit, nisi per siccitatem velimus intelligere vapores seu fumositates & auram quandam malignam. Sunt, qui materia existente calida, fonticulos improbant: alii frigida, alii humida; quid de illis sentiendum, consulat lector, *cap.* 11. Ultimo circa qualitatem materiæ spectatur manifesta & occulta ejus energia. Ulterius & perpenditur quantitas materiæ, quæ quamvis nunc major nunc minor est pro diversitate corporum, nihilominus tamen indicat fonticulos, obstrepentibus nonnullis quippe qui inutiles esse ajunt in paucitate materiæ, asserentes, hanc facilius medicamentis absumi, & in abundantia humorum, hos minime per unicum tale emissarium evacuari posse. Verum experientia utrumque aliter demonstrat, imo si unus non sit sufficiens, duo vel plures pro re nata sunt efficiendi, prout hoc testantur doctorum monumenta.

Circa materiam consideratur qualitas.

Qualis materia excernatur per fonticulos.

Motus quoque & quies circa materiam perspecta esse debet: nam si in loco quiescat, & parti quodam modo impacta infarctaque sit, ac halitum seu auram malignam ad alias amandet partes, fonticulus loco affecto impositus hanc evacuare potest; præterea si eadem materia sit fluxilis & mobilis, necessario & adhibetur fontanella vel intercipiens, derivans, vel revellens, nam exinde jugiter evacuari potest id, quod quotidie generatur, & circa musculorum consistit spatia inania, ubi materia hæc transitum suum habet, perque venas capillares in fonticulorum cavitatem ejicit.

Coindicantia fonticulum sunt, 1. Crasis & temperies ipsius cutis, quæ ratione continuitatis evacuationem impedit: hoc autem ut fiat commodius cum juvamento coindicat fonticulum. 2. Ætas florens simul coindicat: nec non, 3. Corporis habitus pravis succis saburratus.

Coindicantia fonticulum.

Contraindicans est habitus corporis emaciatus, non ex miasmate pravorum humorum, sed ex penuria alimentique defectu originem trahens: etenim macies, quæ ex inquinamento pravorum humorum oritur, per fonticulos corrigi potest, educta

Contraindicans fonticulum.

educta scilicet materia peccante, quia teste GALENO una cum pravis humoribus semper & aliquid boni succi evacuatur.

Tempus quotupliciter sumatur.

Jam ad temporis considerationem transgrediendum, videndumque, quando scilicet adhibendi: *Ubi notandum*, tempus dupliciter sumi posse: aliud enim est electionis, necessitatis aliud. In tempore necessitatis, utpote morbis extremis, non incumbendum prius universalioribus, quia *extremis morbis, extrema remedia:* & quo citius, eo melius, hinc & tutius actuali quam potentiali cauterio infiguntur. Tempore vero electionis, primo universaliora præmittenda, ubi scilicet morbus dat inducias, nec adeo urget malum; est enim ultimum in efficacia, & ultimo loco adhiberi desiderat: imo secundum ALBUCAS. ac GUIDON. est ultimum instrumentum medicinæ, non ultimate finis, sed ordinis, quod post diætam, & pharmaciam, & phlebotomiam debet fieri, ubi convenit, aliter faceret multa mala: hinc teste BELTRUC. *tract.* 1. *sect.* 1. *cap.* 1. fortissimæ medicinæ ultimo sunt administrandæ: sic LUSITAN. *cent.* 5. *cur.* 7. videns nec diæta, nec pharmacis juvenem adjutum, ad opus manuale, tanquam certum, & a se & cæteris medicis hodiernis doctis quam pro comperto remedium confugit, id autem erat fonticulus in brachio. MESUE similiter, *summa* 5. *cap.* 2. vult, haud administrari debere ante mundificationem totius cum medicina solutiva, mundificante etiam caput ipsum, & corpus totum, & hoc pluribus vicibus. MERCUR. etiam, *tomo* 3. *lib.* 1. *cap.* 20. *ait:* satius esse tentatis & nihil juvantibus aliis præsidiis, protinus fonticulis insistere. *Idem loco* citato suadet, præmitti debere jure expurgationes & sanguinis missiones juxta laborantis & affectus indigentiam & naturam. SOLENAN. *sect.* 2. *cons.* 53. suadet impressionem cauterii post corporis purgationem. ALBUC. ait, omni tempore potest applicari, duntaxat quod corpus sit mundum non repletum: Universalis enim evacuatio, suadente GUIDONE, *tract.* 7. *doct.* 1. *cap.* 3. debet præcedere particularem in ordine operationis recto. Hoc necessarium esse confirmat LANFRANC. *tract.* 3. *doct.* 3. *cap.* 18. his verbis: Plures vidi, qui aliquibus plenis humoribus faciebant sub genu cauterium ante purgationem, unde propter nimiam humorum defluentiam crura tumebant, adeo quod locus cauterizatus corrumpebatur, & cancer ibi fiebat, qui difficile curabatur.

Universalia præcedere debent particular.

Sit

Sit itaque conclusum, in extremis morbis statim & ab initio fonticulos adhibendos: in chronicis vero & aliis, universaliora semper præmitti debere, & tuto posse, juxta laborantis ac affectus naturam & indigentiam.

CAPUT XI.

De vero & genuino fonticulorum situ, ac conditionibus observandis.

VEteres cauteria sua tribus ventribus & artubus, capiti scilicet, thoraci, abdomini, brachiis, & cruribus affixerunt. Nostro autem seculo fonticuli *artificiales* capiti, cervici, brachiis, femoribus & cruribus utplurimum tantum adhibentur.

Loca cauteriorum antiquorum & modernorum fontanellarum.

De cauterio in Sutura coronali.

Hujus fonticuli locus antequam designetur, operæ pretium fore arbitror, cranii primo præmittere constitutionem, sic enim facilius, quæ de eo proponuntur, captui nostro sese offerent. Ossa itaque crani adultorum scilicet & recens natorum differunt inter se figura, numero, substantia & connexione; in *adultis* interventu *suturæ*, in *recens natis* autem, teste SPIGELIO, *de formato fætu, cap.* 6. *laxa* quadam *harmonia* conjunguntur, & mediante membrana sese mutuo tangunt, quod in basi capitis, *vertex* dicta, omnium perfectissime conspicitur. Ubi enim in adultis sutura coronalis cum sagittali jungitur, ibi in recenter natis ossis loco membrana triangularis cernitur, sub qua motus cerebri non modo tactu sed & visu apparet, unde a nonnullis *palpitans vertex*, ab ARISTOT. ὄστεον ὑστερογενὲς, id est, ultimo loco genitum (*os*) dicitur: hic enim locus non evadit osseus, nisi quando puer loqui incipit. BARTHOLIN. *lib. de ossib. cap.* 6. vocat *fontanellam* capitis, & *fontem pulsantem*, alii appellant *fontem* capitis. JOAN. SERAPIO *in breviario, tract.* I. *cap.* 9. nominat *matrem* capitis, VOLCHERUS *foliolum germanorum*, Galli vocant *la fontanelle.* Divinus ille VESALIUS *de humani corporis fabrica, lib.* I. *cap.* 6. sic inquit, Qui tamen illud

illud (*scilicet os frontis*) his committitur, & sagittalis sutura in coronalem incidit, frontis os tenuius infirmiusque est, quam in ipsa fronte. Hæc sedes, qua dictæ jam suturæ invicem committuntur, totius calvariæ pars mollissima rarissimaque occurrit: est enim illa, quæ in nuper natis infantibus adhuc membranea ac recenti caseo similis tangentibus sentitur, & quæ in puerulis manducantibus respirantibusque movetur. Quoniam vero hæc sedes Arabibus *Zeudech* nuncupata, inter excarnes capitis partes tenuissima est, & suturæ nusquam laxius hærent, medici huic *cauteria* vulgo dicta, vel candescente auro, vel ferro, vel urente quopiam medicamine pro affectus ratione (*sed parum tuto interim exiguoque adeo commodo*) adhibent. Officulum hoc annuente PAVIO, *part.* I. *de ossib.* quo hanc hiaturam postmodum claudit natura, reliquis capitis ossibus nunquam similem postmodum induit crassitudinem nec soliditatem, lumini objectum si intuearis, calvam transparentem hunc ut plurimum cernes locum, hæcque causa quod periti medici huic loco apprime cauteria ad catarrhi in pulmonem ruentis cohibendam ferociam consulant: imo de eodem hæc tradit LAURENT. *lib. de ossib. cap.* 16. sincipitis ossa integra quidem sunt, & solida inferiore parte, sed superiore, ubi coronalis & sagittalis coeunt omnium imperfectissima, cavitatem enim efformant velut hiatum, quem crassa membrana tegit, Arabes *Zeudech* vocant, nostri fontanellam, membrano hæc omnium postrema densatur, siccessit & ossea evadit. In adultis os frontis est unicum, in recens natis in dextram & sinistram partem dirimitur per harmoniam : ossa sincipitis in adultis sunt integra, in recens natis juxta verticem prope membranam triangularem non nihil abbreviata. Os occipitis in adultis unicum est, in recens natis ex 4 constat partibus : *& hæc de cranii ossibus dicta sufficiant : superest verum locum in sincipite inquirere.*

Zeudech.

Modi investigandi locum in sincipite varii.

ALBUCAS. *lib.* I. *cap.* 4. modum investigandi sic proponit. Præcipe infirmo, ut radat caput suum cum novacula, deinde fac eum sedere inter manus tuas quadratum, ita ut habeat manus suas super pectus suum, deinde pone radicem palmæ tuæ super radicem nasi sui inter oculos suos, ubicunque ergo pervenerit digitus tuus medius, signa locum illum cum encausto, &c.

VIGO, *lib.* 8. *cap.* 15. *inquit.* Locus vero prædictæ coronalis commissuræ cognoscitur per mensuram digiti majoris, mensurando manum in radice cum lepore nasi, ipsam extendendo

dendo usque coronalem commissuram capitis, quæ, ubi prædictus digitus terminatur, ibi viget commissura, ideo ibidem fontanella facienda est.

Bertruc. *tract.* 1. *sect.* 1. *cap.* 9. dicit. Unum cauterium fiat in commissura, ubi terminatur digitus, quando radix manus patientis ponitur super radicem nasi.

Mesue, *summa* 4. *cap.* 8. *de catar.* cauterizetur in Zuhendeg, id est, in continuatione capitis, & dimittatur tempore extenso, & sit locus cauterizationis ubi terminatur major digitus, postquam radicem manus in extremo narium posuerit. *Idem*, *summa* 5. *cap.* 2. Et modus operationis est, ut radatur super capite in loco ipso, & ponatur radix manus ægri super extremitatem nasi ipsius, & extendatur per medium frontis, & consideretur, ubi terminetur medius digitus, & signetur ibi, & cauterizetur.

Celsus, *lib.* 6. *cap.* 8. *inquit.* Quidam duxerunt duas lineas, alteram a media aure ad mediam aurem; deinde duxerunt ad nares, & postea sursum, & ubi concursus duarum harum linearum, ibi locus.

Lanfranc. *tract.* 3. *doct.* 3. *cap.* 18. fiat ustura in capitis fontanella, ubi posita palmæ radice super nasi summo major digitus terminabit.

Jesu Hali, *tract.* 3. *de ocul. cap.* 2. *de soda.* Utere cauterio super dimidium capitis, quem locum Canamusali, *lib.* 6. *cap. de gutta serena*, fontanellam capitis nominat.

Rogerius, *tract.* 1. *cap.* 19. *dicit:* fiat cauterium in illa commissura, quæ est inter phantasticam cellulam & logisticam.

Joan. Serapio *in breviario, tract.* 1. *cap.* 9. *in soda frigida cum materia, inquit:* Cauterizabimus super matrem capitis.

Rhasis nodo desinente vel osse primo medii digiti locum vult designari.

Vesal. *lib.* 1. *de humani corp. fabric. cap.* 6. *ait:* Locus autem iste in nobis apice medii digiti prompte conjicitur, si brachialis principium superciliorum medio quis accommodaverit, ac medium digitum ad capitis verticem recta depresserit.

Fontanonus, *lib.* 1. *cap.* 24. *de catarrho*, *scribit*, licebit & candente ferro cauterium facere ea in capitis anteriore parte, ubi digitorum maximus desinet passa manu, ejus-

que radice nafi radici admota: *idem & ait* Breul *cap. de catarrho.*

Petraeus, *tract.* 2. *cap.* 19. *ponit.* **will man die kreuknat er fahren, so lasse man jhn kauwen so siehet man es leichtlich.**

Ferrara, *lib.* 1. *obſ. chirurg.* 75. *ſcribit*, Si itaque tali fonticuló opus erit, in debito ſuo loco, eſt infigendus, ubi filo quopiam de una aure ad aliam oportet menſurare, ut filum ſuper nares tranſeat, idemque poſtea ſuper labia oris & apicem naſi recta ad ſuturam ſagittalem per medium caput eſt extendendum, & ubi caput prædicti fili pertigerit tranſverſum coronalis, ubi ſagittali eſt confinis, cum eaque triangulum facit, ibi locus atramento ſcriptorio eſt ſignandus.

Claudin. *reſp.* 43. *profert ſequentia.* Locus ſuturæ coronalis cognoſcitur bifariam, nimirum, ſi abraſis pilis ſincipitis imperetur patienti, ut maſticet, nam tum cutis circa ſuturam habet motum evidentem; *alia ratione*, nempe manu ſecundum radicem palmæ ſummo naſo admoto, ſurſumque extenſa, quo enim extremum medii digiti pervenit, ibi erit locus ſuturæ coronalis.

Gualt. Rief **in ſeiner groſſen teutſchen** chirurgia **ſagt. So du aber die rechte ſtadt oder ort erſuchen wilt ſolcher nat, ſo nimb dem** patienten **die hand, lege jhm den daumen vornen auf das ſpiklein der naſen ſtreck jhm den zeigfinger vber die ſtirn, als ob er eine ſpanne meſſen wolt, wo ſich dann der zeigfinger endet, daſelbſten wirſtu die ſcheldnaet finden, daſelbſt ſoltu das** cauterium **anſeken, zu ſolcher wirckung ſoltu haben** cauteria, **die geſtalt ſein wie** oliven olivaria. Id eſt, ſi vero velis verum locum inquirere hujus ſuturæ, ſume patientis manum, appone pollicem apici naſi, extende indicem per frontem, ac ſi velles ſpithamam ducere, ubi finis eſt indicis, ibidem ſuturæ conjunctionem habebis, locumque cui infigendum eſt cauterium, operationem autem hanc perficient cauteria olivaria. *Et hæc de modo inveſtigandi locum convenientem ſufficiant: ſupereſt nunc inquirere, ignis quomodo & quouſque adhibendus.*

Ignis quomodo & quouſque adhibendus. Primus modus.

Albucasis tres modos proponit: quorum primus eſt hic. 1. Deinde igni cauterium olivare, deinde ipſum depone ſuper locum ſignatum cum encauſto deſcenſione, qua conſtringitur manus tua paulatim, & tu revolves ipſum, deinde leva manum tuam velociter, & aſpice locum, quod ſi vides, quod jam detegatur ex oſſe quantitas capitis ad

modum

modum aceris, aut quantitas fabæ, tunc eleva manum tuam, & ſi non, itera manum tuam cum ferro ipſo, aut cum alio, cum ipſum infrigidatur, donec videatur ex oſſe, quod tibi dixi, &c. 2. Et dixerunt quidam eorum, ut cauterizetur cutis ad os uſque, & teneatur cauterium donec aduratur, uſque quiddam ſpiſſitudinis oſſis, deinde radatur poſt illud, quod aduſtum eſt ex oſſe, & curetur. 3. Et dicunt alii, oportet ut cauterio perveniatur ad ultimum, donec imprimat in os impreſſionem, donec cadat os, quod ſit ſicut forma *Kirate*, aut *alſelcati* parvi, quod eſt inſtrumentum, quod mulieres ponunt in fuſo, & exiſtimant, quod exſpirant ex hoc loco vapores capitis, & dimittatur in vulnus apertum longo tempore, deinde curetur, donec conſolidetur. Mihi autem *(inquit idem)* non videntur hæ duæ ſpecies cauterii adhibendæ omnino, niſi in quibuſdam hominibus, ubi eſt certum periculum. Et dimittere ipſum ego judico melius eſſe, quam tam periculoſe curare; debilitatur enim caput ex ſolutione continuitatis ipſius naturalis, ſicut teſtati ſumus in reliquis membris, & præcipue quando caput infirmi eſt debile natura. Et ſpecies quidem prima cauterii eſt magis probata & melior apud me, & ea utor. Operare ergo cum ea, ita ut ſemper habeas ſummam rationem ſalutis infirmorum.

Secundus modus.

Tertius modus.

Albucaſis ſententia de tribus his modis.

ÆGINETA, *lib.* 6. *cap.* 2. *ſic ſcribit:* ad os uſque ferramentis candentibus nuclei modo rotundis aduritur *(quod ubi cruſta deciderit, raditur)* nonnulli vero, ubi ipſum os aduſſerint, faciunt, ut ſquama inde recedat exigua, quo facile illinc humores perſpiratu diſſipentur, evacuenturque ſervato diu ulcere, &c.

VIGO, *lib.* 8. *cap.* 15. Quidam medicorum jubent fieri cauterizationem uſque ad os, quidam autem os excoriari, & hoc magis profundando cum cauterio ſuper oſſe, quam operationem reprobat ALBUCAS, & hoc propter panniculum nobilem, qui cum prædicta commiſſura alligatus eſt.

BERTRUCIUS vult, *tract.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 2. ut profundetur uſque ad pericranium.

MESUE ait, procedat cauterizatio uſque ad ſuperficiem oſſis.

ARETAEUS, *lib.* 7. *cap.* 4. ſcribit os perforare oportet, uſque ad ſecundam laminam.

Lanfranc. loco allegato inquit, ſi os detectum fuerit, bene quidem, ſi non, tunc itera cauterium, ſed levius donec os aſſequaris.

Claudinus poſteritati hæc reliquit. Cutis, pericranium uſque ad os incluſive ſunt inurenda, ita ut os ſquamam emittat.

Opiniones diverſæ circa fontanellam in ſutura coronali.

Et hæc quantum ad modum, locum inveniendi ſatis: ubi notandum diverſas eſſe circa hanc fontanellam medicorum opiniones, hi tuto adhiberi aſſerunt, alii maximo cum periculo & diſcrimine vitæ infigi ſtatuunt: Placuit ergo his annectere ea, quæ circa hujus loci fonticulum conſideratione egent, & objectiones adinvicem conferre, tandemque conciliare.

Prohibentium aſſertiones numerantur ſequentes; inquiunt primo: Fibræ a dura meninge per ſuturas productæ pericranium conſtituentes in uſtione tam profunda læduntur, quibus læſis, & ipſa dura mater, ac ſic per conſequens cerebrum quoque læditur, graviſſimaque ſymptomata inducuntur.

Secundo, deſtillationes diuturnas capitis imbecillitatem denotare aiunt, & propterea in capite nullo modo, præſertim in ſincipite admittendum fonticulum arbitrantur: maxime ſi ipſe diu apertus ſervetur, quia exinde magis debilitatur: afflicto enim non eſt addenda afflictio.

Tertio affirmant, in intemperie capitis calida minime conducere, quoniam illam non curant, ſed potius ob ignis vim magis promovent.

Quarto dicunt, fonticulus eo in loco eatenus confert, quatenus evacuat & ſiccat: hoc autem tutius poteſt fieri pulveribus, pileolis ceratis & ſimilibus capiti inſperſis.

Quinto inferunt: Galenus non præcepit hanc operationem, nec Arabes de eo quicquam loquuti ſunt, ergo non admittenda.

Sexto inſtant, ſi materia ſit craſſa ob gravitatem eadem per foramen evacuari nequit: gravia enim omnia non ſurſum ſed deorſum feruntur, adducuntque authoritatem Galeni, *lib.* 9. *de uſu part. cap.* 1. *dicentis*, pro expurgando catarrho craſſo naturam nares & os conſtituiſſe, pro tenui autem & vaporoſo ſuturas capitis, ergo craſſus catarrhus per cauteria non evacuabitur: idem affirmat Sebast. Parella, *lib.* 2. *cap.* 15. *de catarrho.*

Sep-

Septimo ex Hippocrate concludunt, hoc remedii genus esse vitandum, maxime hyemis tempore, quia aer frigidus hisce vulneribus est inimicus, & vulnera capitis levissima etiam non contemnenda.

Hæc negantium argumenta, rationibus & authoritatibus affirmantium destruuntur: & quantum ad primum. Non eo inficias, ex tam profunda ustione ob continuitatem læsis fibris, & lædi quoque duram matrem, & sic per consequens cerebrum ipsum: verum hanc operandi methodum rejicio, & cum Mercato sic concludo, *qui lib.* 2. *tom.* 3. *cap.* 1. *hæc habet.* Cavere tamen consulo in hac re a capitis ustione, etiamsi plures consuluerint; mihi enim semper visum fuit grave & periculo plenum *(hic tamen omnes inustiones non videtur rejicere, sed illas tantum, quæ adeo profundantur, quod ex seq. patet.)* nisi fluxio ab externis vasis capitis ad ejus intima fiat, quo tempore parvas inustiones in circumferentia capitis infigere, non est præter rationem: per parvas, non profundatas ipsum intelligere ustiones concludo, quales sunt illæ, quæ non ultra cutim & membranam carnosam se extendunt, & dum hoc faciunt, non video cur non eo in loco æque ac in aliis sint admittendi fonticuli. Claudinus vero huic objectioni it obviam, inquiens, Periculum hoc imminens longe ego abesse existimo, *(scilicet dum ex ustione tam profunda læduntur fibræ a dura menynge per suturas productæ)* ubi non ab inscio chirurgo, ne dicam barbitonsore cauterium infigatur, ut membrana cranium involvens comburatur undique, sic enim convulsionis & cujuscunque suspicio abit, sicut experientia comprobatum est, ubi pars aliqua nervosa alicujus extrinseco occursu læsa atque descissa, non secundum se totam, a prudenti chirurgo descinditur, impendentemque convulsionem mox incipientem cessare, unde si mortem aliquando sequutam esse dixeris, ob usus talis inustionis, eam non ipsius cauterii naturæ, sed manui potius ipsam infigenti adscribendam censerem. Ad illud autem, quod prima lamina cranii per ustionem demenda, ut fonticulus sit concinnus, sic respondeo. Sufficere in junioribus, ut pericranium attingat, in senibus autem, quibus suturæ sunt obliteratæ, conducibilius esse laminam superiorem removere, ut operatio hæc id præstet, quod alias in junioribus suturæ, scilicet materiæ faciliorem egressum, quem alias impedit, in senibus earum deletio.

Ad

Ad ſecundum. Poſito diuturnas deſtillationes imbecillitatem cerebri prodere, ac præ ſe ferre: verum illa imbecillitas hoc remedii genere magis alleviatur, quam debilitatur, quia materia peccans exinde, ex capite ſcilicet, per ulcus illud, evacuatur, qua evacuata, robur parti ſupervenit, & quod antea erat imbecille, ea ratione vigorem acquirit.

Ad tertium, intemperiem calidam magis ignis vi augeri, & propterea in ea non adhibendam fontanellam ſuadent, at ſciant, teſte ALBUCASI, ſubitam & inſtantaneam hanc operationem ignis eſſe, & non diu durare, facileque tolli, ut inquit SAXONIA, *lib* 8. *de feb.* cito deſinit calor ille, & poterimus munire linteolo partem ovi albumine ſucco portulacæ, plantaginis, bolo armena imbuto, idque perforare, ac per foramen hoc cauterium infigere: & SEBAST. PAPARELLA loco citato, vult in catarrho calido in capite omnino adhibendum & inurendum cauterium: imo CLAUDINUS actuali igne in intemperie calida utitur, quia ignis tantum, quamdiu manet, calefacit, ſublato autem igne pars emoritur, locus fit frigidior, quia continuo difflatur, unde partes, quæ cauteria geſtant, ſi fluxio non ſit calida, redduntur frigidiores.

Ad quartum, pulvillos, cucuphas, cerata, pulveres idem præſtare poſſe, exſiccare ſcilicet & evacuare, quod fonticuli: reſpondeo, Hæc remedia quidem poſſe ſiccare & evacuare materiam, ſi ſit pauca non contumax, & cujus generatio deſiit: ſi vero rebellis & copioſa ac in continua generatione, minime his cedet, ſed generoſius aliquod præſidium expetet, quale eſt fontanella, quam medicus rationalis adhibet, non in principio, ſed ubi videt, nec pharmacis nec diæta quicquam effici poſſe: ita ut circa hanc objectionem conſiderandum ſimul tempus, quando ſcilicet imprimendus fonticulus.

Ad quintum, quod aiunt, nec Galen. nec Arabes hoc in in loco probaſſe multo minus propoſuiſſe, ſciant, Galenum etiam nuſquam rejeciſſe, ut & nec Arabes, qui alioquin ſunt cauteriorum inventores, multa namque, teſte CLAUDINO, ars & experientia neotericorum adinvenit, quorum uſus vel priſcos latuit, vel iidem præterierunt.

Ad ſextum, dum objiciunt materiæ gravitatem, quippe quod facilius deorſum quam ſurſum feratur: conſiderent quæſo ea, quæ profert BARTHOLIN. *in ſuo ſyntagmate*, cap. 8. *inquiens.* Naturam imitari, & pro virili adjuvare, medici

medici officium eſt indubitatum, quod, quando in deſperato catarrho revulſionis cauſa ab infernis ad ſuperna rivulum expurgaturum caput molitur & emolitur, egregie præſtat eo in loco, ubi natura ipſa voluit cerebri excrementa exhalatione quadam evaporare & efferri. Quamvis enim communiter & ordinarie natura in corpore bene conſtituto, per ſuturas, fuliginum tantum & vaporum ſubtiliorum egreſſum moliatur, non vero excrementa craſſiora & humores lentos, tamen hos ipſos etiam in neceſſitate excludere eam poſſe, liquet vel ex naturæ in variis & infinitis ægritudinibus operatione, qua varias, inopinatas, & inuſitatas materiæ morbificæ excluſiones feliciter promovet, quas cæteroquin quaſi ſomnolenta, quia a nullo hoſte provocata, ordinario curſu non perſolveret. Hæc quum ita ſe habeant, numne inſigni cum utilitate urgente neceſſitate adminiſtrari poſſunt ibidem fonticuli, ſummaque cum ſalute ægrotantium. Si enim naturæ motu evacuatur materia peccans per cranium integra manente cute reliquiſque partibus, quidni facilius exhalaret ſoluta continuitate partium, quæ illam, ſi non in totum impediat, ſaltem diutius immorari in cauſa eſſet? cui accedit id, quod cranio denudato tantum, non autem fracto, eo in loco pus deferatur per ſuturas ad membranas imo ad cerebrum ipſum ; ſi hoc fit ab extra ad intra, cur non & contingere poteſt ab intra ad extra? Ex cerebro enim ejuſque meningibus inter utramque cranii laminam porriguntur in meditullium venæ, quarum aliquæ etiam in ſuturas intrant, & per eaſdem exeunt. Ultimo conſiderandum, in viventibus humores moveri non a ſe & proprio impetu, ſed quia vel a parte mittente tranſmittuntur & propelluntur, vel a recipiente attrahuntur.

Denique ad ſeptimum, tempore quippe hyemali hoc remedii genus eſſe periculoſum, ob aerem ambientem frigidum, inferendum, ſatis muniri poſſe locum pulvillis & pileolis calidis a frigore, & hæc cauteria non geſtari niſi cum bono regimine, ſententiamque HIPPOCRAT. de vulneribus capitis intelligendam eſſe eatenus, quatenus læſio hæc fit vi, cum violentia, ictu, lapſu, non manu chirurgica: atque hic non tanquam lædens, ſed juvans auxilii hoc genus infligitur. Nullum enim eſt auxilium medicum, quod non laceret, noxamque animo & corpori inferat, teſte SANCTORIO Juſtinopolitano promotore meo honorando, *lib.* 13. *vitandorum errorum*, *cap.* 10.

Hipp. ſententia de læſione capitis ut intelligenda.

Coro-

Anacephaleosis de fonticulo sincipitis.

Coronidis vice sic concludo: cauterii in sincipite usum necessarium esse, & ad multos morbos proficuum, in iis maxime, quibus pars hæc non membranea sed ossea: hic autem est verus indagandi modus, qui fit adhibita radice manus seu carpi fossula, nasi extremitati, globulo seu apici, eaque recta ducta per frontem ad verticem, ibique locum tum esse aptum, ubi desinit apex medii digiti; de adultis loquor, & membra proportionata habentibus, quæ medicus facile discernere potest: de pueris non ita judicandum, quorum manus respectu capitis sunt parvæ, in quibus scilicet apex medii digiti raro ultra mediam frontem extenditur, in iis autem locus tactu percipitur, fovea enim ibidem plerumque manet. Quod si dubius sit chirurgus, præstat paulo altius apponere, testante hoc chirurgorum chirurgo dexterrimo AQUAPENDENTE. Non autem statuo ultra pericranium cauterizationem instituendam, sufficereque pericranium modo vel attingat, vel tantum perforet, non ulterius procedendo, laminam scilicet auferendo, quod & fugiendum suadet ALBUCASIS, *lib.* 1. *cap.* 2. sic enim materia evacuari, satisque sine noxa gestari potest: tum quia ibidem hiantes sunt suturæ pro egressu pericranii; adhæc venæ ibidem sunt vicinæ propinquæ tam externæ quam internæ, & cranium ibidem tenuissimum ac transparens. Excitantur autem semper tutius actuali quam potentiali cauterio, quamvis PARAEUS primo potentiale adhibuerit, ablata vero eschara actuale: & hæc de fonticulo sincipitis, sequitur occipitis.

De fontanella occipitis.

Occiput quid.

Occiput est pars capitis posterior cervicem versus, in qua similiter excitatur & gestatur fonticulus, sive fiat actualiter sive potentialiter, qui modus tamen eo in loco non adeo probatur: verus autem ille est in occipitio, teste CELSO, *lib.* 3. *cap.* 23. ubi summa vertebra cum capite committitur, *nuchaque* appellatur. Hanc fontanellam reprobant practici, quia cum maxima difficultate ibidem gestari, pisumque in ea conservari potest.

De fontanella cervicis.

Hic sciendum, cervicem ex 7 constare vertebris, nonnunquam ex 6, interdum ex 8, quamvis raro, ut observavit

vit Spigelius, *lib.* 2. *de humani corporis fabrica*, *cap.* 19. Alii locum eligunt inter 1 & 2 vertebram, ut Aquapend. alii inter 2 & 3, alii inter 3 & 4, ut Hildanus, sed hoc rarius fit, priores duo modi sunt usitatiores. Ubi notandum recta in medio imprimendam, nec ullo modo ad latus vel dextrum vel sinistrum declinandum, summoque cavendum studio, ne in vertebræ processu infigatur.

In cervice locus magis commodus.

De fontanella brachiorum.

In unoquoque brachio duobus in locis fonticuli excavantur, scilicet vel in externa vel interna parte: in sylvestri parte ob rationes inferius citandas commode fieri negatur, in domestica vero rectius & salubrius efformari posse approbatur. Verus autem, & genuinus locus est inter musculum deltoidem & bicipitem, ubi vena cephalica excurrit, (*quem designat fig.* 1. *tab.* 1. *n.* 3. & *fig.* 2. *n.* 3. & *lit.* 1.) Hujus loci inveniendi modum tradit nobis Aquap. *de operat. chirurg. part.* 1. *cap.* 59. *inquiens.* In brachio fieri consueverunt 4 locis, vel posterius ad finem Δ musculi, vel in medio, vel anterius, vel inferius, & alias ab omnibus fiebant aut in medio, aut posterius, aut in fine. Ego autem locum anteriorem elegi atque substitui, quod alia loca opportuna non sint, ut ex conditionibus deficientibus patet, una tamen primo in omnibus spectatur contrarietas. Nam si posterius, desunt 3 conditiones. 1. Quod ligatura & fascia non consistit, sed decidit. 2. Quia prope venas non est. 3. Quia aspici oculis, & manibus mundari non potest. Si vero fiat in medio musculi corpore, nota non caret, quia non in interstitio fit musculorum, neque prope venas, neque fascia consistit. Quod si in fine musculi Δ fiat, diu detineri non potest: quod propter pilulæ gravitatem deorsum excurrat, & supra musculos veniat ac tendines, quos cum dolore comprimat, & ita detineri non possit. Quod si anterius fiat, uti ego soleo, inter Δ & alium, qui cubitum flectit, & vulgo vocatur *il pescetto*, hic exactus est fonticuli locus, quod videri & attingi possit, quod inter musculos, quod prope venam Cephalicam fiat, & deligatura permaneat.

In brachiis verus situs.

Claudinus ait, in brachio seligitur locus, qui est infra humeri articulum per 4 digitos transversos in parte interiori, ad evitandas externas injurias, quo in loco si brachium in media quadam figura fuerit situatum, seligenda ea

 pars,

pars, in qua musculi manifesto interstitio distinguuntur, & cavitas inter illos observatur, quæ solet & finem musculi Δ ad bicornem terminantis esse, & semper a tendinibus cavendum, propterea nec in principio nec in fine musculorum, sed interstitiis illorum procul a principio præcipue per 4 vel 5 digitos transversos, atque potissimum in ea parte cui ligatura accommodari potest, inurenda sunt cauteria, & facile est digito applicito, dum patiens extendit & flectit brachium, tendines, imo ossa ipsa observare, quæ sunt omnino devitanda.

Bartholinus *in instit. suis anatom. cap.* 2. *lib.* 4. *de musculo* Δ *hæc verba refert.* In hujus media parte solebant antiqui fontanellas facere: alii vero in exteriore parte ejusdem musculi, sed rectius fit in interstitio inter Δ & bicipitem. *Idem in suo syntagmate, cap.* 8. *ait,* in brachiis fieri secundum modum veriorem in parte interiori potius, quam exteriori: nam illa tuta est ab injuriis forinsecus accedentium, &c.

Pigraeus *locum explicat taliter.* Quod si brachio applicare velimus, locus commodior minusquè periculosus est circa finem musculi Delthoidis, inter bicipitem & brachium, non longe a Cephalica vena, nervum ac tendonem vitando.

Solenander, *consil.* 11. *sect.* 1. *inquit.* Consilium meum est, ut fiat in sinistro humero, eo in loco, quo musculus triangularis, brachium attollens a figura literæ Δ deltoeides dictus in os inseritur, qui locus in unoquoque, magis autem in obesis, sublato brachio concavitate leni in eo circumscribitur.

Ferrarae *est modus sequens scrutandi locum, obs.* 77. Ad humores a capite divertendos fonticulos in dextro vel sinistro brachio interna vel externa parte insigere solemus, inter quos, qui in interiore brachiorum parte insiguntur, cum majore commoditate ægrotantis fiunt, utpote qui ab illis ipsis possunt dissolvi, mundificari & rursus ligari: in exteriori vero parte infixi, patientem magis quidem incommodant, sed utilitatem duplo majorem afferunt. Ad quos posteriores sive exteriores insigendos potius aliquanto declivius: siquidem, si in altiori loco fuerit, quam decet, non modo dolorem intolerabilem excitat, sed etiam non potest commode purgare: quas easdem incommoditates afferre solet, si in hoc vel illo latere, nimirum super ipsos musculos insigatur, in medio vero ipsorum positus in maxima abundantia purgabit, nec dolorem ullo modo causabit. Ad eundem vero in interiore brachii parte insigendum, patientis brachium primo

ita

ita debet extendi, ut secundum palmam in altum erigatur, deinde mensura cum 4 transversis digitis sumi, a cubito nempe brachii incipiendo, & sursum procedendo, in quo loco, ubi videlicet quartus digitus sursum versus desinit, cavitas animadvertitur, cui fonticuli solent infigi. Itaque locus ille atramento scriptorio signetur, ibique fonticulus cum instrumento aureo, vel argenteo, vel ex chalybe, aut per vesicatorium aliquod, vel nostro caustico infigatur.

HILDANUS, *epistol. cent.* 1. *epist.* 49. *locum in brachio sequentibus designat.* Apponatur brachio sinistro ad finem musculi brachium attollentis, quem alii Deltoeidem appellant, & a VESALIO prima musculorum tabula K. (*hic vero tab.* 2. *fig.* 1. *num.* 8.) notatur. Hic fonticulus ex cerebro præcipuò simul & nonnihil ex pectore evacuabit, eo enim in loco musculus ille prædictus Δ (*hic fig.* 1. *tab.* 2. *num.* 15.) & musculus brachium pectori adducens (*fig.* 1. *tab.* 2. *num.* 6.) ideoque pectoralis dictus, & in prima ejusdem VESALII musculorum tabula L, in tertia vero Δ notatus, concurrunt. Ramus præterea venæ cavæ, quem vocant Cephalicam venam, eo in loco non procul abest. Est & alia ratio, cur locus ille ad fonticulos sit aptissimus, nimirum, quia musculus anterior cubitum flectentium, qui a quibusdam (*hic tab.* 2. *fig.* 1. *num.* 12.) Biceps appellatur, & a VESALIO prima musculorum tabula Q notatur, cum subter pectoralem musculum ad latus deltoidis ascendit, depressionem, aut veluti foveam quandam in brachio efficit, cujus beneficio eæ, quæ fonticulo apponuntur fasciæ parvo cum negotio retinentur.

De fonticulis femoris.

Tribus in locis fontanellæ in femore gestantur: usitatior est supra genu in externa vel interna parte: inusitatior apud nostrates illa est, quæ intus in femore inquiritur, duobus vel tribus digitis infra inguen in musculorum interstitio (*tab.* 2. *fig.* 1. *num.* 33.) prope quod est vena cruralis, & hujus author est PLACENT. qui monachis, quibus flexis genubus preces suas fundere par, ibidem infigebat, ob incommoda, quæ ex illorum flexione evenire possent. Internus & externus locus supra genu convenientissimus eligitur similiter inter musculum & musculum per quatuor digitos supra ipsum: in externo quidem loco inter musculum crus extendentem (*fig.* 1. *tab.* 2. *num.* 37.) & flectentem (*fig.* 2.

Placentini fonticulus in femore.

tab. 2. *num.* 32) in interno inter musculum extendentem domesticum vastum internum (*fig.* 1. *tab.* 1. *num.* 31.) Externum locum plane rejicio in femore, ob latum tendonem, qui ibidem sub cute dispergitur, quo læso, teste AQUAPEND. & HILDANO, gravissima insequuntur symptomata: internus situs est accommodatior & utilior, ob venam cruralem descendentem.

Author in femoris parte sylvestri fontanellam rejicit.

De fonticulis cruris.

Ut in femore ita & in crure quoque tribus in locis fonticuli excavantur, in externa, interna & posteriori suræ parte. Posteriori loco (*tab.* 1. *fig.* 1. *num* 14. *& litera* w *tab.* 2. *fig.* 4. *num.* 41.) fontanellam infigere solebat ADRIANUS SPIGELIUS anatomiæ & chirurgiæ professor Patavinus in dolore Ischiadico non sine felici successu, quia vena ibidem (*tab.* 1. *fig.* 1. *lit.* w) excurrit poplitea, ut idem testatur lib. de humani corp. fab. 5. cap. 9. nec ab alio administratam legi nec audivi. Internus locus trium digitorum latitudine sub genu existit, circa pedem extendentis primi musculi Gastrocnemii corpus, ubi cum osse tibiæ connectitur (*tab.* 2. *fig.* 2. †) Externus locus ille est appositissimus (*quem tab.* 2. *fig.* 2. *num.* 44. ostendit, inter musculum scilicet peroneum primum seu pedem flectentium secundum (*num.* 47.) & tibiæum anticum, seu pedem extendentium quintum (*num.* 48.) quæ loca facile reperiuntur, dum pes movetur, estque paululum subtus locum, in quo caligas lorum adaptat, stringitque. Internus locus commodior est saphænæ ratione, præsertim fæminis ob uterum, καθ' ἕξιν, id est, servata rectitudine: Viris vero, maxime iis qui se equitationi dederunt, non adeo commodus: nam his potius in exteriori loco conducit inter fibulam & tibiam, in interstitio duorum musculorum ab articulo, & præsertim fibula dissitorum, tum ob principia musculorum pedis, tum ob fines cruris. Ubi notandum, quod quamvis hic non descendat ramus adeo notabilis, ut in interna parte, tamen etsi negetur a nonnullis repudiantibus hujus loci fonticulum, venam ibidem adesse & descendere, reperitur attamen quædam, ut in VESALII & PLACENTINI tabulis anatomicis videre est, originem habens a divisione trunci cruralis prope duo capita femoris interiora, in ramum interiorem Gastrocnemiis musculis inspersum, & exteriorem, qui statim in duos ramos dispergitur,

Fontanella furæ Spigelii.

tur, internum & externum; ille in furæ mufculos totus abfumitur, hic juxta fibulam progreditur per externam & pofteriorem tibiæ partem.

Conditiones fonticulorum bonorum.

Sed hæc de inveftigatione locorum concinniorum fufficiant: reftant conditiones examinandæ: quarum prima eft, ut fonticulus fit in loco, qui a patiente confpici, regi ac mundari poffit, maxime ubi in artubus producitur: fecunda, ut fit prope venas majores, aut earum ramos, aut ramorum ramulos capillares dictos, non fupra ipfas venas: tertia, ut fiat non in ipfo corpore mufculi, nec ejus parte carnofa, neve tendinofa, multo minus nervofa, fed inter mufculum & mufculum, *id eft*, in interftitio mufculorum, ut humores, qui ibidem tranfeunt, facilius evacuentur: quarta, ut eligatur locus, ubi ligatura commode applicari poteft, non in eminentiori, nec in minus declivi, fed mediæ figuræ.

Tabulae Primae explicatio.

Figura prima declarat partes corporis externas in finiftro latere, & quidem anteriores.

1 *Clavicula.*
2 *Mufculus epomis, Deltois,* Δ
3 *Hoc in loco fontanellæ geftantur.*
4 *Humerus, brachium.*
5 *Gibber brachii.*
6 *Pectus.*
8 *Scrobiculus cordis.*
9 *Umbilicus.*
10 *Hypocondrium.*
11 *Iliæ.*
12 *Pecten.*
13 *Inguen.*
14 *Femur, hic locus fcarificatur in fuppreffione menfium.*
15 *Locus fonticuli externi fupra genu.*
16 *Locus fonticuli interni fupra genu.*
17 *Patella.*
18 *Tibia.*
19, 21 *Locus fonticuli externi infra genu.*

20 *Locus*

20 *Locus interni infra genu.*
22 *Malleolus externus.*
23 *Internus.*
24 *Dorſum pedis.*

Figuræ primæ dextrum latus, oſtendens venas cutaneas.

A *In ſiniſtro latere, locus fonticuli in ſincipite.*
B *Venæ frontis diſtributio per verticem.*
C *Concurſus venarum duarum ſupra naſum ex quo vena frontis,*
D *Ramus ad occiput.*
E *Ramus ad tempora & aures.*
F *Venæ jugularis externæ divaricatio.*
G *Cephalica.*
H *Surculus per mammas.*
7 M. *Vena e mammaria.*
I *Locus fonticuli in brachio.*
K *Mediana.*
L *Ejus ſupra carpum diſtributio.*
NOPQ. *Venæ abdomen perreptantes.*
R *Cruralis interior.*
S *Locus cui infigebat Placentinus in monachis fonticulos:*
T *Locus fonticuli interni ſupra genu.*
U *Locus fonticuli externi.*
W *Infra genu interni fonticuli ſitus.*
X *Externi ſitus.*
Y *Cruralis venæ ramus internus.*
Z *Saphena.*


Tabulæ primæ figura ſecunda monſtrat poſteriores corporis partes, & quidem in ſiniſtro latere deſignatur numero

1 *Humerus.*
2 *Muſculus deltois.*
3 *Ejus implantatio, & fonticuli ſitus.*
4 *Brachii gibber.*
5 *Scapula.*
6, 7 *Latus.*
8 *Lumbus.*
9 *Nates.*

10 *Poſte-*

TAB. I.

FIG. II. FIG. I.



10 *Posterior femoris pars.*
11 *Poples.*
12 *Gastrocnemii pars exterior.*
13 *Ejusdem pars interior.*
14 *Locus fonticuli Spigelii.*
15 *Malleus externus.*
16 *Calx, calcaneum.*
17 *Malleus internus.*

Figura secunda in latere dextro declarat venas corporis posteriores cutaneas.

a *Locus in sincipite fonticuli cum ramo venæ frontis.*
b *Vena temporum.*
c *Vena ad frontem.*
d *Locus in cervice, cui fonticuli adhibentur.*
e *Vena cervicalis.*
f *Divaricatio venæ jugularis externæ ad caput.*
g *Ramulus ad scapulam.*
h *Ad deltoideum.*
i *Locus fonticuli.*
k *Cephalicæ ramus exterior.*
l *In pollice ramus hic pro cephalica secatur.*
m *Vena ad humerum & scapulam.*
n *Vena per latera pectoris.*
o *Vena lumbalis.*
p *Vena coxendicis.*
q *Vena natium.*
s *Cruralis interna.*
t *Poplitea.*
u *Suræ externæ.*
w *Locus, cui Spigelius in sura fonticulos insigebat.*

Tabulae Secundae expositio.

Figura prima anteriores dat corporis, & quidem dextri lateris musculos.

1 *Musculus in os hyoides desinens.*
2 *Musculus mastoideus.*

3 *Ossis*

3 *Offis hyoidei alius musculus.*
4 *Cucullaris seu trapezei musculi pars.*
5 *Clavicula.*
6 *Musculus pectoralis.*
7 *Musculus deltois.*
8 *Locus fonticuli in brachio verus, circa finem scilicet musculi deltoidei, & in medio spatio bicipitis & brachiæi.*
9, 10 *Anterior cubitum flectens.*
11 *Brachiæus.*
12 *Biceps, piscetto.*
13 *Carpum extendens secundus musculus.*
14 *Radii supinator primus.*
15 *Radii pronator alter.*
16 *Carpum flectens secundus.*
17 *Musculus in vola.*
18 *Portiones musculorum digitorum ab externa cubiti sede ad manum tendines propagantes.*
* *Ligamentum brachialis transversum.*
19 *Sub axilla musculus serratus.*
21, 22 *Musculi abdominis oblique descendentis conjunctio cum serrato.*
23, 24, 26, 27 *Musculi abdominis recti intersectiones.*
25 *Umbilicus.*
28 *Membrana carnosa testes tegens.*
29 *Secundus musculus coxam movens.*
30 *Sextus musc. tibiam movens.*
31 *Tibiam flectentium musculus primus, seu longissimus.*
32 *Glandulæ in inguine.*
33 *Locus, cui infigere solebat Placentinus fonticulos.*
34 *Femur moventium octavus.*
35 *Tibiam moventium secundus.*
36 *Tibiam moventium nonus.*
37 *Tibiam moventium septimus, vastus externus.*
38 *Hoc in loco inter gracilem & vastum internum infigitur fontanella.*
39 *Tibiam moventium octavus, vastus internus.*

FIGURA SECUNDA.

Pars pedis a superiori genu parte.

40 *Tendinis sexti tibiam moventis musculi portio.*

37 *Septimi*


TAB. II.
FIG. I.
II
III
IV
V
VI
VII

37 *Septimi tibiam moventis pars.*
39 *Octavi tibiam moventis pars.*
41 *Patella.*
42 *Gastrocnemius externus, pedem extendens secundus.*
43 *Os tibiæ.*
44 *Locus cui in externa parte infiguntur fonticuli.*
45 *Tibiæus anticus, pedem extendens quintus.*
46 *Digitorum tensor, musculus digitos extendens secundus.*
47 *Peroneus primus, pedem flectens secundus.*
48 *Digitorum extendentium primi tendo.*
† *Gastrocnemius internus, pedem extendens primus, non procul ab illo loco excavatur fontanella in parte domestica.*
49 *Soleus pedem extendens quartus.*
50 *Digitorum flexor magnus secundus.*
* *Ligamentum pedis transversum.*

Figura Tertia

Posteriores corporis dat musculos.

1 *Musculus temporalis.*
2 *Occiput.*
3 *Nucha, ubi fontanella & setacea adhibentur.*
4 *Splenii portio.*
5 *Maxilla inferior.*
6 *Musculus mastoideus.*
7 *Capitis motui inserviens musculus.*
8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 20 *Musculi cucullaris circumscriptio.* 8, 9 *Fibræ descendentes.* 10, 11 *Transversæ.* 12, 13 *Obliquæ descendentes.* 14 *Insertio in scapulæ spinam, humerum & claviculam.* 20 *Insertio ad octavæ usque thoracis vertebræ spinam.*
15 *Deltois, humeri secundus.*
16 *Cubiti quartus.*
17 *Cubiti tertius.*
18 *Scapularis, humeri quintus.*
19 *Rotundus major, humeri quartus.*
21 *Latissimus, ani scalptor, humeri tertius.*
22 *Abdominis musculi oblique descendentis portio.*
23 *Os ilium.*
24 *Femoris musculus secundus.*

25, 26, 27 *Gluteus major, ſeu femoris primi muſculi circumſcriptio.*
28 *Inſertio ejus in rotatorem externum magnum.*
29 *Portio muſculi pedem moventium noni.*
30 *Tibiam moventium ſecundus.*
31 *Tibiam moventium quartus.*
32 *Tibiam moventium ſeptimus.*
33 36 *Vaſti externi portio.*
34 *Tibiam moventium tertius.*
35 *Tibiam moventium nonus.*
37 *Tibiam moventium primus.*
38 *Tibiam moventium octavus.*
39, 40 *Capita duo gaſtrocnemii externi, pedem extendentis primi.*

Figura Quarta.

41 *Locus in gaſtrocnemio externo, cui infigere ſolebat Spigelius fonticulum.*

Figura Quinta

Cranium adulti exhibet.

A *Concurſus ſuturæ ſagittalis & coronalis, ubi fonticuli in ſincipite excavantur.*
B *Os frontis.*
C *Os ſphenoides ſeu cuneiforme.*
D *Os temporum.*
E *Proceſſus maſtoideus.*
F *Os zygomatis, paris.*
G *Maxilla ſuperior.*
* *Sutura mendoſa.*

Figura Sexta

Caput infantis modo nati offert.

a *Frons pulſatilis Zeudech.*
c *Frontis oſſis diviſio.*

d *Max-*

d *Maxilla inferior.*
e *Temporis os.*
f *Maxillæ inferioris proceſſus.*

FIGURA SEPTIMA

Caput embryonis abortivi dat.

aabc *Circumſcriptio hæc Arabum Zeudech ſeu fontanellam capitis, fontem pulſantem, & foliolum, matremque capitis demonſtrat.*

CAPUT XII.

Inſtrumenta perſpicue deſcribit, quibus fonticuli tam efformantur, quam conſervantur.

VAria ſunt, quibus fonticuli tam actualiter quam potentialiter fiunt, inſtrumenta, ut in fine hujus capitis ex adjuncta tabula ejuſque explicatione videre licet: quorum materia eſt vel æs, vel aurum, vel argentum, chalybs, ferrum, &c. ex authoribus vero hic aurum, ille argentum, ille ferrum, æs alter præfert. Sic HOLLERIUS, *inſtit. chir. lib.* 6. *cap.* 6. vult in metallicis aureum æneo & ferreo clementius eſſe. WECKERUS, *lib.* 6. *cap.* 2. *ait*, ære quidem & argento fit levius, ferro vero acrius. HEURNIUS, *method. ad prax. lib.* 1. *ſcribit:* ſi pauca uſtione opus, æneum ſit inſtrumentum, ſi copioſe, ferrum. AVICENN. laudat aurum, quia in corpore raro non æque potens ignis ſe ſuamque vim explicat, cui & aſſentitur ARNALDUS; ferrum præfert ALBUCAS. quem imitatur MERCAT. PERNUMIA, *lib.* 5. inquit: ubi non multum erit adurendum; eligimus materiam ex ære, ſi multum ex ferro, quod æs tenuius ſit, ferrum autem craſſius, & in materia craſſa ignis potentior ſit, quam in rariori, ut propter has diverſas rationes forſan ARISTOT. æs, ABUBACHER autem magis ferrum laudarit, AVICENNA vero aurum, quod eſſet magis ſimile naturæ humanæ. CLAUDINUS, *reſponſ.* 43. ait, materia ignita multiplex eſt: uſitata tamen ac clementior

primum aurum, deinde argentum, poſtremo ferrum & æs. Hinc concludo, optimam materiam & magis convenientem eſſe ferrum, teſte ALBUCAS. *lib.* I. *cap.* I. *ubi hæc leguntur*. Difficile eſt calefaciendi modum in auro ſervare, quoniam properat ad ipſum frigus; & ſi addis ſuper ipſum in ignitione, liquefit in igne, & vertitur in laminas. Quare cadet artifex ex illo in occupationem, & propter illud fit cauterium cum ferro apud nos magis in uſu, & eſt propinquus ex rectitudine ad operationem, & hæc cauſa cur & ego cauteria mea ex ferro potius quam ex alio aliquo metallo efficta eſſe voluerim.

Satiſque hæc de materia, ſequuntur nunc variæ inſtrumentorum formæ, quæ operationem hanc perficiunt, ſive fiat mediante calido, ſive frigido inſtrumento; calidum urit eſcharamque producit, frigidum ſecat, idque vel ſimpliciter incidendo, vel exſcindendo, ut fiat ſtatim ſubſtantiæ deperditio.

Inſtrumentorum deſcriptio, & modus adhibendi ea.

Veterum nonnulli cannulam oblongam (*fig.* II.) manubriolo donatam conficiebant, pollicis, vel ad ſummum duorum digitorum, latitudinem non ſuperantem, cui inſtrumentum aliud teres (*fig.* 10.) longitudine paulo majori adaptatum ignitum in ſummitate protuberantiam habens, immittebant, ac ſic partem ſignatam inurebant. In quo adminiſtrando, hoc incommodum obſervavi, quod quamvis cannula valide ſatis appoſita, tamen facili negotio, dum perſentit cauterizandus ignis vim, brachium ob concuſſionem & metum, loco moveatur, & hoc eo magis, ubi chirurgus ſolus cannulam parti affectæ ſiniſtra apponere, & ferrum candens dextra inſerere ſimul conatur.

Secundus modus.

Alii alium modum commodiorem, & nunc temporis uſitatiorem ſequuntur. Laminam ſumunt vel argenteam, vel auream, vel æneam, vel ferream, uno, duobus, tribuſve foraminibus perviam (*fig.* 7.) craſſam medii fere digiti latitudine, hujus uni vel alteri foramini adaptant aliud inſtrumentum glandis inſtar (*fig.* 8.) efformatum, in ſummo quaſi habens cupulam, longitudine ſua paululum craſſitiem laminæ excedens, quod ignitum, locum congruum per laminæ foramen ſeu oculum apparentem, quantum ſatis inurit, quo cum tutius procedere poteſt chirurgus, niſi manibus admodum ſit tremulis.

Longe

Longe commodior ac fecurior eft modus fequens a me inventus. Laminam (*fig.* 20.) femperinpromptu habeo brachio adaptatam & incurvatam non nihil convexam fornicis inftar, e cujus parte una propendet fafcia ex corio Boruffico præparata firmiterqne annexa, duorum digitorum latitudine, in extremitate affixam habens fibulam, quæ nunc altiori nunc decliviori fcalæ foramini pro re nata quam validiffime, ne ullo modo amoveatur, annectitur, foramen autem rotundum in medio, loco affignato apponitur, cui aliud appropriatum candens immittitur. Hujus inftrumenti adminiculo folus inuftionem perficio, nec opus habeo miniftro; lamina enim hæc validiffime & arcte brachio vel loco congruo alligata, idem præftat quod famulus : præterea finiftra brachium firmiter manu conftringo, quo minus huc illucque ipfum agitet, dextra vero ignitum foramini admoveo, atque tali modo hæc folus perficio, quæ alias chirurgus cum amanuenfi.

Tertius modus authoris inventum.

Circa adhibitionem hujus zonæ quifpiam movere poffet hanc dubitationem, inquiens: dum applicatur & valide conftringitur, facile locus fignatus, cutis fcilicet, dimovetur a fubjectis mufculis, atque fic non in convenienti loco fiet cauterizatio. Pro cujus difficultatis extricatione affero, nihil obeffe, cutim atramento fignatam huc illucque trahi, modo ipfum fignum per foramen cinguli rotundum appareat: non enim uftionem ultra cutim, fed paululum tantum ultra cuticulam infero, quod fi altius imprimerem, me errorem tum committere poffe concederem. Adhæc eodem inftrumento candenti utor in fonticulis occipitis, fincipitis, brachiorum, femorum & crurum : at zonam hanc pofterioribus tribus tantum adhibeo, laminam vero reliquis duobus; nam in illarum fontanellarum excavatione miniftro opus eft, qui valide caput contineat.

Dubium circa zonam authoris.

PLACENTINUS infignis ille anatomicus & chirurgus Patavinus invenit inftrumentum aliud, quo in delicatioribus & ignem formidantibus corporibus utitur, quod non immerito occultatum *(fig.* 1.*)* fucatum vel deceptorium dici poteft. Vagina enim lignea vel cornea includitur machina ex diverfis conftans partibus, prout explicationes numerorum in fequentibus declarabunt.

Inftrumentum Placentini.

Ab illo non multum diffidet, quod a me inventum *(fig.* 2.*)* cujus pixis eft argentea, ut & ftylus, filum vero contortum æneum.

Authoris inftrumentum.

Verum

Authoris observatio circa utrumque instrumentum.

Verum circa utrumque hoc in praxi animadversione dignum observavi. Primo, quod dum stylus sive ferreus sive argenteus rutilans ab igne semovetur, antequam loco signato apponitur cannulæ primo occultatæ intrudendus, deinde vaginæ operculum super imponendum, quo facto, tandem loco notato adhibetur: interea dum hæc peraguntur, vis remittit ignis, & dolorosior est operatio. Secundo, facile dimovetur loco, cui applicatur, quia non tam valide cuti imprimi potest, atque sic non modo signatam, sed & vicinam lædet.

Instrumenta authoris sectionem perficientia.

Et hæc de instrumentis satis, quæ mediante igne operationes suas exercent: sequuntur nunc in ordine, quæ sectione fonticulos inducunt, e quorum numero lanceola (*fig.* 3.) alii sumunt novaculam seu cultellum rasorium, quæ vel incidendo vel pungendo operantur, idque sine substantiæ deperditione. Verum cum amissione substantiæ perficitur dupliciter, vel forcipe (*fig.* 4.) a me inventa in medio foramen rotundum habente, quæ tantum cutis, quantum satis videtur, apprehendit, cui foramini tandem subtile & accommodatum cultellum (*fig.* 5.) immittitur, ac sic apprehensa & constricta cutis portio exscinditur totaliter. Si vero sectio sola per longum idque vel recta vel transversim fiat, sine substantiæ est deperditione.

Ultimo & de per ditionem substantiæ inducit promovetque instrumentum aliudame quoque excogitatum, forceps (*fig.* 6.) excisoria, quæ simul & apprehendit & exscindit, foramenque rotundum inducit.

Instrumenta potentiali cauterio convenientia.

Declaratis iis instrumentis, quibus in applicatione ignis actualis utimur: restant nunc ea quoque tradere, quæ potentialia medicamenta requirunt. Hæc & similiter varia sunt, alter cupulam glandis, alter corticem nucis avellanæ, portionem alter calami scriptorii adhibet, cui imponitur medicamentum ignifica vi præditum. Parens meus p. m. LUDOICUS GLANDORP hunc modum ubi ruptorium administrabat, observabat: emplastro aliquo tenaciter adhærenti in medio foramen (*fig.* 16.) rotundum infigebat, unctuosæ parti alias portiones ejusdem emplastri apponebat, aliamque super aliam, ut altius & crassius circumcirca foramen efficeretur: hoc immediate cuti imponebat, compressaque manu firmiter admovebat, deinde speculo cavitatem emplastri rite conformabat, cui post ruptorium lapidem imponebat, & ultimo alio emplastro foraminibus pervio tegebat.

Ludoici Glandorp modus adhibendi caut. pot.

Fi-

Figura I.

Inſtrumentum Placenti in capſula ſeu vagina lignea vel buxea.

Inſtrumenti Placentini explicatio.

1 *Styli deprimentis in operculo caput ſuperius, ſeu externum.*
2 *Operculum.*
3 *Caput ſtyli deprimentis latiuſculum internum.*
4 *Summitas ſtyli qui incandeſcit, eſcharamque producit.*
5 *Ejus productio.*
6 6 *Lamina ſuperna mobilis, in qua tria ſunt foramina,*
7 7 *Per quæ ferrea totidem verrucula 7 7 in fine trochleata libere tranſeunt, quo inter deprimendum deorſum vergere poſſit, ac ſponte denuo reſilire ob æneì fili circumvolutiones ambientes.*
8 8 *Lamina inferior, cui affixa eſt*
9 *Cannula, per quam producitur*
10 *Styli extremum.*
11 *Stylus qui igni imponitur, quo incandeſcat.*
12 *Verruculum, in ſuperiori parte capitatum, in inferiori trochleatum: hoc laminæ ſuperiori parte perforatæ immittitur, ac trochleato ſuo fine † in inferiori lamina firmatur.*
13 *Æneum filum complicatum ſeu intortum.*
14 *Verruculum in medio fili ænei complicati.*

Figura II.

Meum inventum, cujus capſula externa ex argento.

Inſtrumenti authoris expoſitio.

1 *Superna deprimentis ſtyli protuberantia.*
2 *Operculum.*
3 *Latiuſculum ſtyli deprimentis internum caput.*
4 *Summitas ſtyli qui igneſcit.*
5 *Lamina ſuperior, quæ aliquantulum minor circumferentia interna capſulæ, quo facilius deprimi & reſilire poſſit, in cujus medio foramen rotundum, cui ſtylus candens immittitur.*

6 Hoc

6 *Hoc in loco firmatur filum æneum intortum.*
7 7 *Filum æneum intortum seu convolutum.*

Figura III.

Lanceola seu sagitella & lancetta.

Figura IV.

Forcipem designat apprehensoriam digiti latitudinem adæquantem, in cujus medio foramen rotundum, per quod tantum cutis (quæ tamen prius digitis paululum elevatur) *quantum satis videtur pro excisione vel incisione, apprehenditur.*

Figura V.

Delineationem tradit cultelli, quo mediante incisio vel excisio peragitur.

Figura VI.

Forceps excisoria, quæ præterquam quod apprehendit, etiam statim exscindit, foramenque rotundum producit.

Figura VII.

Denotat laminam ex ære, ferro vel argento, perviam tribus foraminibus, quæ loco cauterizando frigide apponitur.

Figura VIII.

Est instrumentum ferreum incurvatum, cujus finis crassitie sua correspondet foramini laminæ, estque instar glandis cum sua cupula, quod ignitum, uni ex foraminibus laminæ inditur.

Figura IX.

Proponit olivare dictum cauterium antiquorum, quo usi sunt in efformanda fontanella sincipitis.

Fi-



FIG I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII
XIII
XIV
XV
XVI
XVII
XVIII
XIX
XX
XXI
XXII



Figura X.

Instrumentum hoc cannulatum priscorum idem præstat, quod lamina modernorum, sed ejus usus non est adeo tutus.

Figura XI.

Ferreum cauterium, cujus curvum cannulato antedicto immittitur.

Figura XII.

Hoc utuntur Patavini & Florentini in puerulis, quorum nuchæ fonticulos imprimunt, habetque circa finem pomulum rotundum.

Figura XIII.

Proponit veterum instrumentum obsoletum, quo cum effingebant fonticulos sincipitis.

Figura XIV.

Similiter & hoc priscorum est in sincipite producendi fontanellam instrumentum excavatum.

Figura XV.

Portionem exhibet calami scriptorii seu alterius alicujus cavæ rei, cui immittitur lapis causticus, ne is sese latius diffundat.

Figura XVI.

Eidem usui inservit, estque emplastrum tenaci quadam massa illitum, in medio rotundum foramen habens, in cujus circumferentia quamplurima frustula, unum supra aliud, adhibentur, ut ibidem altitudinem crassitiemque quandam nanciscatur, atque sic facilius contineat potentiale cauterium, quatuor autem illæ incisiones firmiorem adhæsionem inducunt.

Figura XVII.

Pisum offert filo transfossum, & nodo firmatum, cujus beneficio minori cum molestia e fontanella eximitur.

Figura XVIII.

Galera est, qualis fonticulis imponitur, ex argento vel auro facta, quamplurimis foraminibus pervia, cujus cavo spongiolæ portio imponitur, ast non sine dolore in fontanella gestatur.

Figura XIX.

Similiter & hæc est galera cava, at foraminibus destituta, quæ aliquantulum tutius & jucundius adhibetur, quamvis & aliqualem etiam dolorem inferat.

Figura XX.

Meum est inventum, ex argento vel aurichalco fabrefacta lamina.

1 *Designat scalam ad medietatem fere usque laminæ extensam.*
2 *Foramen cui ferrum candens inditur.*
3 *Corium satis validum, quodque difficulter laxatur, cingulique instar brachium seu pedem amplexatur.*
4 *Fibula, quæ scalæ foraminibus ad validiorem constrictionem infigitur.*

Figura XXI.

Et hæc similiter laminam paululum incurvatam denotat, per cujus medium externum recta scala divisa porrigitur. 1, 1 *In qua notandum, haud esse foramina sibi invicem opposita, sed in uno latere altiora cerni quam in altero, quod quale commodum præstet, percipiunt, qui fontanellas gerunt.*
2 *Scalæ altitudo, crassities, seu distantia a lamina.*

3 *Fascia ex corio, quæ ab una parte medietatem scalæ non transgreditur latitudine sua.*
4 *Fascia similis.*
5 5 *Fibulæ, quæ foraminibus scalæ infiguntur.*
6 6 *Præ se fert extremas laminæ oras aliquantulum extrorsum recurvatas, ne inter movendum brachium, si forte lamina aliquantulum prolapsa, sua acutie lædat.* Hac lamina utplurimum utimur in fonticulis supra genu.

Figura XXII.

Cum præcedenti fere convenit, nisi quod unam tantum habeat fasciam seu zonam.

1 1 *Scala.*
2 *Ejus crassities & distantia a lamina.*
3 *Portio corii in anteriori loco intra laminam & scalam posita, quo eadem aliquantulum a lamina distet, & fibula commodius infigi ac eximi possit.*
44 *Sunt bracteæ tenuissimæ argenteæ, vel inauratæ, ornatus potius quam alterius utilitatis gratia, geniculatim junctæ, ipsique corio, vel zonæ ex holoserico affixæ.*
5 *Fibula annexa.*
66 *Extremarum laminæ orarum recurvatio.*

CAPUT XIII.

Qualia symptomata superveniant, & qualiter curanda.

FOntanellas ut plurimum sequentia infestare solent symptomata, caro luxurians, humorum acrium affluxus, inflammatio, ariditas, callus, fœtor, foraminis angustia, & descensus.

Quantum ad carnem luxuriantem, hæc dupliciter consideratur, & quidem ratione loci: alia enim accrescit in ipsius ulceris centro, quam soleo exstirpare piso illito unguento fusco Wirtzii, aut adhibeo pilulam ex mercurio præcipitato & cera alba compositam, quæ, præterquam quod

 carnem

Carnis excreſcentia quibus tollatur.

carnem abſumit, etiam profunditatem tuetur: alia circumferentiam ulceris exteriorem occupat, quæ ſi levis fuerit excreſcentia, non auferenda, ſed relinquenda, nam ſic major copia materiæ excernetur. Si vero modum prætergreſſa, hanc aufero emplaſtro diapompholigos cui q. 5. aluminis uſti permiſta, vel ſolum alumen uſtum aſpergo, & folio tego, vel ex ſequenti maſſa emplaſtra adhibeo uſque quo illa abſumta.

℞. Emplaſt. diapomphol. ℥i. Præcipitati ℈iii. Alumin. uſt. ʒiſs. Ol. roſat. xxxi. Miſce, fiat maſſa.

Claudinus hanc hyperſarcoſin in principio ſolet impedire filamentis carptis aridis, ſpongia minutim inciſa & combuſta, pulvere oſſis ſæpiæ, aluminis uſti, ellebori nigri, æris uſti loti, & præcipitati optimi cum butyro: verum nihil præſtantius præciſione ipſa maxima cum diligentia adhibita. *Eſt autem abominoſa & doloroſa meo judicio.*

Acrium humorum attemperantia affluxum.

Humorum acrium affluxum partes circumcirca exulcerantem ſolis topicis, idque ut plurimum emplaſtro diapompholigos ſine olybano, vel albo cocto, vel unguento albo camphorato altero: quod ſi ulteriori & interna cura opus, educentibus per alvum & ſimilibus requiſitis attempero.

Inflammationem debellantia.

Inflammationem levem debello aquis modice refrigerantibus, ut eſt roſarum, plantaginis, ſambuci, &c. quod ſi eadem contingat ex globulo vel acriori vel grandiori, ille vel removendus, vel minuendus.

Authoris pilulæ ad ariditatem.

Aridi quoque non raro fiunt fonticuli, abſente etiam callo, quam ariditatem corrigo pilulis meis uſualibus.

℞. Ceræ albæ venetæ ʒiii. Pulv. rhabarb. ℈ii. Agaric. crudi ℈i. Rad. gentianæ ℈iſs.

Liquefacta ad ignem cera, poſt inſpergantur pulveres ſubtiliſſ. pulveriſati, & fiat maſſa. Claudinus cerato ſacro utitur & globulo ex pice navali, vel cera cum pulvere aliquem humorem determinatum attrahente, ut eſt *ellebori nigri, ſenæ, colocynthidis, agarici, rhabarbari & ſcammonii.*

Calloſitatem arcentia.

Calloſitas quoque quædam ſolet in cavitate ulceris produci, quæ ſimiliter & ſiccitatem promovet: hanc ſoleo removere præcipitato, vel unguento Wirtzii, prius tamen locum, maxime ubi eſt durior, ſcarificationibus leviſſimis excipio,

pio, quo eo facilius vis medicamenti penetrare possit, hoc facto escharam relegans impono, illaque ablata, modo antedicto procedo. CLAUDINUS semel aut bis cucurbitulam applicat, vel inspergit *pulverem sabinæ, vel calcanthum ustum & lotum, vel mysi, præcipitatum, aut arsenicum præparatum cum cautela tamen*, quo adhibito, admovendum quod escharam cadere faciet.

Fætorem corrigentia.

Fætorem emendo ablutione cum vino, vel singulis vel alternis diebus adhibita, petias seu linteamina pulvere aromatico odorato conspergo, & ad usus asservo: vel sacculum ex bene olentibus suavemque odorem spirantibus conficio, eumque brachio thoracis supra locum affectum vel zonæ insui jubeo.

Angustiam amplificantia.

Angustiam & constrictionem foraminis cicere vel radice consolidæ majoris, vel spongia exsiccata, vel medulla sambucina dilato.

Descensum prohibentia.

Descensum ad inferiora prohibeo pulvillis compressoriis: at raro fit, & non nisi in duobus mihi videre contigit, cujus causa erat pilula ex auro & argento confecta, tum & quod loco zonæ utebantur fascia, quam ducebant a superna ad infernam brachii partem.

CAPUT XIV.

Utrum detur determinatum tempus gestationi fonticulorum: ac, an his sanatis mors semper necessario expectanda.

Quæ consideranda ante obliterationem fontic.

QUO certi quidpiam determinetur de eo, scilicet, quamdiu sint apertæ conservandæ fontanellæ, & num his sanatis mors semper insequatur: hæc præmittenda censui, quippe considerandam diligenterque expendendam esse antequam claudantur, ætatem, ut & corporis constitutionem, materiam peccantem, partem mandantem & recipientem. Nam si infans laboret vel Ophthalmia, vel Epilepsia per essentiam aut consensum, aut hæreditario, aut regionis vel victus vitio, huic tuto fonticulus vel setaceum nuchæ infigitur, & hoc eo magis, ubi regio victusque a nutrice & infante frustra mutatus, medicamentaque in vanum adhibita admi-

administrataque: sic enim evacuatur materia morbifica hunc vel illum affectum producens, nec hoc remedio tanquam extremo contenti astantes, nutrici diætam ulterius probam vitæque regimen congruum injungunt, atque ita efficiunt, quo minus humores pessimi generentur, & fomes inclinans ad hunc vel illum affectum subtrahatur, unde per consequens pars ante languida indies robustior evadit, nec materiam ulterius producit suppeditatque, ut annuo spatio mali recidivantis nulla suspicio detur, sed totus corporis habitus mutetur, quis negaret tuto hanc fontanellam obserari posse? maxime cum & per ipsam, si ultra debitum aperta servetur, una cum malo, & boni succi effluant, parsque magis sic debilitari quam roborari possit. Insuper si eisdem affectionibus crucietur vir in ætate vigorosa constitutus, quique præterquam quod variis usus fuerit remediis, his fontanellam quoque conjunxerit nuchæ vel sincipiti appositam: quæstio oritur, quando consolidari, & utrum tuto possit? Pro quo nodo solvendo, patientis temperamentum seu status præsens cum anteacto perpendendus, quod si ille una cum affectu melioratus, nec unquam, durante & fluente fontanella, recidivam passus, interea & ipse optima utatur victus ratione, caloremque nativum habeat vigorosum, nec materia ulterius excernatur, paulatim quidem in nucha vel sincipite obliterari potest, pilulam quippe quotidie imminuendo: majoris vero securitatis gratia aliam in brachio excavare licebit, quæ ubi per aliquod menses aperta servata fuerit, nec mali quicquam patientem ab eo tempore invasit, tuto & illa quoque sigillatur, annuente hoc Celso, *lib.* 14. *cap.* 22. his verbis: Illud perpetuum est, non ut primum fieri potest, hujus generis ulcera sanari, sed ea trahere, donec id vitium, cui per hæc opitulantur, conquiescat.

Fonticulos in senibus claudere quando periculosum.

Secus vero evenit in corporibus senum, hi enim, ubi semel fonticulum gestandi occasionem habuerunt, eundem ad extremum usque vitæ terminum alere coguntur; non tamen omnes, sed ii tantum, qui calorem naturalem habent ultra modum debilem, & copia materiæ per fonticulos evacuandæ apta abundant: quibus, si arte & studio cicatrice obducuntur, nil nisi mors præsentanea expectanda, nondum evacuata totaliter materia, ut & si a natura; languente quippe facultate expultrice, occluduntur, idem periculum imminet, regurgitante scilicet materia ad nobiles partes.

Causæ

Causæ quoque hic ulterius investigandæ sunt aliæ, quæ quominus solita evacuatio fiat ex fonticulis impediunt, & sunt sequentes. Vel calor nativus fonticuli gestationis tempore in tantum vigoratur, ut materiam morbificam absumat totaliter, quod & ego aliquoties observavi: vel ubi invenit materia peccans aliam viam, quod fit, cum notabilis alia aliqua evacuatio supervenit: sic vidi laborantes arthritide, quorum fonticuli sponte exsiccati superveniente dysenteria, nihilque incommodi inde perpessos. Vel fit hæc exsiccatio fonticulorum ratione facultatis, ut recte annotavit HOCHSTETTERUS, *casu* I. *decade* 5. *in scholio*, quæ aut alibi agit, aut aliter quam debet, aut otiosa est, aut sopita, aut plane deficit, ut in morituris.

Fonticulorum occlusionum causæ.

Quibus intellectis, facile est concludere, non dari determinatum ac certum semper tempus, quamdiu sint aperti servandi fonticuli, nec iis consolidatis, mortem necessario semper insequi, verum esse, quod experientia demonstrat, ac ratio comprobat, dicat quicquid vulgus velit, qui anilium & vafrarum superstitionibus vanis inescatus, ac scientiolis nasutulis contaminatus, inquinatus, etiam affirmare audet, ulcera hæc esse insanabilia, nec ullo modo sanari posse, cum e contra 6 vel 8 dierum spatio consolidationem admittant. Quod si quis mihi hic velit cornua objicere, authoritatemque CRATONIS & aliorum promere, asserentium, ex consolidatis exsiccatisque fonticulis mortem contigisse. Hic sciat, hos tantum loquutos de exsiccatione illa, quæ consistit in defectu non materiæ, sed facultatis expultricis, quæ non est adeo valida, ut ante fuit: hinc materia in visceribus aliisque partibus incarcerata alia non raro symptomata, imo & mortem ipsam producit. Secus evenit, ubi fonticulus exsiccatur vel arte, idque necessitate suadente, vel natura ulterius non generante materiam peccantem, quam alias per fonticulos evomere solebat, & sic illæsa manet facultas expultrix, quoniam concoctrix est correcta & vigorata.

Objectionis solutio.

CAPUT

CAPUT XV.

De generali & fpeciali fonticulorum fine.

Fonticulorum finis generalis & fpecialis.

GEneralis fonticulorum finis eft materiæ peccantis quotidieque accrefcentis affidua evacuatio: unde colligitur, haud convenire morbis acutis, fed chronicis. Non autem confideranda evacuatio hæc fimpliciter, fed quatenus ea evacuando fimul & vel derivat, vel intercipit, vel revellit materiam: ubi & circa materiam ejus quies & motus examinatur, qui continet in fe terminum a quo per & ad quem, atque hic eft fpecialis fonticulorum finis. Derivando evacuatur materia, ubi eadem in capite generatur, defcenditque poftea ad pulmones, fi tum fiat fontanella in fincipite, nam fic id, quod deorfum vergebat, furfum derivatur, & revellitur fimul. Similiter fi fiat in brachio, derivans dici poteft: fi in occipitio, intercipiens. Item fi defluxio oriatur a capite tendens ad brachium dextrum, derivat fontanella finiftro infixa, cum revulfione tamen. Intercipiendo evacuat fontanella, cum materia peccans producta in capite, delabitur in pulmones, & excitatur fonticulus in occipitio vel cervice. Intercipiens fontanella eft in medio femper mandantis & recipientis partis. Revellendo evomitur per fonticulum materia taliter: fi enim eadem in Epate generetur, vel liene, vel utero, & vergat furfum, licet fontanellam producere in femore, vel crure, fervando femper rectitudinem, quæ revellit, quo minus materia fuperiora vifcera feu partes inquinare poffit. Ubi notandum, quod fi ab eifdem partibus materia relegetur deorfum, occupetque aut crus dextrum finiftrumve, male hi agunt, imo toto cœlo a fcopo aberrant, qui fuperioribus partibus revulfionis gratia ab inferioribus fontanellas adhibent, etiamfi fervent rectitudinem: fic enim materiam malignam vel quantitate vel qualitate fua peccantem ad fuperiores partes non fine maximo damno patientis retrahunt. Hinc recte & ex methodo clariffimus Aquapend. *p. 1. operat. chir. cap. 95.* non fuit veritus tumefacto pedi fupra genu fonticulum apponere, qui præterquam quod revellit, infuper etiam intercipit materiam, eique viam intercludit, quo minus ad inferiora vergere poffit.

poſſit. Et ego hujus veſtigia ſequutus, non paucos a tumore pedum, præcipue circa talum exiſtente, fonticulo facto in femore infra genu, liberavi, qui & adhuc perbelle ſe habent: conſiderandum autem in viris infra genu externam, in mulieribus vero ob uterum internam regionem me ſemper elegiſſe.

CAPUT XVI.

Quibus morbis & ſymptomatis fontanellæ conducant.

CUM omnibus ferme corporis noſtri affectionibus a defluxione dependentibus, quas medicus nec diæta nec pharmacia curare poteſt, a quacunque etiam cauſa, ſive ea occulta ſive manifeſta, ſive materialis, ſive immaterialis, ſive intemperies calida, frigida, humida, ſicca ſit, fontanellæ conveniant: ſtatui ex authenticorum ſcriptis & experientia propria, textus ipſos allegare, quo lector eo facilius, quando, ubi, quomodo, & in quibus morbis ſymptomatiſque fonticulis utendum, dignoſcat.

Anhelitus Difficultas.

CAPIVACCIUS *in conſ. Cratonis a Scholtzio editis, conſil.* 97. Laudo ſaltem, ut cauterium unum in *brachio* ſiniſtro excitetur: *conſ.* 98. Excitentur duo cauteria, alterum in *brachio*, ratione capitis, dextro, reliquum vero in *crure* ſimiliter dextro, ratione jecoris. MERCURIAL. *lib.* 2. *cap.* 2. Sed multo magis videntur juvare cauteria ſupra *commiſſuram coronalem* infixa, quippe quæ ſtatim & immediate conſumere poſſunt materiam a capite ad pectus defluentem, &c. *Idem*, Ubi difficultas anhelitus pertinax eſt & diuturna, ſolemus confugere ad cauteria, quæ vel affiguntur *brachiis*, vel etiam affiguntur *occipitio*, &c. *Idem*, Nonnulli practici veteres, ubi ægri difficultate anhelandi ſtrangulantur, laudant cauterium in *thorace*, quo ſcilicet ea in parte pertuſa, reſpiratio reddatur facilior: ſed hujuſmodi remedium ſemper valde periculoſum eſſe putavi, ut ob hoc minime id vobis perſuadeam. CLAUDIN. *conſult.* 13. Cauterium quoque in

ſincipite, magis vero in occipite, potiſſimum vero ſetaceum in *cervice* proficuum erit, quo ad aliquot menſes geſtato, poſt vero ſanitati reſtituto, cauterium in *brachio* ſiniſtro, aut etiam forſan in femore dextro ad plures dies non improbaretur. *Idem, conſult.* 120. Cauterium *ſincipiti* actuale affixum, non erit inopportunum: neque ab hujus uſu me amovet illud, quod materia gravis & craſſa haud poſſit aſcendere, & dato quod fieret, egredi per os durum non valeat, quoniam materia gravis ſurſum etiam movetur, expulſa a natura ad locum imbecillem per cauterium redditum: accedit etiam, quod os in vertice ob ſuturam coronalem eſt pervium ac ubique poroſum, detractaque primæ laminæ ſquama, occaſione ibidem infixi cauterii, ſcio meditullium adeo molle exiſtere, ut maxime tactui cedat, quod ego ſæpius ipſo ſtylo, dum cauteria ſimilia tractabantur obſervavi.

Angina Spuria.

MERCURIALIS *conſult. med. conſ.* 2. Cum hoc tamen, quia ſemper aliquid tenue ad prædictas partes confluebat, fontanellam in altero *brachiorum* aperiri juſſi, qua, tanquam cum ultimo præſidio, rem tentavimus, & ad ſalutem integram, Deo auſpice, laborantem reduximus.

Apoplexia.

BERTRUCIUS, *tract.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 9. In fine vero fiant cauteria diverſa, cum ferro vel cantharidibus, unum quidem in *commiſſura coronali*, & aliud abraſis prius capillis in occipitio, quæ dimittantur pluribus diebus aperta.

Aphonia.

LANFRANC. *tract.* 3. *doct.* 3. *cap.* 18. Cum hoc cauterio *(in ſutura coronali)* celebrato, curavi mulierem, quæ ſeptem annis fuerat ſine voce: nec valuerunt mihi evacuationes, unctiones & alia remedia ad curæ perfectionem, donec prædictum cauterium fecit opus. Nam antequam illud cauterium clauderem, mulier habuit claram vocem, perdiderat enim vocem ex antiquo catarrho a capite deſcendente.

Ar-

Arthritis.

SPIGELIUS *de arthritide.* Cauteria ſeu fonticuli a multis in hoc caſu commendantur, ſi caput una laboret, *brachio* ſiniſtro inſigantur; cruris vero internæ parti, vel ſupra vel infra genu, ſi jecoris adſit caliditas. In utroque loco commode ponitur ſi a pituita & bile oriatur, ut plerumque ſolet, & jam ſæpius hominem invaſerit: in dolore exendicis, vel iſchiade *cruris*, ejuſdem lateris externæ parti infra genu inuritur. Multi ſupra articulum fonticulo facto, ac aliquamdiu detento aperto, ſanitatem priſtinam ſunt adepti. Admoto etiam iis cauſtico parti internæ poplitis, qui gonagra moleſtabantur, ab acri fluxione liberati ſunt, evacuata per ulcus ea materia. MERCURIAL. *lib.* 4. *cap.* 1. Ubi hæc remedia non proſunt, quid agendum? ſtatim ad alterum modum extrahendi materiam, ſcilicet ad cauteria eſt deveniendum. *Idem*, *cap.* 2. Quod ſi etiam hæc non contulerint, quid agendum eſt? omnes & præſertim HIPPOC. recurrunt ad ignem, quia, quos morbos non ſanant alia remedia, ſolet ſanare ignis. FRANC. DE PEDEMONTE, *cap.* 3. Ponatur cauterium *ſupra modum* in pede a parte exteriori, & aliud ſimiliter *tribus digitis* ſub genu. JOANN. NAEVIUS *in conſil. Cratonis, conſ.* 14. Et lætor, & gratulor ex animo, cauteria feliciter cedere, neque dubito impoſterum idem exſpectandum eſſe, præſertim cum ſtupor & ſpaſmus remiſerint, & ſerum notabili excernatur quantitate. CLAUDIN. *conſ.* 7. Artubus male affectis, idcirco *in cervice* ſetaceum aut ſaltem cauterium excitetur.

Fontanellam loco affecto adhibet Spigelius.

Aſthma.

MERCURIAL. *conſ. med. conſ.* 2. Laudo ſaltem cauterium unum, quod in *ſiniſtro brachio* excitetur, diuque apertum ſervetur. HOLLER. *lib.* 1. *de morb. intern. cap.* 25. *in ſcholiis ait.* Quidam in medio thorace cauterium laudant (DURETUS *ad libertatem ſpiritus, quem tollit Aſthmatis paroxyſmus, vel in utroque brachio ad præcautionem aſthmatis periodici*) alii unum in brachio 4 digitis ſub oſſe ſcapulari, alterum in crure, 4 digitis ſupra genu inter duos muſculos.

Auditus Læsio.

Claudinus, *consult.* 138. Et cauterium si non in *occipite*, saltem in *brachio dextro* adhiberi debet. Platerus, Postremo prodest cauterium.

Catarrhus.

Trallianus, *lib.* 2. *suæ med. cap.* 5. Cognovimus vero quempiam, qui propter mali & noxii humoris fluxum in pectus *(a frigida intemperie)* hoc malum incurrit, cauteriis *caput* inussisse, atque omnibus ilico symptomatis caruisse, ita sane, ut ipsa, qua tenebatur humorum efficientium plenitudine penitus exhausta, tussique sublata, ulcerationibusque exustionis beneficio fluxu destitutis, sanitatem recuperarit. Piso, *lib.* 1. *cap.* 25. Sincipiti raso utiliter adhibetur cauterium ignitum, id enim materiam largam per ulcus semper apertum, salubriter evacuat. Dionys. Fontanonus, *lib.* 1. *cap.* 24. Licebit & candente ferro cauterium facere in *capitis anteriori* parte. Vigo, *lib.* 8. *cap.* 15. Et imprimis sciendum est, quod cauterium factum super *commissura coronali* juvat ad evaporandam materiam cerebri catarrhalem, & ad divertendum materias, quæ ad partes subjectas circum vicinas reumatizant. Mesue, *summa* 5. *cap.* 2. Et primum incipiamus experiri super *cauterio capitis*, quod fit super commissura coronali, in parte communi, quæ dicitur *Zuhendeg*, id est, continuatio capitis, cujus juvamenta sunt multa & sublimia. Helidaeus de Paduanis, *consf. Craton. consf.* 80. Si hoc non suffecerit, fiat cauterium actuale *in sutura coronali*, circa initium Maji, capillis abrasis. Hoc remedio multos actu phthysicos pristinæ sanitati restitui: etsi autem videri possit abominandum medicamentum, tamen tutissimum est, & sine aliqua noxa adhibetur; cum quo etiam plures catarrhos ad thoracem delabentes compescui. Mercatus, *consf.* 23. Cum certum sit, frequentibus purgationibus plurimum vires labi, & si eis non utaris, excrementa summopere crescere, ob id fontanellam adinvenit ars, ex natura sumta ratione, qua, quod quotidie gignitur quotidie quoque expurgatur. *Idem, lib.* 2. *tom.* 3. *cap.* 1. Quod si neque his omnibus, neque aliis, quæ facilia sunt, & consulto prætereo, quieverit affectio, antequam fluxio in pulmonem

pulmonem dilabatur, aut aliud malum consimile efficiat, setonem in *occipitio*, aut fontanellam in *altero*, vel *utroque brachiorum* affigere oportet, per quam sensibiliter exspiret humor defluens. BREUL, Cauterium in *commissura coronali*, aut post aures excitabitur, prius raso capite. *Idem in appendice:* Propellemus gravantes humores cauterio actuali aut potentiali, admovebimusque *anteriori capitis* parti. MERCUR. *lib.* I. *cap.* 27. Sed præ cæteris in genere chirurgicorum auxiliorum solemus maxime cogitare de cauteriis faciendis, & si ullus est morbus in quo hoc auxilium requiritur, certe destillatio est. Solemus autem parare plerumque in *brachiis*, quod & citius & tutius deflectatur materia a capite. Sed aliis non conferentibus, in gravi destillatione solemus quoque devenire ad cauteria, vel supra *coronalem commissuram*, vel in *occipite* inter 1, & 2 vertebram.

Cataracta.

MERCURIALIS, *conf.* 87. Post phlebotomiam ad paranda cauteria deveniendum erit, unum in *crure dextro*, alterum in *capite*, revulsione & exsiccatione. *Idem in prælect. Patavinis, lib.* I. *cap.* 33. Superest inter medicamenta unum, quod solet esse in usu apud omnes practicantes, scilicet cauterium, de quo non possum negare, quin maximam afferat utilitatem, ad *præservandum* a suffusione: sed de loco duo notate; primum, quod ubi suffusio timetur propter humorem, cauterium solum juvare potest, quod sit in *nucha*, quia humores, qui fluunt ad oculos, per eam partem, tanquam per aquæ ductum expurgantur, ideo ego consulo, ut hoc remedii genus frequenter usurpetis: aliud est, quod periculo imminente a vaporibus, qui continuo ab inferioribus ascendunt ad superiora, cauterium in *sutura coronali* laudo. Ego ut dicam id, quod in praxi observare licuit, ad curationem cataractæ nihil conferre fonticulos assero, hoc unicum præstant, quod maturationem retardant. Consulerem itaque hoc in casu abstinendum, & naturæ opus committendum, quo eo citius senescere, atque postmodum manuali operatione deponi possit: in principio autem ubi imagines oculis obversari animadvertuntur, nullatenus rejiciendi.

Authoris de fontanellæ in cataracta judicium.

Ce-

Cephalalgia.

WEICKARDUS, *cap.* 1. Aliis non proficientibus ad metaſyncritica, tanquam extrema auxilia, quæ ex alto humores attrahunt, attractoſque abſumunt, deſcendendum, quod & cucurbitulæ, aliaque cauteria actu & potentia cutem adurentia *capitis elatiori ſedi*, & quandoque in *poſteriori cervicis* parte affixa præſtant.

Convulſio Canina.

BERTRUC. *tract.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 3. Ultimo fiant cauteria duo, unum ſcilicet in *occipitio*, & aliud in radice mandibulæ partis tortæ non gibboſæ. WEICKARD. *cap.* 3. Et poſtquam omnia remedia incaſſum expertus fueris, inuratur cauterium poſt *aures*, vel in *collo*. HOLLER. *de morb. inter. lib.* 1. *cap.* 11. Cauteria poſt *aures* & in *cervice* fiant.

Cordis Palpitatio.

MERCURIALIS, *lib.* 2. *cap.* 10. Sic etiam maxime valent in palpitationibus, ut ego ſum expertus feliciſſime, cauteria adhibita. Quæ, cum poſſint variis & diverſis in partibus adminiſtrari, ſi a capite defluens materia palpitationem efficiat, ut dicit HIPPOC. melius eſt cauteria facere in ſuperioribus partibus, & ego in hoc caſu ſoleo commendare, ut cauterium in dextro brachio efficiatur. Si autem fiat vel per eſſentiam in corde, vel per conſenſum a partibus infernis, multo melius eſt cauterium in cruribus infigere, quæ poſſunt vel paulo *ſupra genu* vel *ſubtus genua* effici.

Diſpnoea.

Vide Anhelitus difficultas & aſthma.

Epilepſia.

ALTOMARUS, *cap.* 18. Aut ferro candente in *occipitio*, & infra, quo loco ſumma vertebra cum capite committitur aduras, juxta CELSI ſententiam. Inuras autem duobus locis jam dictis, ut ipſe refert, ut per ea pernicioſus humor evadat: quod ſi in duobus

locis

locis inuſtionem, non perferant, ſaltem in uno ferro candente aduras, quo videlicet ſumma vertebra cum capite committitur. Hipp. *lib. de morbo ſacro docet*, ulcera capitis (*quorum vices cauteria ſuſtinent*) ſi fiant pueris, eos a morbo caduco præſervare, & hoc profecto nulla alia ratione, niſi qua materia peccans evacuatur. Weickardus, *cap.* 2. *Unum ſuturæ coronali*, alterum ad 2 *colli vertebram*, tertium *infra genu* ad exteriorem ſuræ partem inter duos externos muſculos. Bertrucius, *tract.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 18. Poſt hoc fiat cauterium ſuper locum, a quo infirmus ſentit vaporem elevari, & profundetur valde, ſi eſt poſſibile, ita ut comprehendatur intra cauterium totus locus infectus, quia materias emundat. Novicomensis, *lib.* 1. *cap.* 22. Si fiat vitio cerebri, fiat cauterium retro in *parte poſteriori* capitis, & non in puppi, ſed in *cervice*, & portet ipſum patiens, quouſque liberatus eſt, quia eſt expertum. Brunus, *lib.* 2. *chirurg. magnæ*, *cap.* 8. Fiat in fontanella colli, in extremitate occipitii. Mercurial. *conſil.* 3. *Occipitium* ferro candenti inurere juſſi, & foramen diu apertum conſervari, per quod exſpirabat id, quod quotidie cerebrum non ſolum ſuſcipiebat, ſed & generabat. Mercatus, *conſult. med. conſ.* 3. Decrevi aliam fontanellam aperire in *ſiniſtro brachio*, quia intellexi morbum adeo diuturnum factum jam exiſtere in cerebro, quod certum erat, ipſum ſemper his ſuccis abundare, quibus purgationes per ventrem videbantur ſufficere. Quod præſidium ejus fuit poteſtatis, quod deinceps rarius in acceſſiones accideret, & cum hoc mitiores erant, adeo ut ipſi & aſſiſtentes crederent integram ſanitatem fuiſſe adeptam. *Idem*, *lib.* 2. *de morb. pueror. cap.* 12. Secundum (*medicamentum ſeu remedium*) & efficacioris poteſtatis eſt, fontanella in *occipitio* excavata, per quam intemperamentum illud materiale, quo male cerebrum ad epilepſiam diſponitur, ſenſim & paulatim expurgetur. Imo idem eodem in loco vult fontanellas aperiendas eſſe, antequam ſeſe prodat inſultus, præſertim, ſi vel fratres vel ſorores, vel parentes eo morbo affecti, & ita hæreditarius ſit. Nec & ſtatim fonticulus excavandus, ubi vel ſemel inſultum paſſi infantes epilepticum: nam quamplurimis vel ob dentionem, vel variolas epilepſia contingit unica ſaltem invaſione, & poſtea toto vitæ curriculo ulterius non afficiuntur. Imprudentis itaque medici conſilium eſſet, tum ſtatim aperire, & naturæ viam monſtrare pro expurgatione excrementorum non naturalem,

Fonticulus in epilepſia quando fieri debeat.

naturalem, quæ ad extremum tum diem vitæ geſtanda eſſet, quippe naturalibus viis natura diſſueta. PRATELUS *de mentis conſternatione.* Uſtio, cauterio tam actuali quam potentiali facta, ſicuti in extremis morbis, extremum eſt remedium : ita & hic in perſeverante malo *(epilepſia)* ſi præcipue cauſa in capite lateat, an forte hoc pacto cauſa a nervoſo genere ad partes ignobiliores derivari poſſit, non ſine ratione tandem adhiberi poſſet. Quo pacto modo natis Florentiæ *(ut fertur)* verticem perurentes, epilepſiam, quæ iis in locis infantibus conſueta eſt, ſolent avertere. Quibus de cauſis, & experientia moti, ferro candenti uſtionem moliri *(quam dum paroxyſmo tenentur, ſtupidique ſunt, etiam ſine ſenſu doloris in ipſis perficere poſſumus)* vel cauſtico adhibito, idem experiri in diuturna epilepſia, ſi alia omnia reſpuat remedia, non inconſultum eſſe putamus.

Febris Hectica.

Vide Atrophia vel phthyſis.

Gutta Serena.

CANAMUSALI, *lib.* 6. Cum cauterio *(ſanatur)* in *fontanella* capitis, & facto ruptorio, & extracta aqua de ipſo.

Hemicrania.

MERCURIALIS, *lib.* I. *de affect. capit. cap.* 5. Ubi etiam pertinax eſt hic dolor, ſolemus ad cauteria confugere, quæ *partibus infernis* inuſta maxime arcent ac revocant vapores & humores a capite.

Hæmorrhois.

CLAUDINUS, *conſult.* 95. Fonticulos in *brachio* dextro, *femore* ſiniſtro, tandemque ad *ſpinæ* caudam quamprimum inuſtos propono, atque ut fonticuli magis magiſque prodeſſent, pilas in iiſdem geſtari juberem ex pulvere ellebori nigri & agarici ſimplicis cum cera excepto paratas. Ego ſub cura matronam habui honeſtam, quæ intenſiſſimis hæmorrhoidum cæcarum doloribus a multo tempore vexabatur, cui fonticulum ſubtus genu in domeſtica parte excavavi,

vi, hinc cruciatus ſopiti, & rariſſime, niſi ex inordinata diæta, infeſtarunt.

Hydrops.

MERCURIALIS, *lib.* 3 *cap.* 24. Quod ſi hæc (*medicamenta*) nihil præſtant, ſolent medici confugere ad remedia propoſita a CELSO & AETIO, ſcilicet ad cauteria in cruribus facta: fiunt enim cauteria in utroque crure juxta malleolos, quibus apertis diu ſervatis, aqua, quæ alioquin ſuo pondere in partes inferiores fertur, longo tempore diſſipatur. WEICKARDUS, *cap.* 12. fontanella etiam probatur in ſuprema brachii parte facta, ita tamen ut ab *experto chirurgo* fiat, & aperta in multos menſes teneatur. Ego aſcitici tibiis infra genu fonticulos appoſui, unde incredibilis aquæ citrinæ copia excreta, hinc & ſanatus, non neglectis tamen interim remediis, viſcera corroborare valentibus : quos & ad multos annos deinde geſtavit, uſquequo ſponte exſiccati: nec mors ad aliquot annos inſequuta, donec peſte tandem extinctus.

Imagines.

Vide cataracta.

Iſchias.

Vide arthritis & podagra.

Lepra.

GORDONIUS, *part.* 1. *cap.* 22. Deinde fiant cauteria in utriſque tibiis *ſubtus genu* in concavitate, quæ eſt ſupra muſculum: eodem modo fiat in *brachiis.*

Mania.

CLAUDIN. *conſ.* 43. Fonticulus in *vertice* capitis, ſicut & alius in *femore* dextro, ſecundum partem domeſticam mihi arridet. MERCURIAL. *lib.* 1. *cap.* 16. Sed quod expertus ſum maximopere contuliſſe, eſt cauteriorum genus. Nam ſi fiat cauterium, & apertum detineatur, vel in *nucha*, vel ſupra *ſuturam coronalem*, certe utile eſt, quia non tantum

 vapores

vapores atri & fervidi per ea foramina diffipantur & educuntur, verum etiam refrigerat, & confequenter fuccus ille ater & aduftus exinanitur. Sed non folum cauterium unum vel alterum in capite juvat, fed fi fit etiam in ambobus & brachiis & cruribus, mirificum adjumentum afferunt. Et ego fcio quandoque hic Patavii nobiliffimum juvenem furentem, poft infinita remedia, tandem rediiffe ad mentem ufu quatuor cauteriorum in brachiis & cruribus.

Melancholia.

MERCURIAL. *conf.* 86. Confilium noftrum eft, ut utrifque *cruribus* fubtus genua de more cauteria excitentur, & diu aperta atque manantia conferventur. SAXONIA, *lib.* I. *cap.* 16. In hoc cafu cauteria commendantur, quanquam conveniant in omni Melancholia, quæ eft cum materia: infigantur autem cauteria in partibus infernis in *cruribus* aut *coxis.* CLAUDIN. *refp.* 43. Melancholico qui funt habitu, ii commode cauteria gerunt, quia fanguinem, tefte HIPPOC. valde Ichorodem habent.

Melancholia Hypocondriaca.

MERCURIAL. *lib.* I. *cap.* 10. Solemus quoque in hac melancholia parare cauteria *cruribus*, quæ expertus fum nobile auxilium attuliffe frequenter. CLAUDIN. *conf.* 136. Femoribus cauteria adhibenda funt.

Memoria læfa & deperdita.

MERCURIAL. *lib.* I. *cap.* 18. Juvat quoque in his cafibus ufus cauteriorum. Quia ubi abundant humores in cerebro, juvat eos evacuare paulatim, & deflectere a cerebro: Sed advertite, ficut laudo cauterium in brachiis, fic me illud damnare in occipite, quia ille locus eft fedes memoriæ, & perniciofum eft evacuare totum caput per partem affectam.

Menfium Imminutio.

MERCURIAL. *conf.* 8. In ambobus *cruribus* fubtus genua, atque in parte interna duo cauteria magnopere laudarem. *Idem, conf.* 108. Cauterium in utriufque cruris interna

na parte subtus genu factum valde efficax erit. Claudin. *conf.* 143. Quoad cauteria, si gratia revulsionis ab infernis partibus, unum *brachio* sinistro, gratia vero revulsionis a partibus supernis, & derivationis præcipue ab utero, alterum in *femore dextro* inureretur, maxime illi conducere possent. Nec ab usu illorum nos dissuadet ratio, quod in brachio menses aliquando suppressos cauterium magis supprimet, in femore vero copiæ illi aliquoties fluenti majorem dabit occasionem; nam quod cauterium in brachio officeret quidem, si aliqua subesset spes evacuationis mensium secundum naturam, aut si nunquam fluerent, ut propterea majus sit illius adjumentum quam nocumentum; de cauteriis femoris dicendum, etiamsi fluorem, quando viget, augere possit, nihilominus, quia alia commoda, & hæc ipsa majora præstat: nam a partibus supernis revellit, materiam obstruentem vasa uteri derivat, videtur opportunum, præterquam quod & id addendum, quod hæc duo cauteria propria nocumenta sibi invicem corrigere possunt.

Oculorum Lachrymæ.

Valescus de Taranta. Et cauterio facto in *anteriori* parte capitis, vel in *summitate* ejus curatur. Bertrucius, *tract.* 3. *sect.* 1. *cap.* 2. Deinde fiat cauterium in *vertice* capitis, &c. & dimittatur apertum uno mense integro, ita ut omni die purgetur a sanie bis.

Ophthalmia.

Mercatus, *tomo* 3. *lib.* 1. *cap.* 22. Quod si per internas venas fluxio prolabatur, in utroque vel altero *brachiorum* fontanellam aperire erit necessum, quæ fluxionem ipsam ab oculis retrahat. Rembert. Dodonaeus *in praxi medic. cap.* 21. Cauterium quoque in cervice ponendum. Forestus, *lib.* 11. *observ.* 2. Cauteria autem ad *coronalem suturam* ut prius post aures occipitio e regione oculi laborantis in cervicis initio imprimi possunt. Hollerius, *lib.* 1. *de morb. intern. cap.* 19. Cauteria tamen ad *coronalem suturam*, ut prius post aures in occipitio, e regione oculi laborantis in cervicis initio imprimi possunt: ut in *sincipite* medio, qua parte coronalis, raditur capillus, & cauterium applicatur. Duretus *in enarrat. supra, cap.* 19.

 Hollerii.

Hollerii. Cauterium pone *aures* admovendum, vel alterutri *brachiorum* ad mufculum bicipitem.

Paralyfis.

Claudinus, *conf.* 135. Quocirca ad cauteria me confero, & ftatuo non unum fed bina cauteria infigi debere, unum in *cervice*, alterum vero in parte inferiori fpinæ ad os facrum, a quibus geftatis per aliquot menfes, & fanatis, alia, in *brachio* & *crure* fano toto tempore vitæ fuæ geftanda, aperiri poterunt. Saxonia, *lib.* 1. *cap.* 10. Cauterium in *occipite* fiat. Solenander, *fect.* 2. *conf.* 13. Cauterium, quod fontanellam vocant, probo & laudo. Weickardus, *cap.* 3. In ambobus *brachiis* fonticuli infixi humores potentiffime revellunt.

Peftis.

Hildanus, *cent.* 4. *obf.* 23. Neminem autem *(quod notandum)* eorum, qui fonticulos in brachiis & cruribus habuerunt *(præter unum aut alterum fumme cacochymicum)* pefte obiiffe memini, & perinde præfentaneum præfervativum effe tempore peftis, cum in aliis multis, tum etiam in memetipfo obfervavi. Ego enim duos habeo, alterum in finiftro brachio, alterum in poplite dextro. *Idem recenfet, cent.* 4. *obf.* 86. Sennertus, *de febribus, lib.* 4. *cap.* 3. Inferviunt & fontanellæ dictæ, quibus nonnulli nihil utilius aut melius ad præfervandam peftem effe dicunt: non quod fontanellæ veneno peftilenti refiftant, fed quod vitiofos & excrementitios humores e corpore fenfim tollant, atque hoc modo apparatum ad peftem fufcipiendam demant. Referunt medici in graviffimis quibufdam peftilentiis plurimos cauteriorum ufu ab omni damno fuiffe fervatos.

Quercetanus *in alexicaco peftis, lib.* 2. *cap.* 2. *Non contemnenda de fonticulis peftis tempore adhibendis refert, quæ huc tranfportare placuit, hac fpe ductus, non injucunda nec inutilia fore lectu.*

Cacochymica vero corpora tempore graffantis peftis præcautionis loco melius ac commodius utentur cauteriis potentialibus, inter certos brachiorum & furarum mufculos applicatis: idque eo magis, fi jam antea illorum ufui fuerint affueti; fiquidem per ea tanquam per canales quofdam non folum

ſolum maxima corruptorum humorum copia foras excluditur: verum etiam ſpiritus in corpore noſtro contenti fuliginoſæ ac venenatæ materiæ, a centro ad circumferentiam, beneficio virtutis naturalis, artis induſtria adjutæ, extrinſecus expelluntur. Novi utique multos chirurgos peſtiferorum curationi deſtinatos, viros in arte ſua expertiſſimos, qui ad propriam præſervationem, antequam infectorum curationem aggrederentur, cauteriis melius, quam alia quavis cautione ſibi proſpexiſſe & conſuluiſſe aſſeverant.

Fontanellas tempore peſtis quis primo inſtituit.

HERCULANUS nominis celebritate & antiquitate non parum commendatus, habetur omnium primus, qui cauteria tempore peſtis applicanda inſtituit. Hoc tamen remedium ab arte veterinaria videtur eſſe depromptum: ſi modo liceat præcautiones brutis animantibus accommodatas, in malis haud diſparibus ad hominum ſalutem & incolumitatem transferre. COLUMELLA, ut peſtem & contagium, quod boves aliquando ſolet infeſtare, avertat; aures illis jubet perforandas cum radice, quæ vocatur *conſiligo*, & inter hellebori ſpecies collocatur, idque præſtantiſſimi pharmaci locum putat obtinere. Quod in hanc uſque diem a paſtoribus etiam & armentariis uſurpatur, tithymalis pro conſiligine ſubſtitutis.

Non pauci præterea reperiuntur adhuc medici, nec infima nota præditi, quibus id genus remedii, velut præcautiones quædam accuratæ comprobantur. In quorum numero MERCURIALIS merito reponi poteſt, cum palam atteſtetur, in ſæva quadam, quæ Venetias olim afflixit lue, plurimos cauteriorum beneficio ab omni noxa plane fuiſſe vindicatos. PARISINUS & INGRASSIAS idem ſimiliter in peſtibus, quas ipſi ſuo tempore exortas fuiſſe docent, ingenue profitentur, a quibus NICOLAUS MASSA nec PALMARIUS diſſentiunt: cum tantopere hujuſce generis remedia extollant atque commendent.

Reſtat modo dicendum, quonam tempore & quanam in corporis regione ipſamet applicari debeant.

Fonticuli in peſte quando applicandi.

Quod ad tempus attinet, nequaquam tamdiu illorum differenda eſt applicatio, quouſque peſtis incrementa ſua & vires acceperit. Tunc enim chirurgo magnopere timendum eſſet, ne ulcus malignitatem quandam & inflammationem conciperet, quod plerumque verum eſſe percelebres multi doctique medici atteſtantur. Melius ergo conſultum fuerit, ſub ortum peſtis jam graſſantis, & pernicioſos admodum ſuos fructus germinantis, eadem applicare.

Si

Si vero partem cui applicanda ſunt cauteria conſideremus, non eadem eſt authorum mens & judicium. MASSA & PALMARIUS eadem ſuris imponi volunt: ſic enim humores deorſum evacuari, & majorem revulſionem cauſari putant. Alii vero brachiis melius arbitrantur adhibenda, propterea quod tunc cordi ſint viciniora, cui cum ſemper inteſtinum bellum a peſtilentia indicetur, magis debent inſervire, reque ipſa humoribus alias derivandis melius illorum conducunt judicio. Ut autem hac in re meum intercedat ſuffragium: cum talia remedia ad vitam conſervandam ſint introducta, non eſt, quod ullus vereatur cauteria ſuris atque lacertis, imo & aliis corporis partibus adhibere: *hæc ille.* PARAEUS, *lib.* 21: *cap.* 2. Itaque primo quoque tempore, purgatione & phlebotomia humores ad putredinem & peſtilentiæ ſemina concipienda aptos ſibi detrahent, duo ſibi ulcera, tanquam excrementitiorum humorum, quæ quotidie in brachio dextro *paulo infra Epomidem* muſculum, alterum trium ſub genu digitorum intervallo parte externa cruris ſiniſtri, id ad præcautionem uſu valde certum & comprobatum eſt remedium.

Phthiſis.

MERCATUS, *tomo* 3. *lib.* 2. *cap.* 9. Materiam vero genitam, & quæ ex facto capitis intemperamento indies progignitur, nullo alio auxilio tutius avertes, quam fontanella, altero aut utroque brachiorum adaperta, qua, experimento fidiſſimo ſcio non paucos phthiſis feritate affectos, liberatos fuiſſe. Cæterum his, qui jam tabe laborant, caput neque ferro, neque potentiali cauterio urere opus erit, pro tabis curatione: incipiente tamen malo, & fluxione a capite delabente, ex uſu eſſe ſolet, juxta *ſagittalem ſuturam* caput urere, vel in occipitio inter 1 & 2 vertebram, ſed magis probo eidem parti ſetonem affigere, quo tutius & commodius malum imminuitur. CLAUDIN. *conſ.* 21. Ut præter cauterium, quod in brachio geſtat, alterum quamprimum in *ſincipite* vel in *cervice* fiat. HELIDAEUS *conſ. Craton. conſ.* 80. Si hoc non ſuffecerit, fiat cauterium actuale in ſutura coronali circa initium Maji, capillis abraſis. Hoc remedio multos actu phthiſicos priſtinæ ſanitati reſtitui. HILDAN. *epiſt. cent.* 1. *epiſt.* 49. Diverſionem catarrhi in te præcipue fonticulis fieri convenit, quos & in tuo affectu non ſatis

tis laudare possum: quandoquidem eorum beneficio semiphthisicos, qui sanguinem simul & pus expuebant, sanatos fuisse, his meis vidi oculis: humor enim acris, qui ex capite ad pectus defluit, commode per os evacuatur. Ego novi virum quendam, qui phthisin jam diu contraxerat, corporis constitutione melancholica, varia quinetiam eaque frustra a variis & doctissimis medicis adhibita medicamenta, administrata a me sinistro brachio fontanella intra semestre a defluxione capitis ad partes inferiores non modo liberatus, verum & corpus vigorem carnemque deperditam paululum recuperavit.

Podagra.

Thomas Erastus, *part.* 4. Disputatione contra Paracelsum, meminit cujusdam chirurgi felicissimi, Andreae Perusini Romani, qui quamplurimos podagricos annis retro elapsis per cauteria seu fontanellas curavit: impressit ægris cauteria sub genubus & humeris quatuor. Joannes Riolanus coxariis applicat cauterium 4 digitis infra genu, in exteriori tibia, quam præfert parti interiori, quia vena malleoli exterior Ischiadica nominatur. Abraham Seiler *ad D. Georgium Behr. epist.* 10. scriptis superioribus mensibus ad me generosus & nobil. D. N. N. ut animi mei sententiam perscriberem, quid sibi in exstirpanda podagra sit faciendum, ac num cauteriis huic malo succurri possit. Ego sane singulari diligentia incubui, ut bono viro de re literaria bene merito gratificari possem. Cum autem videam in hoc malo præstantissima auxilia parum aut nihil conferre, mihi omnino persuadeo, usum cauteriorum multum profuturum. Ichor enim præbens influxui occasionem pedetentim inanitur, & sic articuli a suis molestiis liberantur. Antequam autem applicentur cauteria, operæ pretium erit prius mundificare corpus, & primum experiri usum in *pedibus*. Quod si ista ad dolores podagricos sopiendos non satisfacient, etiam *brachiis* erunt adhibenda. Crato, *consil.* 221. *a cæteris medicis dissentit, nec podagricis conferre posse, asserit, sic inquiens:* Quod vero ad cauteria attinet; cum materiam medici non tenuem tantum, sed mixtam, crassam atque salsam esse fateantur, quid iis proficimus? Pauca materia, eaque tenuis per fonticulos istos, ut appellant, evacuatur; cum ista Podagrici maxime abundent, imo

imo craſſa materia podagram gignere non poſſit, niſi tenuis illa ſeroſa, tanquam vehiculum adſit, & inflammationem excitet. Hoc vero, ſi tota per cauteria poſſet evacuari, nihil convenientius podagricis eſſe cauteriis ſeu fonticulis iſtis judicarem. Verum cum videamus, quam exigua pars effluat, atque illud, quod effluit, non tam ad curationem quam præcautionem morbi faciat, quorſum propter parvum atque incertum commodum magna incommoda ſubeunda?

Authoris opinio de fonticulis in arthritide.

Verum dicat quicquid velit CRATO, ſuam ipſi relinquo opinionem, praxis mea contrarium me docuit; omnibuſque ac cunctis, qui arthritico inſultu uno aut altero vexati fuerunt, nec thermas adeundi occaſionem habuerunt, conſulo, ut fonticulum ſibi imprimi patiantur, per hanc enim non tenuis tantum, ſed & craſſa materia excernitur ſimul, ut ocularis inſpectio hoc dat, ac quamvis ea ſit pauca, quæ pro vice emittitur, tamen, quia quotidie evacuatur, non pauca, ſed multa merito dici poteſt, quotidie enim nova peccans generatur, quæ & ſimili intentione evomitur, jugiter ſcilicet, atque ſic morbi fomes, podagricorum dolorum inſultus cauſans, abſumitur. Et profecto ſi ullus eſt morbus, qui hoc remedio curari poteſt, revera eſt podagra ſeu arthritis, quæ *la gotta* ab Italis dicitur, eo quod inſtar guttæ deſcendat pedetentim generata. Si itaque paulatina hujus affectus generatio exiſtit, paulatim evacuans auxilium opportunum. Nam ut,

Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo:

Sic & ſæpiſſima ac reiterata evacuatione, hujus morbi tollitur cauſa, non vero vi. At ſi materia ſit copioſior, quam quod unus fonticulus eandem haud poſſit abſumere ac evomere, alius adjungendus. Porro hæ fontanellæ non tantum inſerviunt præſervationi, ſed & curationi, quatenus intemperiem alterant: aſt qui has infixas habent, ſi non utantur proba ac optima victus ratione, etiamſi quampluri mæ ſint numero, nec curantur, nec præſervantur, ut & illi, quibus nodoſa & tophacea eſt podagra.

Polypus.

ROGERIUS, *tract.* I. *cap.* 19. Generale conſilium eſt, quod fiat cauterium in illa commiſſura, quæ eſt inter phantaſticam

tasticam cellulam logisticam, ut humor nocens ab illa origine removeatur.

Pruritus & Psora.

Ego laborantes psora & pruritu manuum, præsertim dextræ, cum nullis remediis intemperiem illam curare possem, adhibito fonticulo brachio, correxi.

Soda, vide Cephalalgia.

JESU HALI, *tract.* 3. *de oculis*, *cap.* 24. Utere cauterio super *dimidio capitis.* BERTRUCIUS, *tract.* 1. *sect.* 1. Ad omnem dolorem capitis chronicum, perdurantem, maxime confert cauterium cum ferro ignito in *cervice capitis* profundatum usque ad cranium, ubi est commissura recta concurrens cum coronali versus frontem, & lauda versus occiput. JOANN. SERAPIO *in breviario*, *tract.* 1. *cap.* 9. Et si post phlebotomiam indiguerimus cauterio, cauterizabimus eos super *matrem capitis*, & tempora, & posterius caput.

Spuitio Salsuginosa.

MERCATUS, *cons.* 18. Quibus *(remediis)* profecto nihil malum cedere videbatur, sed indies magis crescebant accidentia, adeo ut timor erat, ne laborans in maciem & immedicabilia accidentia prolaberetur. Tandem ne videretur laborans prorsus consilio ac præsidiis destitutus, mihi visum fuit, fontanellam in altero brachiorum aperire, & reliquis consentientibus viris, adeo felici eventu factum fuit, quod prorsus evidenti consilio constitit, fluxionem a capite derivari ad fontanellam, & revelli a ventriculo, ad quem fluebat.

Spuitio Sanguinis.

MERCATUS, *tomo* 3. *lib.* 2. *cap.* 5. Quod si ex erosione ob capitis defluxum malum oriatur, ad fontanellam in altero *brachiorum* confugere, tutissimum & utilissimum fore arbitror. MERCUR. *cons.* 15. Etiam atque etiam hortor, ut duo cauteria, alterum in *brachio* sinistro, alterum in dextro *crure* subtus genu de more inurantur, diuque aperta

conſerventur, quippe, quibus ad divertendam deſtillationem ſalſam vix quicquam efficacius inveniri poteſt. Claudinus, *conſ.* 114. Cauterium in *ſincipite* inuſtum videtur eſſe maxime opportunum: atque ut unaquæque pars in morbo tam verendo ſuis non deſtituatur remediis, putarem, ſatius eſſe cauterium vel ſetaceum in *nuca* excitare, ac in progreſſu, antequam medicus de ſanando nucæ cogitet cauterio, in brachiis cauteria excitet.

Sterilitas.

Mercurial. *conſ.* 8. In ambobus *cruribus* ſubtus genua, atque in parte interna duo cauteria magnopere laudarem.

Surditas.

Rogerus, *tract.* 1. *cap.* 17. Item de cauteriis, quod fiat cauterium ad *radicem auris*, ita quod poſſit cooperiri, a pulpa auris, ita quod cauterizetur vena, quæ eſt in medio. Item cauterium ponatur in *brachio*, & fontanella colli.

Tuſſis.

Mercurial. *conſ.* 14. Ex rei urgentia commoti, decretum fuit fontanellam altero *brachiorum* aperire, quo citra aliud auxilium cœpit tuſſis deliteſcere. Pernumia, *lib.* 7. Cauterium autem in capite non erit faciendum, niſi malum affluxu fiat acrium humorum. Claudinus, *conſ.* 100. Cauteria ſint in *capite* & crure ſano, in capite quidem ad occiput.

Vertigo.

Mercurial. *conſ. med. conſ.* 3. Non modo utile, verum etiam pene neceſſarium puto cauterium, externæ *cruris* dextri parti paulo ſubtus genu inurere, ſique malum cæteris remediis minime cederet, cauterium etiam in *nucha* inter 1 & 2 vertebram infigendum erit. *Idem*, *lib.* 1. *cap.* 11. Præter cætera auxilia obſervavi magnopere conferre cauteria *cruribus* affixa. Et licet proprie conveniant, ubi vertigo ſit aut a liene, aut a jecore, aut ab utero: obſervavi tamen etiam

etiam in ea, quæ fit a ventriculo, cauteria vel ambobus *cruribus*, vel uni ſaltem affixa, eſſe admodum ſalutaria.

Viſus Imbecillitas.

PERNUMIA, *lib.* 4. Averſio fiet cauterio poſt *aures*, vel in commiſſura coronali, cujus ulcus diu apertum tenendum eſt. CLAUDIN. *conſ.* 105. Cauterium dextro *brachio* infigendum eſſe cenſerem, quod, quantopere valebit ad præſervationem præſentium affectuum ac ophthalmiæ indies adoleſcentulus experietur. WEICKARDUS, *cap.* 4. Validius feroſos humores & excrementa cerebri evocant cauteria *capitis* elatiori ſedi, vel poſt aures, aut in cervice applicata.

Ulcus Renum & Veſicæ.

MERCURIAL. *conſ.* 36. Cauteria ſane tum *brachio* ſiniſtro, tum *cruri* dextro affixa, & diu conſervata probare cogor.

Uterinus Furor.

HORSTIUS, *lib.* 2. *de morb. capitis*, *obſ.* 14. Cauteriorum uſus etiam huc pertinet, nimirum ut primo cauteria fiant in *cruribus*, quo corrupta materia, potiſſimumque malignæ evaporationes caput afficientes deorſum vergant.

CAPUT XVII.

Utrum cauteria antiquorum, & modernorum fonticuli, ſint abſolute ab invicem diſtinguendi.

INter cauteria antiquorum & modernorum fontanellas medici differentias ſtatuunt quamplurimas, quas a fine petitas eſſe volunt, ſuntque ſequentes ex numero.

1. Cauteria loco affecto applicantur : fonticuli vero vel ſupra vel infra locum affectum in parte ſana.

2. Cauteria locum affectum ſanant : fonticuli eundem lædunt.

3. Cauteria locum affectum roborant : fonticuli locum debilitant.

4. Cauteria locum affectum ſiccant : fonticuli eundem humectant.

5. Cauteria non diu ſervantur aperta : fonticuli diu ſervantur aperti.

6. Cauteria evacuant ſimpliciter : fonticuli evacuant non tantum ſimpliciter, ſed & cum revulſione, derivatione & interceptione.

Author 6 has differentias examinat.

Circa quas differentias clarioris doctrinæ ergo nonnulla conſideranda : primo quidem circa locum affectum hæc perpendenda. Dupliciter locum affectum ſumi poſſe, vel late, vel ſtricte. Late ille locus dicitur affectus, cui materia quædam impacta eſt, conſideraturque ut locus ſeu pars quædam corporis recipiens. Stricte vero locus affectus ſumptus eſt pars mandans, ſeu generans & producens, quæ aliam male habere facit : unde hic locus primario, alter ſecundario laborare dicitur, ſeu hic locus laborat eſſentialiter, per conſenſum alter : ſic late plerumque loco affecto applicantur cauteria : adhæc nec ſemper vel ſupra vel infra locum affectum, in parte ſana adhibentur duntaxat fonticuli, ſed etiam in ipſo loco affecto, teſtante SENNERTO *inſt. med. lib.* 5. *part.* I. *ſect.* 2. *cap.* 9. & SPIGELIO, cujus verba hæc ſunt. Multi ſupra articulum fonticulo facto ac aliquamdiu detento aperto, ſanitatem priſtinam ſunt adepti. Idem fit in iis, quibus aura quædam maligna e digito aſcendit ad caput : his, ſi in loco affecto excitetur ulcus, idipſum remedio eſt ; quoniam ad multos annos tenetur apertum, fontanellæ nomine gaudet, & hoc tanto magis, quoniam fonticuli ritu tractatur : fit itaque fontanella æque ac cauterium in loco etiam affecto, non ſimpliciter autem ſupra vel infra eundem, nec ſemper in parte ſana, ut affirmat AQUAPENDENS, *part.* I. *cap.* 95. *his verbis.* Itaque ut ſummatim omnes boni fonticuli conditiones referantur, debent fieri utplurimum in partibus oppoſitis partibus affectis, interdum in vicinis, nonnunquam *in parte affecta*, & hoc dupliciter, vel paulo ſupra, vel in ipſamet parte affecta, &c. quare differentia hæc prima non admittenda.

Fonticuli non ſemper ſupra & infra locum affectum, ſed etiam in ipſo.

Ad ſecundam quod attinet, quippe cauteria locum affectum ſanare, hoc non ſolum de illis, ſed & de fonticulis dici poteſt, ut

ut & illud, quod fonticuli partem ſanam lædant, & non idipſum etiam faciant cauteria: fonticuli enim locum affectum ſanant, & quamvis ſanum lædant, hæc læſio non eſt dicenda læſio, quoniam non fit, ut inde ſuccedat morbus, ſed ut morbus per hanc læſionem, tanquam per medicamentum ſanetur. Et fonticulos locos ſanare affectos hinc patet: Ponamus patientem ſcabie ſeu pſora inquinatum, cujus cutis tota infecta, cui inuruntur in cutis variis locis fonticuli, vel unus ſaltem; nunquid hi fonticuli ſanant locum affectum, etiamſi cutis ſola non ſit locus affectus, ſed internæ quoque partes ſimul? Sic etiam in intemperie quadam v. g. epatis, ſi fiat fonticulus in crure, cujus ope eadem alteretur, tum ſanatur & locus affectus. Adhæc cauteria non ſanant per ſe, ſed ex accidente, quatenus ſcilicet materiam ſuperant morbificam, tam a parte mandante productam quam a recipiente.

Ad tertiam, quæ ſic habet, Cauteria locum affectum roborare, fonticulos vero labefactare, reſpondeo, nec cauterium nec fonticulum partes roborare primo & per ſe, ſed ex accidente, quatenus ſcilicet, per ea materia evomitur peccans, qua propulſa, locus affectus robur tandem acquirit; Utrumque autem æque labefactare primo partem, ob ſolutionem continui, & roborare ob exſiccationem materiæ certum eſt, atque ita & in eo convenire.

Ad quartam, quæ dicit, cauteria locum affectum ſiccare, fonticulos vero humectare, ſic inquio. Siccatio illa, quam procurat cauterium, dupliciter intelligitur. HIPPOCRATES, ubi una non ſuffeciſſet cauterizatio, ſecundo illam adminiſtravit, quo virtus ignis exſiccativa denuo parti imprimeretur, & hac cauterizatione uſus fuit in partibus duntaxat laxis. Intelligi quoque poteſt exſiccatio de cauterio prout eſt ulcus evacuans materiam, atque ita exſiccationem inferens. Hoc & dici poteſt de fonticulo, quod ſiccet potentia partes humiditate affectas, etiamſi actu partes, quibus infigitur, humectet, quod eſt accidens, quia eadem in illis non generatur totaliter & maxima pars aliunde eo confluit, ac proinde æque cauteria, prout ſunt ulcera, humectant locum, cui infiguntur, ac fonticuli, ex quibus, ut & ex illis materia illa evacuatur; qua excreta totaliter inſequitur exſiccatio.

Quintam differentiam ſumunt a tempore, voluntque ab antiquis non diu ſervata fuiſſe aperta, fonticulos autem apud

nos

nos diutius ſervari apertos. Ubi ſemper circa conſervationis tempus perpendenda materia, quæ, quo citius evacuata & pars generans ſuam craſin denuo adepta, eo citius fontanella obſeranda, quod & demonſtrat quotidiana experientia, alios ab affectibus graviſſimis brevi ſpatio fontanellarum beneficio liberari, alios non item, vel ob materiæ copiam, vel qualitatem, vel errorem externum ad ultimum uſque vitæ diem geſtare cogi. Sic veteres, ut & ante dictum, ubi advertunt, materiam nondum ex toto evacuatam, uſtionem denuo inſtituerunt; ſublata enim cauſa, tuto clauditur fonticulus: quod & innuit CELSUS, *lib.* 4. *cap.* 22. *his verbis.* Ut materia inutilis evocetur, illud perpetuum eſt, non ut primum fieri poteſt hujus generis ulcera ſanare, ſed ea trahere, donec id vitium, cui per hæc opitulantur, conquieſcat.

Sexto & ultimo affirmant, cauteria ſimpliciter, quatenus ſunt ſupra locum affectum, ex eodem evacuare, fonticulos vero non ita, ſed illos evacuare derivando, revellendo, intercipiendo, e loco non affecto ſed ſano. Quod & minime concedendum exemplo hoc declaratur. Hodierni in antiquo capitis dolore utuntur fonticulo in ſutura coronali ad evacuandam materiam peccantem, quæritur, utrum hæc evacuatio ſit ſimplex vel compoſita? Si ſimplex, quid refert, & fonticulum hunc cauterium antiquorum dici poſſe, quia fit in loco affecto, quem & ſanat, roborat & ſiccat? Si compoſita, ergo & veteres, dum hanc inuſtionem primo invenerunt, & in eodem loco adminiſtrarunt ac ad longum tempus apertum tenuerunt, eundum etiam finem præter modum & formam agendi nobiſcum habuerunt, ſcilicet e loco affecto, vel per interceptionem, vel revulſionem, vel derivationem materiam peccantem evacuare.

Epilogus.

Finem itaque & modum & formam agendi unum eundemque cauteriis antiquorum & fonticulis modernorum ineſſe utplurimum ſtatuo, quamvis nomen fonticuli ipſis non fuerit uſitatum ac cognitum; ac idem fere importare aſſero fontanellam noſtram, quod cauterium priſcorum, & quamvis hoc multo plures habuerit uſus, tamen propterea a fontanellis non eſt ſecludendum noſtris, hincque omnes fere practici excellentiores, ubi de fonticulis agunt, cauterii nomen tanquam magis uſitatum proferunt ac retinent. *Et hæc de fontanellis dicta ſufficiant.*

CAPUT

CAPUT XVIII.

Quid ſetaceum, ejuſque differentiæ a fonticulo.

ABſoluta fonticulorum tractatione, ordinis ratio nunc exigit, de altero fonticulorum genere, quod vulgo ſetaceum, ſeto, ſetamen, laqueus, paracenteſis, titio, illaqueatio, ſedaginum, ſectorium dicitur, agere. Sumitur autem vox ſetacei dupliciter, vel *proprie* pro chorda ſeu funiculo, qui trajicitur, & relinquitur, ſive is fiat ex ſetis equinis *(unde denominationem potiorem ſortitur)* ſive goſſipio, vel ſerico albo, vel Cermeſino. AQUAPENDENS, *part.* 1. *cap.* 1. *operat. chirurg.* ſetonem appellat chordam ſericam, quam relinquimus, quæ ſeto appellatur paſſim ab authoribus, quod *(ut puto)* ex ſetis equinis jam fieret, ſed cum nimis aſpera in parte ſentiente contactus ratione facile inflammationem moveret: mutata materia, nomen retentum eſt. Seto autem per foramen tranſit, aut per acum magnam filum trahentem ſetonis extremo adnexam, aut in altero ſetonis extremo coaptato rotundo ſpecillo, *puntale vulgo*, longiore tamen quam in ligulis fit. *Improprie* ſumitur ſetacei vox pro fontanellæ ſpecie, quam vulgus licentioſe ſetaceum dicit, quæque nihil aliud eſt, quam fontanella duplici foramine prædita *(ſeu ab uno latere ad aliud pervium ulcus)* intra cutim & muſculos ſubjectos trajecta, quæ ſetone, id eſt, funiculo ex ſetis equinis, vel alia quavis chorda, aperta ſervatur, fitque evacuationis gratia vel cauterio actuali, vel ſectione.

Setacei varia nomina.

Setaceum dupliciter conſideratur.

Seto quid.

Setaceum quid improprie.

In multis a fonticulo differt. 1. Hic enim variis & quamplurimis locis adhibetur: Setaceum autem *(vocabulo jam ab omnibus recepto, ne confuſionem introducere velle videar)* in paucis. 2. Hic unum habet foramen recta introrſum delatum: hoc duo foramina intra cutim & muſculos adinvicem ſibi oppoſita vel recta, vel tranſverſim. 3. Hic vel per cauterium actuale, vel potentiale, vel ſectionem fit; hoc ſolummodo per cauterium actuale & ſectionem. 4. Hic pila rotunda, globulo, ſeu ſphærula ſervatur apertus: hoc annulo vel chorda ex filis vel ſetis equinis contortis. 5. Hic quo

Seti a fonticulo differentia.

quo firmius fascia stringitur, eo melius pilam conservat: hoc ex constrictione fasciarum dolores intensos excitat, & cruciatus intolerabiles: in cæteris cum fonticulis consentit.

CAPUT XIX.

Quot modis fiat setaceum, & quamdiu apertum servandum.

Setaceum quot modis fiat.

SEtaceum duplici modo, vel per ustionem, vel per sectionem produco. Per ustionem taliter: Patientem sellæ insidere jubeo, thorace denudato, erecta cervice; ubi pili impediunt, hi abscindendi: deinde lineam rectam secundum cervicis duco longitudinem in ejus medio, locumque intra 1 & 2 vertebram diligenter observo, quo facto a latere lineæ tam dextro quam sinistro pollicem appono, ac ubi latitudo hæc desinit, ibidem atramento loca denoto; postea cutim a subjectis musculis accurate detractam famulo digitis tenendam trado, quam deinde, ut linea recta medium forcipis æquet, forcipe apprehendo, accurate simul considerando, ut signatæ laterales partes per forcipis foramina rite appareant. Cervicem autem magis ad posteriora præcipio flectendam, nam sic facilius cutis a musculis separatur (*quamvis aliis magis placeat anteriora versus, quod cum fit, meo judicio cutis magis extenditur, difficiliusque, quantum satis, a subjectis musculis sejungitur*) tum firmiter eandem constringo, stuporemque quodammodo incutio, postea ignitum ferrum acutum cito trajicio, eoque extracto, statim acum argenteam cum pomulo & chorda digestivo inuncta, transadigo, quo peracto, forcipem dilato, ac extremitates funiculi per ejus foramina extraho, deinde aquam rosarum & albumen ovi conquassatum, simulque permistum linteis duplicatis tepide adhibeo.

Cervix quomodo tenenda in setonis administratione.

Sectione quomodo inducatur seto.

In sectione præcedentem fere apparatum observo, nisi quod loco ferri candentis sumo cultellum ambisecum (*num.* 4.) quo cum apprehensam cutim perfodio, deinde eadem acu filum contortum trajicio.

FORESTUS, *lib.* 11. *obs.* 2. *Ex Heurnio hunc modum proponit dicens.* Prehendes digitis *cutim cum carne*, quæ initio

tio cervicis ad cavum occipitii ; tum acum traductam filo ſerico ſatis craſſo transfiges, & ita locum pervium ad 30 vel 40 dies permittes, per intervalla ſublato ac deinde repoſito filo.

LANFRANC. *doct.* 3. *tract.* 3. *cap.* 18. *ait.* Pellis apprehendenda cum tenaculis frigidis, & ubi volumus ſectionem ponere inter tenaculas pellem illam ſtringimus, & ferrum calidum per tenacularum foramina injicimus, & pellem comburimus a tenaculis comprehenſam ; deinde chordam lenem filorum in ſanguine tinctam mittimus in foramine, & chordam in duobus capitibus poſtea nectimus, & dimittimus donec volumus ſigillare.

CLAUDINUS, *conſ.* 43. *inquit.* Si in cervice ſetaceum ſit parandum, caput ita ſituetur, ut in neutram inclinet partem, deinde linea per longum vertebrarum cervicis atramento ſcriptorio obſignata, cutis duplicata, manibus primum *(ut per longum linea illa ducatur)* mox tenaculis habentibus margines exſtantes, & in planiciem diductas perforataſque apprehendatur, ac cutis illa duplicata apprehenſa per ſtylum ferreum ignitum in foramen tenacularum immiſſum perforetur, ſtatimque funiculus ex ſerico purpureo trajiciatur, ea ratione tamen, ut tenaculæ manu ſiniſtra a medico detineantur, & funiculus dextra imponatur.

FERRARA, *lib.* I. *obſ.* 76. *ſcribit.* Ut commode inſigi poſſit, patiens in ſedili humili capite erecto, ut nec huc nec illuc reſpiciat, collocandus ; quo ita collocato, chirurgus, raſis prius circumcirca capillis, cavitatem intra duos muſculos eligat, cum forcipe in medio perforata aliquid de cute ejuſdem loci apprehendat, per eamque ita apprehenſam cutem & foramen forcipis acum filum ex pilis equinis aut de ſerico trahentem, trajiciat, filum in foramine ſeu vulnere cutis relinquat.

PARAEUS, *lib.* 9. *cap.* 24. Ægro ut ſcabello inſideat, & caput deorſum ita inclinet, imperandum, ut cutis panniculuſque carnoſus laxentur : Hinc cutem digitis ſeorſum a muſculis, & ſurſum adducere, ejuſque quamplurimum fieri poteſt tenaculis comprehendere convenit, intactis cervicis muſculis, convulſionis & aliorum ſymptomatum metu : tum per forcipum foramina, quæ in ipſarum medio pervia eſſe debent, ignitum ferrum chirurgus tranſadiget, comprehenſam ipſis cutem arctius conſtringet : quo ſic una conſtrictis nervis, pyrotici dolorificus ſenſus minus ad partem perveniat,

P vulnus

vulnus in longum & non in tranſverſum infligi & inuri debet, ut ea arte per fibrarum rectitudinem materiæ vacuentur promptius. Ignitum vero ferrum, quo facilius & citius penetret, extremo acutum, & triangulare vel quadrangulare effingendum eſt: hinc forcipibus immotis, eadem illa igniti ferri via, acum, quæ bombacinum filum triplicatum vel quadruplicatum atque ovi albumine & roſar. imbutum trahat, immittere oportebit.

Pigraeus, *lib.* 10. *cap.* 19. Setum autem ſic applicandum erit. Forcipe perforato prehendenda eſt cutis, & carnoſus panniculus, loco commodiſſimo, nec muſculis nec tendonibus ullo modo contactis: deinde acus, ubi ſetum inſertum erit, trajicienda, ſetumque, quamdiu opus, ibi relinquendum.

Pernumia, *lib.* 4. Cutem colli forcipe apprehendendo, donec ſenſus tactus abeat; poſtea acu filum aliquod craſſum habente perforando, ut in vulnere ablata acu maneat, quod ulcus diu ſervet apertum; ac per id materiæ multæ vacuationem moliatur.

Aquapendens, *part.* 1. *cap.* 1. Igitur digito indice percepta cavitate, quæ fere capillis tegitur, qui propterea ante deradendi ſunt, ſtatim atramento ſcriptorio locus per longitudinem notandus ita, ut linea in media cavitate fiat: & ne medius locus aufugiat, æger rectam cervicem medico afferat; mox chirurgus ambo foramina tum a dextris tum a ſiniſtris ſimiliter atramento ſignet ſic, ut utriuſque foraminis interſtitium ſit unius tranſverſi digiti cum dimidio alterius plus minuſve, prout corpus vaſtum eſt, tum digitis primo forcipe cutis apprehendenda, ad ſeque trahenda ac ſtringenda eſt, ad patientis bonam tolerantiam, potiuſque cum aliquo doloris ſenſu ſtringere oportet: ſic enim obſtupeſcente perforanda parte nil fere doloris ægri perſentiunt, eaque ratione apprehendenda cutis eſt, ut anterius linea per longitudinem facta, tum vero utrinque foraminum notæ per forcipis foramina oculis objiciantur: tum acus ignita momento fere temporis trajicienda eſt; deinde *puntalis vulgo*, aut filum, vel altera acus ſetonem trahens immittenda, ſetoque relinquendus.

Hildanus *obſ. chirurg. cent.* 1. *obſ.* 40. *ſic inquit.* Hac tenacula cutem (*in humili prius ſcamno ægro collocato, lineaque per longitudinem colli in medio ipſius exacte atramento ducta, nec non utraque parte perforanda, punctis atramento itidem notata*) quam

quam inter 2 & 3, aut inter 3 & 4 cervicis vertebram a musculis, separatam digitis elevo, ministro apprehendendam firmiterque tenendam permitto; ita quidem, ut puncta atramento facta ad forcipis foramina sint. Deinde ab antica parte stans, pedibus meis circa patientis pedes collocatis, capiteque ejus abdomini meo, quo id *(quantum fieri potest)* tenere queam, imposito, forcipem sinistra prehendo, & dextra pro ferrea acu candente, adhibeo argenteum cultellum frigidum, eumque ancipitem & acutum instar scalpelli, quo venæ inciduntur. Hoc perforo, quod tenetur tenaculis; mox alia acu traduco funiculum rotundum contextum ex serico albo aut purpureo, crassitie æquante & implente fere ipsum foramen: longitudine quatuor spithamarum ut circum circa collum, & ad pectus usque propendere queat.

Seti longitudo & crassities.

Hunc modum Clarissimus HILDANUS suum inventum gloriatur, cui refragatur LEONHARDUS DOLDIUS in cista medica HORNUNGI, *epist.* 249. his verbis. Vellem autem setaceum fieri sola acu frigida nudaque, ut se primum observasse putat & invenisse WILHELMUS FABRICIUS HILDANUS in centuria suarum observationum, qui etiam non sine ratione candentem acum rejicit. Vidi autem factum setaceum, antequam visus esset liber Fabricii. CASPARUS BARTHOLINUS, professor regius, in suo syntagmate sic ait de eodem modo Fabricii. Reperio tamen & hunc modum per acum absque igne ullo a Gallis nonnullis chirurgis celebratum, & in scriptis editum apud GUILLEMEUM. Hanc methodum, quantum & ego colligere possum etiam observarunt PIGRAEUS, PERNUMIA, FERRARA & HOLLERIUS, qui ante ipsius floruerunt tempora, vixeruntque, nec acus candentis, sed simplicis tantum meminerunt, ut videre est in locis superius citatis. Non tamen exinde cadit laus nostri Fabricii, qui hunc modum toti Germaniæ communicavit.

Ad hæc idem noster ob sequentes rationes ferrum candens rejicit, sectionemque præfert: quarum hæc prima. Ferri candentis actio & qualitas prima est desiccatio, quæ quidem fit ratione qualitatis calidæ & siccæ, quam ignis elementum ferro imprimit. Altera, merum tamen prioris accidens, corroboratio partis videlicet, quam afficit, eo quod humiditas excrementitia candente ferro desiccata sit. Tertia ob phantasiam & horrorem, quem plerique omnes ex eo concipiunt.

Hildanus sectionem in setis ustioni præfert.

Ad ſingulas has tres rationes reſpondere decrevi, maxime cum ferrum candens ſectioni præferam.

Actionem ferri candentis & qualitatem primam eſſe deſiccationem concedo; nullatenus autem propterea rejiciendam in efficiendis ſetaceis, utpote quod illa operatio nec deſiccatione nec roboratione egeat, ſed potius humectatione & debilitatione. Diſtinctione hic opus circa modum agendi, notandumque in effingendis ſetaceis cauterium actuale non tam potenter adhiberi, ut exſiccatio ſubſequatur, cum ſit momentanea operatio: nec adeo profundetur, ut exſiccationem producere poſſit, ſed duntaxat, ut fiat ſolutio continui, ac ablata eſchara, foramen & quidem rotundum appareat, majorque attractio ob calorem & dolorem procedat. Etenim ubi volumus exſiccare partis humiditatem excrementitiam, continuatiori ignis operatione opus eſt. In loco autem cui in cervice infigitur per cauterium actuale ſetaceum, non adeſt humor excrementitius, qui talem exſiccationem deſiderat; ſed ſolummodo fit in eo, ut ſolvatur continuum, & ſuccedat attractio, derivatio, interceptio & evacuatio materiæ: ideoque concluſio illa non eſt valoris alicujus: nam etſi exſiccet partem, quam in eſcharam vertit, non tamen totam afficit, ablataque eadem eſchara, remanente in ulcere chorda, pars non ſicca apparet, ſed eichoroſam ac purulentam evomit exſpuitque materiam, imo nec pars roboratur exinde, ſed æque ac per ſectionem debilitatur, ob dolorem, qui attrahit; ita ut hinc concludi haud poſſit, ex igne actuali in hoc caſu produci in parte ſiccitatem, eamque roborari. Præferentiam non ita pridem in duobus obſervavi: in matrona ſcilicet 50 annorum, quæ defluxione acri, bilioſa ſalſaque ad nares & aures laborabat, cui ſectione ſetaceum adhibui, & in alio 35 annorum, ophthalmia & imminente cæcitate laborante, cui cauterii actualis beneficio ſetonem cervici impoſui; poſtrema hæc operatio feliciorem eventum dedit, *(non quoad affectum ſed ad regimen)* mitioreſque omnes dolores, imo fluxio copioſior poſt paucos dies ablata eſchara: ſectio autem non tam uberem fluxum primis præſertim diebus dedit, aſt dolores atrociores intulit, & hoc ideo eveniſſe reor, quod chorda ſtatim carni recenti moleſta, imo quod foramen vulneris non fuerit rotundum, quia inſtrumentum, quo fit, eſt vel latum vel triangulatum, vel quadrangulatum, quod alias contingit in eo ſetone, qui fit per uſtionem: illa namque procedit ab inſtrumento rotundo,

&

& per eſcharam indolentem ſtatim chorda tranſmittitur, qua ablata foramen rotundum efformatur, quod tempore modo per ſectionem producitur.

Imo nec recte concluditur, actualia cauteria magis repellere id, quod influit, frigida enim repellunt, calida attrahunt, ut apparet in uſu veſicatoriorum, quæ etſi frigide applicantur non tamen repellunt, ſed attrahunt, quatenus calida, quod profecto non facerent, ſi calida repellerent: ſcio autem remiſſiorem eſſe hunc calorem, & paulatim agere.

Tandem ſi rejiciendus modus per uſtionem, hoc non niſi metus & pertimeſcentiæ gratia concedendum: non autem quod per actuale cauterium, pars, cui infigitur ſeto, exſiccetur & roboretur, multominus quod idipſum id, quod influit, potius repellat, quam attrahat.

Verum non invehendi, ſed exercitii loco dicta eſſe velim: utatur lector modo, quicunque ipſi placuerit: uterque bonus, modo diligenter obſervet illud, cutim & carnoſam membranam a ſubjectis muſculis ſedulo & accurate ſeparandam.

Setaceum quamdiu geſtandum.

Tamdiu autem apertus ſervandus eſt ſeto, quamdiu præſens fuerit materia morbifica, nunquam claudendus, niſi prius brachio fonticulus adhibitus. Nam, ubi ad longum tempus *(ut inquit* CLAUDINUS*)* geſtatur, capitis maximum languorem ſolet adferre: ſanantur autem, ſi detracto funiculo a ſetaceo filamenta arida adhibeantur, & mox ceruſſa cocta, vel ceratum vel palma aut minio ſuperponatur. Sic HILDANUS, *cent.* 4. *obſ.* 7. ſemeſtre ſetaceum conſolidavit, at fontanellam ſiniſtro brachio adhibuit, *cent.* 4. *obſ.* 19. *exemplo* 1. *ait:* matronam quandam in tertium uſque annum ſetaceum geſtaſſe, quæque diutius idem retinuiſſet, ni per ſe, ut aliquando fieri conſuevit, penitus exſiccatum, & cicatrix inducta fuiſſet.

CAPUT

CAPUT XX.

Quibus in locis fiat ſetaceum.

Setaceorum loca apud priſcos quænam.

IN variis noſtri corporis partibus ſetacea veteres infigere ſolebant. 1. In nucha ſeu foſſa inter 1 & 2, vel 2 & 3, vel 3 & 4, vertebram. GUIDO, *tract.* 7. *doct.* 1. *cap.* 3. ROLAND. *lib.* 1. *cap.* 18. *rubric.* 2. HILDAN. *cent.* 1. *obſ.* 40. 2. In cartilagine auris. ROLAND. *lib.* 3. *cap.* 18. *rub.* 2. NOVICOMENS. *lib.* 1. *cap.* 18. 3. Supra pectus. LANFRANC. *doct.* 3. *tract.* 3. *cap.* 18. ROLAND. *lib.* 3. *cap.* 40. 4. Sub furca pectoris. ROLAND. *lib.* 3. *cap.* 40. 5. In ore ſtomachi. LANFRANC. *doct.* 3. *tract.* 3. *cap.* 18. 6. In ſpina. ROLAND. *lib.* 3. *cap.* 40. 7. In regione epatis. LANF. *doct.* 3. *tract.* 3. *cap.* 10. ROLAND. *lib.* 3. *cap.* 40. MERCAT. *lib.* 1. *de recto artis medicæ præſid. uſu, cap.* 16. 8. In regione lienis. LANFRANC. *doct.* 3. *tract.* 3. *cap.* 18. ROLAND. *lib.* 3. *cap.* 40. CLAUDIN. *reſp.* 43. 9. Circa umbilicum. CLAUDIN. *reſpon.* 43. 10. In ſcroto. GUIDO, *tract.* 7. *doct.* 1. *cap.* 3. ROLAND. *lib.* 3. *cap.* 40. LANFRANC. *doct.* 3. *tract.* 3. *cap.* 13.

Hoc noſtro ſeculo operatio hæc inſtituitur, vel in occipitio ſeu cervice, vel in aure, vel in ſura; in reliquis locis adhiberi deſiit. Uſitatiſſimus omnium locorum eſt nucha, ſcilicet inter 1 & 2, vel 2 & 3, imo & inter 3 & 4, vertebram colli. Verum utrum per longum vel tranſverſum infigendum, de eo ſunt diſſidentes opiniones.

Setaceum utrum per longum vel tranſverſum incidendum.

PARAEUS, *lib.* 9. *cap.* 24. Vulnus in longum non in tranſverſum infligi & inuri debere aſſerit, ut ea parte per fibrarum rectitudinem materiæ evacuentur promptius. Duretus, *in lib.* 1. *Hollerii de morb. intern. cap.* 19. *enarrat. annotat. inquit.* Et autem transfigenda cervicis cutis in longum, καθ' ἴξιν potius, quam in tranſverſum, quod tamen fere factitant omnes chirurgi. AQUAPENDENS hanc opinionem ſequentibus refutat argumentis, inquiens: Primo, non poteſt apprehendi & perforari cutis tranſverſe. Secundo, alterum foramen, ut puta ſuperius, eſſet ſupervacuum, ut ideo præſtaret ex aliquorum ſententia fonticulum parare.


Ego

Ego meam quoque mentem de modo illo in præſentia declarare propoſui; facilioris autem intellectus gratia, muſculi Trapezei ſeu cucullaris deſcriptio tradenda prius, ubi & hoc notandum, quod, quæ de illo in dextro latere dicuntur, etiam eadem de ſiniſtri lateris muſculo intelligi debere. Hic itaque muſculus in dextro latere primo tranſverſim, ut habet Spigelius *de humani corporis fabrica, lib.* 4. *cap.* 13. ab interiore parte oſſis occipitii verſus aurem, ubi ſinum ejus gratia exſculptum diximus, principio carnoſo oritur, deinde recta ſecundum corporis longitudinem ex proceſſibus poſterioribus vertebrarum colli, & octo ſuperiorum thoracis, principio mebranoſo & lato junctus ſuo conjugi alterius lateris. Hinc verſus ſcapulam ad externum corporis latus procedens, ſemper anguſtior redditur, donec tandem in totam ſcapulæ ſpinam & ſummum humerum baſimque fere mediam, & claviculæ partem, quæ lata eſt, nervoſo ſimul & carnoſo fine inſeratur: a Galeno Trapezius dicitur, quo nomine Geometræ figuram quadrilateram inæqualibus lineis circumſcriptam appellant, &c. ipſius fibræ vario quoque ductu feruntur, ex quibus quædam rectæ ſunt, quædam obliquæ. Rectæ, quæ medium quaſi ipſius occupant, obliquæ autem, tum quæ verſus humerum ab occipite ad ſcapulam deſcendunt, tum quæ a vertebris inferioribus thoracis aſcendunt. His perceptis, non multum a ſcopo aberrare videntur, qui ſtatuunt per rectum ſeu longum inſigendum ſetaceum in cervice, quoniam fibrarum ductus ibidem rectus: ſed cogitent dum taliter adminiſtratur operatio, in medio cervicis hanc adhiberi, ubi potius ſunt membranoſæ quam carnoſæ partes, nec fibræ ullæ neve venæ diſſeminatæ & ſparſæ: imo, ut inquit Aquap. loco citato, per ſuperius ulcus materia evacuaretur & non per inferius, quod fruſtra eſſet: ad hæc, ut idem annotavit, cutis difficulter tali modo a ſubjectis muſculis ibidem elevatur & ſeparatur, ſcilicet per tranſverſum, talem etenim elevationem deſiderat operatio, quæ recta fit per cervicem, illa autem quæ tranſverſim, rectam apprehenſionem requirit: præterea difficilis eſt operatio hæc, nam vel a ſuperiori ad infernam, vel vice verſa, partem trajectio fieri deberet: quæ actio quam ſit laborioſa, chirurgus in praxi experietur, adminiſtrari autem debet inſtrumento ſeu acu incurvata incidente vel urente. His rationibus ductus, rejiciendum proceſſum hunc, nec admittendum ullo modo reor: hos vero duos approbandos cenſeo, dum

Authoris deciſio dubii de modo inſigendi ſetaceum.

Cucullaris muſculi deſcriptio.

dum ſcilicet vel cutis recta elevatur, & inſtrumentum tranſverſim trajicitur, ita ut ulcera ſub linea recta ſint oppoſita: vel eadem cutis oblique apprehenſa oblique quoque transfoditur, ita ut unum foramen ſit in dextro latere declivius, in ſiniſtro vero elatius, & ultimus modus mihi maxime arridet, quia utrique ulceri ſuccurrunt fibrarum ductus, & ab utroque latere evacuatio felicior exſpectatur: in ea autem regione altius ulcus inſigendum ubi malum magis urget.



a b c d *His literis cervicis pars, quæ ſetacea ſuſcipit, circumſcribitur.*

e f *Paræi & Hollerii modus per longum & rectum inſigens ſetaceum.*

g h *Obliquus inſigendi modus a me inventus.*

i k *Vulgaris, uſitatus & communis modus, qui ſit vel inter* 1 *&* 2, *vel* 2 *&* 3, *vel* 3 *&* 4, *vertebram.*

Setaceum a Spigelio ſuræ inſigitur.

In ſura a Clariſſimo SPIGELIO adminiſtratum ſetaceum vidi Patavii anno 1617. in Barone Auſtriaco, Iſchiade laborante, feliciſſimumque ſucceſſum comperi: a nullo autem, niſi ab illo, hoc in loco ſetaceum adhiberi legi aut audivi.

CAPUT

CAPUT XXI.

Quibus instrumentis & fiat, & conservetur seto.

Authoris modus imponendi setonem.

IN effingendis setis tam prisci quam neoterici variis utuntur instrumentis. Ego, dum vel sectione, vel ustione ejus administrationem molior, forcipem seu tenaculam (*fig.* 1.) adhibeo, qua cum digitis elevatam cutim apprehendo firmiterque constringo: discrimen tamen aliquod est inter forcipem ustioni & sectioni inservientem; hæc enim (*fig.* 1.) rotundum, illa (*fig.* 6.) oblongum foramen continet: alæ autem seu margines finibus appositæ latitudinem digiti æquent, ne cutis vicina damnum suscipiat, quod tamen difficulter chirurgo dextre operante insequitur. Pro ustione mihi inservit framea (*fig.* 2.) acuta ferrea manubriolata, quæ paulatim crassior evadit, ita tamen, ut aliquantulum sit tenuior ipsa foraminis amplitudine, non ultra sex digitos transversim positos longa: chordam sesqui aut duarum ad summum ulnarum longam (*brevior enim molesta est*, *nec tam jucunde gestatur*) acu argentea (*fig.* 3.) pomulata instar specilli, quo vulnerum profunditates inquiruntur, traduco, trajicioque: chordam autem hanc seu funiculum ex serico albo potius quam cermesino, eo quod arsenicum inter tingendum recipit, unde inflammationem non raro obortam observavi, contortum elegi, crassitudine frameæ mediæ correspondente partem: pro sectione utor cultello (*fig.* 4.) in lanceolæ formam efformato manubrio adaptato, quo cum cutim pertundo, deinde eadem acu argentea filum trajicio.

AQUAPENDENS, citato loco, forcipes *quatuor* proponit, quarum *prima* est, quæ vel subjectam habet alam, vel eadem destituitur. *Secunda*, quæ vel prope foramen superius cavitatem circularem amplam continet, vel recta est. *Tertia*, quæ per se stringit cutim. *Quarta*, quæ a chirurgo, quantum opus, stringitur. Sunt qui eadem acu candente & perforant & simul etiam setonem altera extremitate trahunt: hunc modum idem rejicit, quippe quod candens apprehendi non potest: potior autem & expeditior modus est, ut setonem

nem cum puntali longo & angufto, ut vulgo dicitur, aftrictum; habeatis paratum, & ita imponatis.

Annulus aureus funiculi loco.

PERNUMIA, *lib.* 4. *hæc habet.* Divinitus apud practicos quofdam fili loco ablata acu annulus (*fig.* 11.) aureus æqualiter apertus immittitur: poftea, ne excidat, ejus extrema adducuntur, & identidem quotidie dimovetur, ut dolore & attritu materia trahatur, & evacuetur multa mane & vefpere quotidie tergendo. GATTINARIA eundum modum tradit, & iisdem fere verbis, tefte JACOBO SYLVIO, capite de vifionis imbecillis curatione, nifi quod pro divinitus legat, divitibus autem quidam fili loco ablata acu annulum aureum æqualem apertum immittunt.

Hac Tabula oftenduntur inftrumenta fetonem efficientia & confervantia.

FIGURA I.

Eft parentis mei p. m. forceps alata rotundo foramine.

FIGURA II.

Framea, quæ foramine forcipis paulo tenuior.

FIGURA III.

Acus pomulata fetonem trahens.

FIGURA IV.

Cultellus manubriolatus in lanceolæ formam fabrefactus, quo cum fectione effingitur feto.

FIGURA V.

Lanceola altero fine funiculum trahens, quæ & fcindit, & chordam ducit.

FI-



IX
VIII
III
II
IV
V
XI
X
I
VII
VI.
XII
2
2

Figura VI.

Forceps alata quæ conſtringit cutim, foramenque oblongum habet.

Figura VII.

Eſt tenacula Gabrielis Ferraræ per ſe ſtringens.

Figura VIII.

Acus tricuſpis ſecans & filum trahens incurva, qua utimur in effingendo ſetaceo ſecundum modum Paræi & Hollerii.

Figura IX.

Similis, ſed manubriolata incurva acus, qua mediante fit perforatio ſola.

Figura X.

Joannis Andreæ a Cruce forceps non alata rotundo extremo.

Figura XI.

Annulum Pernumiæ & Gattinariæ ex puriſſimo & ductili auro denotat, fabrefactum in modum iſtius, quo utuntur, loco catenæ in conſervatione clavium, alterum extremum eſt excavatum, alterum productionem quandam cavitati correſpondentem habet, quibus adaptatis, ita jungitur, ac ſi continuum quid eſſet.

Figura XII.

Cervicem monſtrat humanam. 1. *Notat emplaſtrum.* 2, 2. *Vero ejus inciſiones, per quas chorda ſeu funiculus reflectitur.*

CAPUT XXII.

Quomodo tractandum ſetaceum.

POſtquam actuali igne perforatio a me peracta, ſubito funiculum illino unguento digeſtivo appellato, ex terebinthina, vitello ovi, & roſato oleo, addito pauxillo croci, deinde emplaſtrum ex curcuma, & ſuper illud ptygma ſeu diploma linteum in aqua roſarum tepida madefactum, appono: huic apparatui inſiſto, uſquequo inflammatio profligata, poſt illud vero tempus idem emplaſtrum admoveo, ſed medietatem fere illius ab utroque latere forfice incido, quo ulceribus rite circumcirca apponi, & chorda illita per ejus medium commode tranſire, emplaſtroque, ne labra nimis comprimat, ſuperrepere poſſit, quod ut eo jucundius ſimul procedat, ſupra emplaſtrum appono linteola duplicata, quæ ichorem recipiunt, ne ultra debitum chorda inquinetur & indureſcat, ac nec ſic, dum huc illucque trahitur, dolorem ob duritiem inducat, taliterque toto tempore, ſi non prohibeant alia accidentia, progredior. Eundem etiam modum obſervo, ubi ſetonem ſectione infigo.

Paraeus, *lib.* 9. *cap.* 24. *hoc modo ſetaceum tractat.* Sequenti die, inquit, irrigabuntur cervices oleo roſaceo, atque ad aliquot dies diplomata albumine ovi & aqua roſarum imbuta apponentur. Setonem vero digeſtivo, quod vocant, ex vitello & roſ. compoſito imbuere conveniet, quouſque ulcus multo pure manat: tum vero bombacinus ille funiculus ſequenti remedio erit oblinendus.

℞. Terebint. Venet. ℥iiii. Syr. roſati. Abſynthii, an. ℥ß. Pulv. rad. Ireos. Diagridii. Agaric. trochiſcat. Rhabarbari, an. ʒß.

Incorporentur omnia ſimul, & fiat medicamentum, quo tamdiu erit utendum, quamdiu ulcus apertum tenere animus fuerit: illi enim evocandorum ex alto humorum & ſine morſu extergendorum vis ineſt.

Claudinus *loco citato ait:* primum linteamen imbutum frigida, deinde butyrum cum folio braſſicæ apponatur, butyrumque

tyrumque singula 4 vel 5 hora permutetur, quousque eschara sit putrefacta, ac funiculus hinc inde ducatur, loco butyri digestivum tantum substitui potest.

Ferrara, *lib.* 1. *obs.* 76. *Dicit*, aliquid de butyro recenti & foliis herbarum viridium ad locum ustionis applicet, illudque per aliquod dies apertum retineat, non neglectis interim unguentis & aliis medicamentis ad id accommodatis.

CAPUT XXIII.

Symptomata ut corrigenda.

Eadem accidentia, quæ fonticulos infestant, supervenire etiam assolent setaceis, scilicet caro luxurians, humorum acrium affluxus, inflammatio, ariditas, callus, fætor, foraminum seu ulcerum angustia, descensus, & denique funiculi per chordam eruptio, quibus symptomatis succurritur medicamentis, cap. 13. traditis, verum applicandi modus in nonnullis discrepat: ariditatem corrigo radicis gentianæ aut ellebori nigri fibris immissis: callum absumo injecta per syphonem materia caustica, permanente tamen semper chorda, vel hoc linimento setonem inungo.

Symtomata setaceorum.

℞. Terebint. venet. lotæ ℥ß. Unguent. apostolor. ʒii. Fusci Wirtzii ʒi. Camphoræ ℈ß. Misce ad formam unguenti.

Ubi autem per syringam materiam causticam immitto, alterum ulcus digito vel filamentis obturo, quo in eo permaneat, callumque abradat, angustiam dilato tenta longiuscula ac tenui ex radice consolidæ majoris composita, ita tamen, ut & seto in ulcere perseveret: descensus ut & eruptio chordæ impeditur, diligentia si modo adhibetur in medicando, nec chorda nimis deorsum aut extrorsum trahatur, quod ut & magis evitetur, sat multum cutis apprehendenda. Nam ubi illa punctio est nimis superficialis, teste Hildan. *cent. epist.* 1. *epist.* 59. paucissima per eam fiet humoris peccantis evacuatio, & mature nimis erumpet funiculus.

CAPUT

CAPUT XXIV.

Quibus affectibus conveniat ſeto.

HOC præſcire oportet, non eſſe idem ſemper & indiſcriminatim ſetonibus aut fontanellis uti; nam in affectibus, qui cutim exercent, aut qui maximam habent cum externis communionem, majoris æſtimationis ſunt ſetacea, quam fontanellæ, quia majorem tantum cutis partem perforant, & minime profundius: hinc MERCATUS ſetones cutanea alioquin vocat ulcera. Sequuntur nunc ordine affectus, qui illorum ope profligati ſunt.

Arthritis:

CLAUDINUS, *conſ.* 7. Artubus male affectis, idcirco in cervice ſetaceum excitetur.

Aſthma.

ROLANDUS, *lib.* 3. *cap.* 40. Mittatur ſeton in concavitate ſupra pectus, ſcilicet ſub epigloto, tantum pelliculam perforando, in ſummitate, & in longum.

Aurium Dolor.

MERCATUS, *tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 23. Juxta occipitium ſetonem affigere licet.

Cæcitas: vide viſus imbecillitas.

CLAUDINUS, *conſ.* 126. In occipitio ſetaceum de more excitatum, & per 5 vel 6 menſes geſtatum, a cujus ſanatione cauterium in brachio ſiniſtro, ac aliud in femore dextro inuſtum ſummopere placet.

Capitis Dolor.

MERCATUS. Si dolor capitis ſit ratione pericranii, tutius eſt ſetaceum quam fontanellam aperire. HILDAN.

cent.

cent. obs. 4. *ob.* 6. setacei beneficio dolorem capitis inveteratum, qui nullis remediis curari potuit, sopivit. Similem curationem tradit, *ob.* 7.

Catarrhus.

ANTON. CERMOSINUS. Laqueus sive setaneus apponatur sub parte posteriori cum consilio valentium doctorum assistentium, & cum modis & ordinibus servandis in appositione laquei. CLAUDIN. *cons.* 13. Cauterium quoque in sincipite, magis vero in occipite, potissimum vero setaceum in cervice proficuum erit, quo ad aliquot menses gestato, post vero sanitati restituto, cauterium in brachio sinistro, aut etiam forsan in femore dextro ad plures dies non improbaretur. Ego catarrham in palatum faucesque prolabentem ferocissimam, pessimaque symptomata minantem, nullisque remediis cedentem, setaceo in nucha compescui, domui, malitiamque ejus refrenavi.

Catarracta.

CANAMUSALI, *lib.* 6. *cap. de cura catarract.* Et perforetur auricula, desuper foramen auditus & magnitudinem rectam, quæ est in medio auriculæ ex parte auriculæ, versus collum in ipsa venaque subtili: & mittatur laqueus in ipsa vena, & cura per longum tempus. PLATERUS, *tract.* 1. *cap.* 7. *pag.* 270. Sine fructu tam setones quam cauteria in hoc affectu adhiberi tradit, eo quod defluxio aquæ in oculi capacitatem ferri minime possit.

Dentium Dolor.

LANFRANCUS. Imo sola cartilago, quæ in aure per transversum extenditur, cauterizata, solet dentium dolorem removere. HILDAN. *cent. obs.* 4. *obs.* 1. Fonticuli brachiis cruribusque cum ratione applicati fuerunt: sed quia diversio simul & evacuatio insignis in gravissimo hocce affectu requiritur, suaderem ut setaceum nuchæ applicaretur.

Dislocatio Humeri.

FRANC. DE PEDEMONTE *de ægrit. junctu. cap.* 3. Et si accidat, ut dislocetur humerus propter humiditatem lu-

lubricantem, prout contingit in Ischia, & non sigilliatur in hora reductionis suæ, sed iterum resiliat foris, apponatur cauterium subtiliatum cum instrumento triangulato, donec penetret cutem usque ad latus aliud, & si ponatur in foramine laqueus, erit bonum, prius tamen dislocatio ad suum reducatur locum, & prout poterit melius conservetur.

Dissuria.

LANFRANC. Alioquin ponitur seto super omnia ossa pectoris, apud radicem superioris furculæ. Et fiunt omnia ista cauteria istorum locorum melius cum setone.

Epiphora.

WEICKARDUS. Ultimum fere remedium est paracentesis, cum cute ad radicem occipitii pertusa facta, & transmisso filo crasso laneo, aut chorda sericea, aperta aliquamdiu retenta.

Fistula Lachrymalis.

HILDANUS *obs. cent.* 4. *obs.* 19. Ex frequenti oculorum inflammatione capitisque dolore fistulam lachrymalem obortam in matrona Lausannensi 30 annos nata, setacei beneficio curavit.

Furor Uterinus.

HORSTIUS, *lib.* 2. *de morb. capit. obs.* 14. Commode quoque cervici setaceum applicaretur, remedium omni ex parte tutissimum, & in gravissimis capitis affectibus præsentissimum.

Hemicrania.

NOVICOMENSIS, *lib.* 1. *cap.* 8. Setones conferunt multum valde.

Her-

Hernia Aquosa.

GUIDO. Fit & in burſa teſticulorum cum ſetone propter herniam aquoſam & ventoſam.

Lunella.

CANAMUSALI, *lib.* 6. *de ocul. cap.* 4. Si vero humor aſcenderit multum ſuperius, cocturas fac in temporibus, vel ſub auricula mitte ſetonem cum ferro candido.

Mentis Conſternatio.

PLATERUS. Sed & paracenteſis, & per ſetas factæ aperturæ in morbis hiſce deſperatis tentari poſſunt. PARAEUS, *lib.* 9. *cap.* 24. Sed & alias hoc *(ſetacei)* remedii genere Hollerii medici undiquaque doctiſſimi decreto adoleſcentem quendam 20 annos natum morbo caduco, cujus inſultibus ante crebro prehendebatur, liberavi derivatis, ut credere par eſt, illa arte ichoribus mali fomitibus.

Oculorum Lachrymæ.

ROLANDUS, *lib.* 1. *cap.* 18. *rub.* 2. Ad lachrymas oculorum conſtringendas mittatur ſeton in fontanella cartilaginis auris. VALESCUS DE TARANTA, *lib.* 2. *cap.* 13. *regul.* 4. Eſt diverſio materiæ, ut fiat cum ſetone in fontanella retro.

Ophthalmia.

PISO, *lib.* 1. *cap.* 26. In collo paracenteſes inſtituuntur. BRASSAVOLUS, *tract. de morbo Gallico, mihi, pag.* 744. Inter mirifica vero, quæ ab hoc oculorum morbo liberare ſolent, ſunt ſetarum tractiones, quæ in occipitio fiunt, poſteaquam locus fuerit ignitus, & per foramen ab igne factum ligula ex ſeta equina trahatur. LUSITAN. *cent.* 4. *curat.* 68. tandem ad laqueum ſupra nucham devenimus, & optime valuit. GUIDO, *tract.* 7. *doct.* 1. *cap.* 3. In collo fiunt cauteria ad ſetonem cum tenaculis & acuſetoneta retro in foſſa ad divertendum materias oculorum.

MERCATUS, *tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 22. Quod si per internas venas fluxio prolabatur, setonem occipitio affigere erit neceussm. HILDAN. *epist. cent.* 1. *epist.* 56. Sed quia catarrhus ad oculos destillat continuo, continua ut inveniatur diversio aliqua necesse est, alioquin reliqua omnia frustra adhiberentur. Nulla autem diversio præstantior, nulla utilior, imo & securior inveniri potest setaceo & fontanellis, ut ego sæpissime & in multis expertus sum, & indies experior. DURETUS, citato loco : Ad contumacem & inveteratam ophthalmiam paracentesis adhibetur, id est, vulnus, quod fit in cervice acu filo trajecta.

Pestis.

CLAUDIN. *resp.* 43. Quanquam sciam in constitutione pestilenti ad præcavendam pestem scroti insigi setacea ipsa.

Phthisis.

CLAUDIN. *cons.* 2. 1. Ut præter cauterium, quod in brachio gestat, alterum quamprimum in sincipite, vel in cervice, duplicatum tamen, quod setaceum vocant, fiat.

Pruritus & Psora.

CLAUDIN. *cons.* 7. Artubus male affectis idcirco in cervice setaceum excitetur.

Sanguinis Sputum.

CLAUDIN. *cons.* 106. Setaceum in cervice de more infixum per 3 vel 4 menses gestatum, & ab hoc sanato cauterium tum in brachio sinistro, tum in femore dextro secundum partem domesticam excitatum, per totum vitæ curriculum asservatum laudo, *cons.* 114. atque ut unaquæque pars suis non destituatur remediis, putarem satius esse cauterium vel setaceum in nuca excitare.

Spinæ Dolor.

ROLANDUS : Setones mittantur, unus in medio spinæ, alius tribus digitis supra, tertius tribus digitis subtus.

Splenis

Splenis Vitium.

Rolandus: Mittatur ſeton in ſiniſtro hypochondrio ſuper ſplenem, quidam etiam mittunt unum ſetonum ab alio.

Sterilitas.

Hildanus, *cent. obſ.* 4. *obſ.* 19. *exemplo* 1. Laboraverat autem *(quod annotatione dignum)* matrona illa per annos aliquot muliebri fluxu, aut menſtruis albis, quamobrem nunquam utero geſtaverat, adhibito vero ſetaceo paulatim remiſit fluxus, ac paulo poſt concepit, ac filiam peperit, quæ etiam nunc cum aliis liberis, quos deinceps progenuit, vivit, ac optime valet.

Surditas.

Rogerius, *tract.* 1. *cap.* 17. Vel extrahatur ſeto per medium auris, ita quod cauterizetur vena quæ eſt in medio.

Tabes.

Mercat. *cap.* 9. Sed magis probo eidem parti (*occipitio*) ſetonem affigere, quo tutius & commodius malum imminuitur. Claudin. *conſ.* 131. Utplurimum ſetaceum in cervice de more excitetur, hac per totam hyemem geſtetur, demum antequam ſanetur, fonticulus unus vel etiam duplex in brachiis, vel unus in brachio, alter in femore dextro inuratur.

Teſticulorum Dolor.

Rolandus: Mittatur ſeton ſub ipſis in oſſeum, cave tamen, ne filum, quod eſt ibi, uratur.

Tuſſis.

Claudin. *conſ.* 100. In capite quidem ad occiput, ubi cauterium duplicatum, quod ſetaceum dicunt, mihi magis arridet.

Visus Læsio & Imbecillitas.

PLATERUS: Punctura in cervicis cute facta, & chorda, quam setonem vocant, transmissa. NOVICOMENS. *lib. cap.* 44. Si necesse est, mittatur seta in cartilagine auris, sive retro in concavitate sub occipitio, quod melius est, secundum doctorem chirurgiæ Rogerium. PERNUMIA, *lib.* 4. eadem verba habet. CLAUDIN. *conf.* 96. Atque cervici setaceum infigatur, a quo per aliquot menses gestato, necessarium erit, fonticulum in brachio sinistro excitare. *Conf.* 139. Setaceum in cervice fiat. HILDAN. *cent. epist.* 1. *epist.* 59. Suaderem potius setaceum, tum quia minus erit molestum, quam duo fonticuli, tum quia etiam major per illud fiet a capite & præcipue ab oculis evacuatio humoris peccantis; vaporibus quinetiam, qui ad oculos elevantur, beneficio setacei a nervis ad nucham revocatis. PARAEUS, *lib.* 9. *cap.* 24. Quod si omnibus illis supra scriptis remediis fluxioni sistendæ idoneis nihil profecerimus, restat, ut pyrotico seu ignito ferro cervices inuramus, & setone transverberemus: est enim singulare inveteratarum in oculos fluxionum remedium. Quotidiana namque experientia scimus, permultis, quibus ex assidua & multa defluxione visus hebes caligabat, adeo ut jam fere cæcutirent, pristino splendori & acumini oculos ac videndi aciem restitui paulatim, ubi primum ab ulcere cauterio appresso, pus manare cæperit. Cujus rei patuit veritas in Paulo aurario fabro Italo, qui ad Augustinianum sodalitium habitabat. Is enim multis multorum & medicorum & chirurgorum frustra usurpatis remediis, cum fere conclamatæ esset visionis, appresso, me consultore pyrotico sensim pro puris manantis ratione acutius cernere cæpit, donec tandem acutissime cerneret. Tum igitur etsi semper pure ulcus manaret, setonis, quem annum integrum circumtulerat, pertæsus, ipsum detraxit, atque ulcus cicatrice sibi obduci voluit: verum illo fluxionis sublato diverticulo, cum humor in oculos iterum se inferret, ac jam cæcitatis periculum immineret, me vocato, ulcus aperui, & setonem denuo immitti sibi curavit. Ex quo pristinæ oculorum & visionis integritati restitutus, etiam nunc setonem illum circumfert. Ego unum triginta annorum visus summa imbecillitate laborantem trimestri

spatio

ſpatio ſetacei beneficio liberavi, qui quamvis monoculus, alteroque ex variolis ante 28 annos orbatus, tamen & nunc exacte videt, eminus ac cominus homines coloreſque diſcernens: etiamſi ab eo tempore conſolidatus fuerit ſeto.

Soli DEO laus, honor & gloria in ſecula, Amen.

INDEX

INDEX CAPITUM.

Cap. I. QUid cauterium & quotupliciter ſumatur. pag. 1
II. Quotuplex cauterium proprie dictum. 5
III. Quid cauterium actuale, ejus materia, & quomodo veteres uſtiones ſuas perfecerint. 6
IV. Quid cauterium potentiale, quotuplex, & quænam ejus materiæ tam ſimplices quam compoſitæ. 10
V. Proponit primo utriuſque cauterii virtutes, deinde eorum præferentiam enucleat, ultimo quonam genere in fonticulis effingendis utendum concludit. 27
VI. Quid fonticulus ſeu fontanella. 33
VII. Quotuplex fonticulus, & quid naturalis. 35
VIII. Quid fonticulus artificialis, quot modis efformetur, & quæ circa adminiſtrationem conſideranda. 37
IX. Fonticulus quomodo poſt caſum eſcharæ tractandus. 42
X. Fonticulus quando adhibendus declarat, ſimul & indicantia, coindicantia & contraindicantia exponit. 44
XI. De vero & genuino fonticulorum ſitu, ac conditionibus obſervandis. 47
XII. Inſtrumenta perſpicue deſcribit, quibus fonticuli tam efformantur, quam conſervantur. 67
XIII. Qualia ſymptomata ſuperveniant, & qualiter curanda. 75
XIV. Utrum detur determinatum tempus geſtationi fonticulorum: ac, an his ſanatis mors ſemper neceſſario expectanda. 77
XV. De generali & ſpeciali fonticulorum fine. 80
XVI. Quibus morbis & ſymptomatis fontanellæ conducant. 81
XVII. Utrum cauteria antiquorum, & modernorum fonticuli, ſint abſolute ab invicem diſtinguendi. 99
XVIII. Quid ſetaceum, ejuſque differentiæ a fonticulo. 103
XIX. Quot modis fiat ſetaceum, & quamdiu apertum ſervandum. 104
XX. Quibus in locis fiat ſetaceum. 110
XXI. Quibus inſtrumentis & fiat, & conſervetur ſeto. 113
XXII. Quomodo tractandum ſetaceum. 116
XXIII. Symptomata ut corrigenda. 117
XXIV. Quibus affectibus conveniat ſeto. 118

INDEX

Præcipuarum Notatuque magis dignarum rerum.

A.

ACrium humorum affluxum attemperantia pag. 76
Adhortatio ad chirurgos de fonticulis afficiendis 39
Albucaſis ſententia de tribus modis ignis adhibendi 51
Anacephaleoſis de fonticulo ſincipitis 56
Anguſtiam fonticuli amplificantia 77
Annulus aureus fonticuli loco in ſetaceis 114
Arabicus modus urendi 8
Ariditatem quomodo corrigit auctor 76
Arſenici correctio 19
Arſenici præparationem damnat Sala ibid.
Arſenicum non arſenicale fugatur ibid.
Arthritide, de fonticulis in eo auctoris opinio 96
Auctoris inſtrumenti explicatio 71

B.

Brandglaß. 7

C.

CAlloſitatem arcentia 76
Calx aſtringendi vim non habet 13
Capitellum quando bonum 21
Capitellum conficiendi modus 23
Capitelli boni nota ibid.
Catheretica 11
Cauſticum unguentum 24
Cauſticum ceratum ibid.
Cauſticum emplaſtrum 25

Cau-

Cauſtica paſta pag. 25
Cauſtica maſſa ibid.
Cauſtica aqua Salæ 23
Cauſtici paſtilli 26
Cauſticus pulvis ibid.
Cauſticum auctoris ibid.
Cauterium quid 1
Cauterium quotupliciter ſumatur 2
Cauterium ſericeum Paræi 22
Cauterium & cauterizatio differunt 4
Cauterium proprie dictum eſt vel inſtrumentum vel medicamentum 5
Cauterium actuale quid 6
Cauterium actuale tres habet differentias ibid.
Cauterium actuale pravam relinquit impreſſionem 29
Cauterium actuale majorem metum quam dolorem incutit 32
Cauterium actuale cum ferro, quovis alio modo præfertur 6
Cauterii actualis qualitates 27
Cauterium ex pila cryſtalli 7
Cauteria Turcarum 9
Cauteria potentialia ſimplicia 10
Cauterii potentialis quatuor differentiæ 11
Cauterii potentialis tres gradus ibid.
Cauteria potentialia, de iis obſervanda 32
Cauteriorum præferentia 30
Cauteriorum utrum eligendum 31
Cauteriorum loca antiquorum & modernorum 47
Cauteriorum finis primarius in effingendis fonticulis 31
De Cauterio actuali & potentiali auctoris ſententia 32
Cauterizatio quid 4
Cauterizationis differentia a ſinapiſmo & dropace ibid.
Cervix locus magis idoneus ad fontanellam 57
Cervix quomodo tenenda in ſetonis adminiſtratione 104
Chalmetei lapis infernalis 21
Claudere fonticulos quando periculoſum 78
Coindicantia fonticulum 45
Combuſtio imperfecta quæ 4
Combuſtionis ultimus terminus ibid.
Conditiones fonticulorum bonorum 61
Contraindicans 45
Craſſities ſeti & longitudo 107

Deſcenſum

D.

DEscensum fonticuli prohibentia pag. 77
Dropax quid 12

E.

EMissarium 34
Epilepsia, quando in ea fonticulus fieri debeat 87
Eschara quando auferenda 40
Escharæ casum accelerantia ibid.
Circa Escharam consideranda 42
Escharotica 11
Escharotica quæ 12
Escharotici & cathæretici differentia ibid.
Excrescentia carnis quibus modis tollatur 76

F.

FÆtorem fonticuli corrigentia 77
Femore, Placentini fonticulus in femore 59
Ferrum ad cauterizationem præfertur quovis alio metallo 6
Finis fonticulorum generalis & specialis 80
Fistulam inter & fontanellam auctoris discrimen 36
Fontanella furæ Spigelii 60
Fontanella & fonticulus utrum differunt inter se 34
Fontanellam in femoris parte sylvestri rejicit auctor. 60
Fonticuli definitio e Claudino 34
Fonticuli non semper supra & infra locum affectum, sed etiam in ipso 100
Fonticulus quid 33
Fonticulus est vox diminutivus 34
Fonticulus dicitur a fundendo ibid.
Fonticulus dicitur emissarium ibid.
Fonticulus duplex 35
Fonticulus naturalis quid ibid.
Fonticulus artificialis unde dictus & quotuplex 37
Fonticulus quot modis fiat ibid.
Fonticulus quomodo fit ab auctore per ignem actualem 38
Fonticulus quomodo per ignem potentialem 39
Fonticulus in brachiis ubi verus sit ejus situs 57
Fonticulus in epilepsia quando fieri debeat 87
Fonticulorum obliteratio 77
Fonticulorum obliterationis causa 79
Fonticulos inter modernos & cauteria antiquorum auctor examinat differentias 100

H.

Hildanus sectionem in fetis ustioni præfert pag. 107
Humor, cujus regionis sit vitium 44
Humorum acrium affluxum in fonticulis attemperantia 76

I.

Ignis est simplex 28
Ignis actualis 15 virtutes ibid.
Ignis nihil contagii habet 29
Ignis potentialis virtutes ibid.
Ignis quomodo & quousque adhibendus 50
Incineratio ultimus combustionis terminus 4
Incisionis duplex modus 41
Indicantia fonticulum unde sumantur 44
Inflammationem debellantia 76
Instrumenta incisionis auctoris 41
Instrumentum auctoris ad efficiendum fonticulum 38
Instrumenti auctoris explicatio 71
Instrumenti Placentini explicatio ibid.
Instrumenta auctoris sectionem perficientia 70
Instrumentorum descriptio, & modus adhibendi 68, 69

L.

Lapis infernalis Fallopii 17
Lapis infernalis Chalmetei 21
Loca cauteriorum antiquorum & modernorum 47
Longitudo seti & crassities 107
Ludoici Glandorp modus adhibendi cauterium potentiale 70

M.

Materia fonticuli, circa materiam consideratur qualitas 45
Materia qualis excernatur per fonticulos ibid.

N.

Notanda circa sectionem 41

O.

Occiput quid 56
Oleum e calce viva 24

P.

Pestis, in peste quando fonticuli applicandi 93
Pestis tempore quis fontanellas primo instituit. ibid.
Pilulæ auctoris ad ariditatem 76
Placentini fonticulus in femore 59
Psilothrum quid 12

Rup-

R.

Ruptorium Heurnii pag. 20
Ruptorium modus coquendi ibid.
Rufma Turcarum quid 12

S.

Scrofulæ extirpativum 23
Sectione quomodo inducatur feto 104
Senes, Fonticulos in fenibus claudere quando periculofum 78
Septica 11
Septica quæ 13
Septica periculofa ibid.
Septica non revera putrefactoria ibid.
Septica auctor rejicit damnatque 14
Septicorum & efcharoticorum differentia 13
Simplicium recenfio 15
Sinapifmus unde dictus 11
Sinapifmus quotuplex ibid.
Sinapifmi compofitio ibid.
Setacei varia nomina 103
Setaceum a Spigelio furæ infigitur 112
Setaceum dupliciter confideratur ibid.
Setaceum quid improprie ibid.
Setaceum quot modis fiat 104
Setaceum quamdiu geftandum 109
Setaceum utrum per longum vel tranfverfum incidendum 110
Setaceorum loca apud prifcos ibid.
Seti a fonticulo differentia 103
Seto quid ibid.
Setonem imponendi auctoris modus 113

T.

Tempus fonticuli adhibendi quotupliciter fumatur 46
Titio 7
Trapezei, feu cucullaris mufculi defcriptio 111

V.

Veficatorium quid 12
Veficatorii, cauftici & efcharotici differentia 13
Univerfalia præcedere debent particularia 46
Uftioni in fetis fectionem præfert Hildanus 107

Z.

Zeudech, locus cauteriorum ita nuncupatus Arabibus 48

FINIS.